CURSUS PHILOSOPHIÆ THOMISTICÆ

AD THEOLOGIAM DOCTOEIS ANGELICI moP.EDEUTICÜS

III

PHILOSOPHIA NATURALIS

PHILOSOPHIA NATURALIS

SECUNDA PARS

BIOLOGIA ET PSYCHOLOGY

De Vita vegetativa et sensitiva
De Anima humana secundum substantiam
De Anima humana secundum facultates et operationes

auctore **A. R. P. Eduardo HUGON, o.** p.

S. THKOLOGI.E MAGISTRO

ET SODALI ACAHEMT.E ROMANÆ S. TIIOMÆ AQUINATIS

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA CASSETTE, 10

http://www.liberius.net

© Bibliothèque Saint Libère 2011.
Toute reproduction à but non lucratif est autorisée.

CURSUS PHILOSOPHIZE THOMISTIOÆ

AD THEOLOGIAM DOCTOMS ANGELICI PBOPÆDBUTICDS

in

PHILOSOPHIA NATURALIS

SECUNDA PARS, BIOLOGIA ET PSYCHOLOGIA

CRUCIFIXI D. N. J. C. HUMANITATI,

CUJUS SANCTISSIMA ANIMA

IN SE OMNES HOMINUM ET ANGELORUM

COLLIGIT PERFECTIONES,

Hunc Tdactatum de anima

Dedicat auctor.

APPROBATIONES

Superiorum jussu, opus in usum studentium philosophiæ thomisticæ ab A. R. P. Mag. Eduardo HUGON jam publicatum cui titulus : « *Cursus Philosophic Thomislicc* » sex voluminibus constans, perlegimus ; quamque in illo deprehenderimus sanam doctrinam convenienti methodo dispositam, aptam proindre ad profectum illorum qui addiscendis rationalibus disciplinis vacant, atque imo ad comparandam diviniorem sapientiam *Summe Theologice* vere propædeuticam, placuit approbationem decernere, quatenus, servandis de jure servandis, proelo committi queat hæc nova editio.

Datum Romœ c Collegio Angelico, die 24 Junii 1920.

Fr. Ceslaus POBAN-SEGOND,
Ord. Præd.
S. Theol. Magister

Fr. REGINALDUS **GARRIGOU-LAGRANGE**
Ord. Præd.
S. Theol. Magister

Imprimatur :
Fr. Bonaventura GARCIA de PAREDES,
Magister Generalis Ord. Freed.

Imprimatur :
Parisiis, die 12 Junii 1027.
V. DUPIN,
Vic. gen.

PHILOSOPHIA NATURALIS

SECUNDA PARS

DE ENTE NATURALI ANIMATO, SEU BIOLOGIA ET PSYCHOLOGIA

Prima Pars fuit de ente naturali inanimato ; hæc voro ens naturale animatum speculabitur.

Imprimis quidem disserendum venit de ente naturali organico, atque ideo de Vita vegetativa et sensitiva ac tandem de Anima humana prout est ens quoddam naturale, scilicet pars compositi humani; quæ quidem consideratio erit tum de anima quoad substantiam, tum de anima quoad facultates et operationes. Triplex igitur Tractatus :

Ius de vita vegetativa et sensitiva, qui tractatus vocari potest *Biologia.*

IIUS de Anima humana quoad essentiam considerata.

IIIUS de Anima humana quoad facultates et operationes — Duo posteriores tractatus sunt de *Psychologie* proprie dicta.

Prius quidem de essentia quam de facultatibus agimus : quamvis enim facultates prius cognoscantur, certior tamen, profundior et completior erit processus syntheticus ab essentia ad facultates. Hic est ordo quem sequitur Angelicus in I. P. Sum. Theol. « Primo considerabimus ea quæ pertinent ad essentiam animæ ; secundo ea quæ pertinent ad virtutem sive potentias ejus ; tertio ea quæ pertinent ad operationem ejus(1). »

(1) Q. 75 in proœmio.

TRACTATUS PRIMUS.

DE VITA VEGETATIVA ET SENSITIVA

Prima hæc consideratio notionem et originem vitæ in communi investigat. Unde tria in hoc Tractatu quæruntur :

1° De notione vitæ in communi ;

2° De principio vitæ in communi ;

3.* De vita vegetativa et sensitiva in speciali.

QUÆSTIO PRIMA

De notione vitæ in coiinnuni (1).

Ad efformandam genuinam vitæ notionem consideramus vitam tripliciter :

I0) Secundum respectum scientificum, nam hæ notiones respectui philosophico inserviunt ;

2°) Quoad conceptum philosophicum ;

3°) Quoad suam finalitatem et suos gradus.

(1) Consuli possunt : Aristóteles, *De Anima et De Part, animal. ;* D. Thom. I. P. q. 18 et *Comm. in Aristot. ;* Joannes a S.Tiioma, Alamannos, *Phil. Nat. De* Jzuma, Lorenzelli, Pescii, Mercier, *Psychol.;* Bouillier, *Le principe vital* et *L'âme pensante ;* Coconnier, *L'âme humaine ;* Faroes, *La vie et l'évolution ;* Cl. Bernard, *Physiologie géne-'ale, La science expérimentale ;* Chauffard, *La vie ;* Mathias Duval, *Physiologie ;* Dastre, *La Vie et la Mort;* Le Dantec, *Théorie nouvelle de la vie, Les limites du connaissable, la vie et les phénomènes naturels ;* Schlincker, O. P., *La vie et l'étre vivant,* Collect. *Science et Religion.* Gredt, O. S. B., *Elementa philosophise,* t. I, ed. 3", 1921.

ARTICULUS PRIMUS.

CONSIDERATUR VITA SECUNDUM RESPECTUM SCIENTIFICUM.

I. —Mineralia et viventia organica quosdam communes præ se ferunt characteres,

Io) Utrisque commune est quod ex materia et forma constent, et quod in uno composito non possint esse plures formæ substantiales ; — 2°) utrisque insunt atomi materiales, extensae, sive ponderabiles, sive imponderabiles, ut ponitur aether ; — 3°) in utrisque viget communitas elementorum chimicorum : in viventibus concurrunt oxygenium, hydrogonium, carbonium, azotum, quae similia sunt oxygenio, hydrogenio, etc., mineralium. — 4°) In utrisque fit motus : neque enim viventia, neque mineralia in perfecta sunt quiete, sed molui subjacent, sive locali quo feruntur de spatio in spatium, sive vibratorio quo aether agit in moléculas. Motus iste fit in omnibus secundum leges physicas gravitationis, attractionis, conservationis energiarum, etc.—5°) In utrisque depromitur activ't s interna et propria qua ad certos effectus eliciendos impelluntur

II. — Differentiae. Io) Quoad motum intrinsecum.— Differentia prima et radicalis est quod viventia se movent ab intrinseco, secundum aliquam speciem motus, mineralia autem moventur, sed non se movent. Gravia enim et levia non dicuntur moveri nisi quando extra locum proprium consistunt ; cum vero sunt in loco proprio et naturali, quiescunt. E contra « plantee et aliæ res viventes moventur motu vitali secundum hoc quod sunt in sua dispositione naturali, non autem in accedendo ad eam, vel in recedendo ab ea (1). »

2°) Differunt quoad originem. — Mineralia oriuntur sed non nascuntur. Viventia autem oriuntur per generationem, quæ

(1) I. P. q. 18, a. 1, ad 2.

definitur : *Origo viventis a vivente, principio conjuncto, in similitudinem naturæ.* Dicitur *origo,* oportet nempe ut generatum emanet a vivente et ut generans active influat in esse generati. — *Principio conjuncto,* quatenus nempe generatum quasi inchoetur in generante, per aliquid quod fuit in generante et remanet in genito. Unde id ex quo fit genitum exhibetur ex propria substantia generantis. — *In similitudinem naturæ,* quia oportet ut vi ipsius originis genitum in eadem natura specifica cum generante conveniat..Si autem ens emanatum assimiletur quidem in natura, sed non vi ipsius processionis, non censetur proprie genitum. Sic Eva, licet ex Adamo et similis Adamo, non dicitur ejus filia, quia non fuit similis vi cductionis ex costa (1).

Ad producendum vero corpus minerale sufficit actio physica vel chimica ; hinc valet homo per artem hujusmodi corpora efformare.

3°) Quoad processum et durationem. — Minerale illico suam attingit formam et indefinite durat, nec phases suscipit evolitivas ; in viventibus autem sunt periodus incrementi, status complementi et postea decrementi.

4°) In mineralibus deprehenditur stabilitas et fixitas elementorum chimicorum, in viventibus vero instabilitas compositi ; materia quippe viventis est in continuo fluxu, et incessanter renovatur.

5°) Structura et forma. — Minerale est homogeneum seu aggregatio molecularum similium ; vivens autem compositione complexa gaudet. Vivens cellulis constituitur nec non fibris et vasculis ; mineralibus vero nulla inest proprie dicta organizatio. — In mineralibus elementa chimica associantur juxta proportiones definitas, non autem in viventibus.

Forma mineralium regularis omnino est ac determinata ; viventium vero irregularis sæpius apparet.

6°) Nutritione. — Mineralia juxtapositione tantum augescunt; viventia autem per intussusceptionem et assimilationem.

III.— Plantæ et animalia (2). — Communia habent :

(1) Cf. I.P.27. a. 2.

(2) Cf. Cl. Bernard, *Leçons sur les phénomènes de la vie communs aux animaux et aux végétaux.*

lo) protoplasma, quod in utrisque ex iisdem constat elementis, oxygenio, hydrogenio, azoto et carbonio ; — 2°) utraque per generationem a parentibus in specie similibus oriuntur ; — 3°) in utrisque viget quædam respiratio, quae quidem exhalatione acidi carbonici peragitur.

Differentiae : Io) Sensatio, qua animalia valent objecta externa cognoscere vel appetere ; — 2°) potentia locomotiva, qua vivens fertur, etiam motu locali, ad rem apprehensam et appetitam, vel refugit a malo apprehenso et imminente. — 3°) Structura : in vegetalibus quippe adest tantum structura cellularis et vascularis ; in animalibus vero concurrunt insuper structura conjunctiva, epithelialis, cartilaginosa, et ea omnia quæ sunt objecta histologiæ. — 4°) Compositio chimica : animalibus quatuor elementa semper insunt, oxygenium, hydrogenium, carbonium, azotum ; in vegetalibus autem vel abest azotum, vel in minori adest proportione.

IV. — Compositio chimica viventium.

Elementa chimica' viventium organicorum triplicis sunt generis : *simplicia, composita* et *principia immediata.* Elementa simplicia sunt : *carbonium,* quod est quasi substratum et compages totius organismi ; *oxygenium,* quod invenitur praecipue in textis ; *hydrogenium,* in compositis organicis ; *azotum* semper adest in protoplasmate viventi. .Cum autem protoplasma in minori sit quantitate in vegetalibus quam in animalibus, vegetaba minorem azoti copiam suscipiunt quam animalia. Adsunt etiam ferrum, calcium, sodium, chlorus et phosphorus.

Inter *composita* recensentur *aqua,* quæ duas ex tribus circiter corporis humani partibus tribuit ; *calcarium* (le calcaire), quod ossibus soliditatem præstat ; *sal* marinum, in sanguine et carne ; *sesquioxydium* ferri in rubeis sanguinis globulis.

Principia *immediata* ad tria revocantur : materias *faeculentas,* corpora *pinguia,* et substantias quæ dicuntur *albuminoidæ.* —Materiae fæculentæ sunt vel *amylaceæ,* vel *glycosæ.* Corpora vero pinguia sunt *oleum, adeps, butyrum.* Adipis autem tres sunt species : *oleina, margarina, stearina.* — Substantiae demum albuminoidæ sunt *albumen,* quod septuaginta quinque ex millibus nostri sanguinis partes efformat ;

fibrina et *caseina.* Parum autem albuminis in vegetalibus reperitur.

V. — Compositio anatomica viventium.

Cellula est principium totius organismi. In cellula porro *completa* quatuor concurrunt : I0) *protoplasma,* nempe substantia albuminoida, contractilis et mobilis, cui motus inest vitalis,et in qua deprehenditur perpetuus fluxus ab intra ad extra, et ab extra ad intra. — 2°) *Nucleus* in quo includitur humor quidam perpetuo mobilis, qui dicitur succus nuclearis.

3°) *Nucleolus,* corpusculum refrangens in nucleo contentum. — 4°) *Membrana involvens.* At hæc omnia nonnisi in cellula completa inveniuntur ; modo unum, modo aliud abesse potest; nunquam tamen desideratur protoplasma quamdiu cellula vivit.

Cellulæ quandoque protenduntur, hoc quidem modo ut tenues per extremitates, per medium vero turgentes, ad modum fusi appareant, quo casu vocantur *fibræ.* Inter cellulas vel fibras adsunt interstitia : hæc porro replentur liquidis elementis quibus nutritur cellula. — Ex secretione cellularum resultant diversi humores inter quos est *synovia,* humor nempe quo lubrificantur articuli membrorum, eo fere modo quo machinarum compages oleo unguntur.

VI. — In cellula omnia vitæ phenomena quasi In compendio inveniantur.

Cellulæ nascuntur, nutriuntur, augescunt, sese reproducunt et multiplicant, ac moriuntur. Celeberrimus est Virchow aphorismus : *Omnis cellula a cellula nascitur.* Progenita autem cellula nutritur liquidis, quibus quasi tota immergitur. Ex nutritione vero resultat augmentum; non omnes tamen eadem proportione augescunt ; musculorum cellulæ maxime producuntur ; cellulæ vero epidermatis parum.

Cellulæ multiplicantur, et hac ratione conflatur ct crescit organismus. IUæ tantum multiplicantur quarum protoplasma tota sua activitate gaudet. Quum autem cellula completam explicationem attigit, in duas partes scinditur, quæ novas efficiunt cellulas. Id quidem miro modo contingit, quando adest membrana involvens : nucleus in duas partes scinditur ;

mox resultant duæ novæ cellulæ, istæ porro iterum in duas dividuntur, quæ iterum scinduntur, et sic deinceps. Ex quatuor generantur octo, postea sexdecim, deinde triginta duæ, deinde sexaginta quatuor, etc. etc. Hujus multiplicationis causa videtur esse contractilitas protoplasmatis.

Denique cellula moritur. Epidermatis cellulæ brevissimam vitam vivunt : mox natæ arescunt et decidunt ; musculorum e contra et nervorum cellulæ non pereunt ordinarie nisi morte ipsius viventis cujus sunt partes.

Ex ordinata cellularum dispositione resultant *organa, apparatus, systema.* — *Organon,* designat partem organismi speciali structura donatam et speciali functioni physiologicae destinatam : hujusmodi sunt *pulmo, cor, jecur, stomachus.* — *Apparatus* est complexus plurium organorum ad communem aliquem finem conspirantium. Sic apparatus digestivus complectitur *os,* quod elementa atterit ; *stomachum,* qui illa digerit; *intestina,* quæ illa absorbent ; *glandulas,* quæ liquida digestioni necessaria elaborant. — *Systema* est complexus partium ejusdem naturœ quæ in toto corpore similia gerunt munia : sic nerveum systema omnes nervos in toto corpore comprehendit ; musculare omnes musculos.

Inter cellulas mira viget continuitas ; non enim fit cellularum multiplicatio per meram juxtapositionem aut per separationem, sed ea ratione ut efformetur unus organismus et ut cellulæ aliæ aliis subordinentur, adeo ut ex uno membro, v. g. ex uno dente, potuerint quidam physiologi naturam totius viventis inferre.

ARTICULUS SECUNDUS.

CONSIDERATUR VITA SECUNDUM CONCEPTUM PHILOSOPHICUM.

I. — Duplex acceptio vitie, — Vita sumitur et in actu secundo, seu pro operatione vitali, et in actu primo, seu pro ipsa substantia viventis. Utra vero potior sit acceptio ? Quoad etymologiam nomen vitæ desumptum est ab operatione ; quoad rem vero principalius vita significat substantiam viventem quam operationem vitalem. Res enim nominamus sicut cognoscimus ; porro substantias colligimus ex proprietatibus vel operationibus, juxta axioma : *Operatio notior est quam substantia.* Ergo nominamus substantias ex proprietate vel operatione. Nomina igitur, quamvis sumpta sint ab aliquo exterius apparenti circa rem, ordinantur tamen ad principaliter significandam ipsam rei essentiam.Sic ergo dicendum est de vita. Nomen desumitur ex aliquo apparenti circa rem, scilicet operatione qua res seipsam movet ; « non tamen est impositum hoc nomen ad hoc significandum, sed ad significandam substantiam cui convenit secundum suam naturam movere seipsam, vel agere se quocumque modo ad operationem. Quandoque tamen vita sumitur minus proprie pro operationibus vitæ a quibus nomen vitæ assumitur (1). »

II. — Ineptæ definitiones vitæ. — Stahl vitam definit : *conservationem corporis in sua mixtione corruptibili, sed sine ipso hujus corruptionis eventu.* Inepta definitio, quippe qua^ non convenit *omni* et *soli :* non convenit Deo nec angelis ; et aliunde posset corpus per miraculum in perfecta incnrruptione absque ulla vita conservari.

(1) I. P. q. 18, a 2.

BlainviMe : *Vita est duplex motus internus, compositionis et decompositionis, generalis simul et continuus.* — Definitio solum descriptiva, rem declarans ex præcipua operatione, qua est nutritio.

Béclard : *Vita est organizatio in actu.* — Convenit solum vitae organicae; rem describit ex proprietatibus, non vero assignat intrinsecam rei naturam.

Bichat : *Complexus functionum quæ morti resistunt.* — Definit rem per effectum; definit idem per idem, nam præcise quaeritur quid sit illud quo morti resistitur. Tandem supponit vitam esse complexum accidentium. Eadem animadversio valet contra definitionem quam tradunt Positivistæ : *Vita est complexus functionum psychicarum.*

Schelling : *Vita est tendentia ad individuationem.* Non convenit *soli,* vel non convenit *omni.* Si enim intelligitur de tendentia ad propriam individuationem, convenit omni enti naturali, et non soli viventi ; si vero intelligitur de tendentia ad reproducendum simile sibi quocumque modo, convenit omni agenti, non soli viventi ; si demum intelligitur de tendentia ad reproducendum simili sibi per *generationem,* convenit vitæ vegetativa, non omni viventi.

Cuvier: *Vita est facultas assimilandi organismo perduranti externa dementa.* Non convenit omni, sed soli vita organica ; est descriptiva, quadam viventium phanomena describens, non autem essentialem ac primarium vita conceptum exhibens.

III.— Prima conclusio: Conceptus formalis vita ineo consistit quod vivens sit substantia se movens ab intrinseco secundum suam naturam et connaturalem dispositionem, motu nempe activo vel quo se evolvit ac perficit, vel quo saltem sese in propria perfectione conservat

Motus sumitur tripliciter : Io) in sensu stricto definitur ab Aristotele : *Actus existentis in potentia in quantum hujusmodi,* nempe prout est in potentia. Per hujusmodi mutationem subjectum fit in actu et tamen remanet in potentia. Ecclesiam peto; sum in aliquo actu respectu ecclesia,si quidem ad illam pergo ; et adhuc remaneo in potentia, quia nondum illam contigi. Aqua calefit; est in aliquo actu, quippe qua incinit cale-

fieri ; remanet tamen in potentia, quia nondum est calida. Subjectum ergo medium se habet inter potentiam et actum, quo fit ut motus ille sit potentia actualiter tendens ad actum perfectum.— Quia ergo subjectum non est in mera potentia nec omnino in actu, dicitur motus iste *actus imperfecti.*

2°) In sensu communi designat mutationem qua subjectum transit de potentia ad actum, quin tamen adsit status intermedius inter moram potentiam et actum perfectum. Hoc modo, intelligcre, velle dicuntur motus.Qua ratione acceptus dicitur *actus perfecti.*

3°) Sensu latissimo importat omnem operationem, licet hæc perfectissima sit ct excludat omnem transitum de potentia in actum.Quo sensu dicit Augustinus : *Spiritus creator movet se nec per tempus nec per locum* (1).

Conclusio intelligitur de qualibet specie motus ; quo vero perfectior est motus eo sublimior existit vita. Motus autem *ab intrinseco* est motus evolutivus ac perfectivos, ut ex argumentis et explicationibus constabit. Non dicimus vitam esse motum simpliciter *spontaneum,* nam vita est aliquatenus *provocata,* sed tenemus esse motum activum qui est ad bonum et commodum sui subjecti.

Probatur conclusio. Arg. Ium. Ex signo vitæ apertissimo. Conceptus vitæ ex iis desumendus est in quibus manifestior est vita. Atqui vita manifestior est in animalibus ; nam, quia planta est in confinio viventium et mineralium, minus apparet distinctio ipsius motus ab operatione inorganicorum; in intellectualibus vero vita, licet perfectior, est magis a nostro captu remota. Ergo ex animalibus proprie desumendus est conceptus vitæ. «Atqui dicimus animal vivere, ait S. Thomas, quando incipit ex se motum habere, et tamdiu judicatur animal vivere, quamdiu talis motus in eo apparet; quando vero jam -ex se non habet aliquem motum,sed movetur tantum ab alio, tunc dicitur animal mortuum per defectum vitæ (2). » Ergo

(1) Cf. *De Genesi ad litteram.* l b. VIII, capp. 20 et seqq.

(2) I. P. q. 18, a. 1. Hoc vitæ signum adeo est manifestum ut parvuli et rudes omnia existiment vivere quæ moventur. Licet autem nimis vaga et imperfecta sit hæc vulgaris notio vitæ,est tamen philosophis attendenda, qui debent conceptus communes et apud vulgus receptos perpolire et scientifica definire.

conceptus vitæ in eo consistit quod vivens sit substantia se movens ex se ipsa, vi sua intrinseca, ac propriis motibus.

Arg. Ilum, ex comparatione motus viventium cum motu inorganicorum. Vitæ conceptus in eo reponendus est quod est proprium solis viventibus. At movere se ab intrinseco solis viventibus, nullatenus autem inorganicis, competit. Ergo. Exponitur minor. Si inorganica sese ab intrinseco moverent, seu vi propri® naturæ, eo magis moverentur, quo magis essent in dispositionibus consentaneis naturæ. Atqui corpora inorganica, ut elastica, levia, et gravia, non moventur nisi secundum quod sunt extra dispositionem suæ naturæ ; cum enim sunt in dispositione propria et naturali quiescunt(l). Ergo corpora inorganica non moventur ab intrinseco. — Undo ex adverso sic arguimus. Illud proprie movetur ab intrinseco, seu vi propriæ naturæ, quod se movet secundum quod est in naturali dispositione, et recedit a tali motu secundum quod a naturali dispositione recedit. Atqui plant® et animalia eo magis se movent quo magis sunt innaturali dispositione, et, e ■contra, si recedunt a naturali dispositione, recedunt a motu ; et, si nimius est recessus a naturali dispositione, totaliter a proprio motu cessant, inertia fiunt ac mortua. Ergo motus ab intrinseco convenit solis viventibus. Ergo propria ratio vitæ est in motu ab intrinseco reponenda. De his iterum n° VI.

Arg. IIIum. Vitæ conceptus primarius in eo consistit quod est commune omnibus viventibus, sive vegetativis, sive sensitivis, sive spiritualibus. Porro omnibus viventibus commune est quod se moveant ab intrinseco, vi nempe pròpria, motu quodam activo, evolutivo vel perfectivo. Ergo primarius vitæ conceptus importat motum ab intrinseco, motum nempe ■activum ac perfectivum. Declaratur minor per partes.

1° Quod est essentiale et commune omnibus viventibus vegetativis est nutritio. Nutritio autem consistit in motu ab intrinseco. Id ergo quod essentiale est et commune omnibus viventibus vegetativis est motus ab intrinseco.

Declaratur major. Digestio vel generatio non sunt omni-

(1) Erraverunt quidem cholastici circa physicam levium et gravium; verum est tamen illa corpora non *se movere,* sed *moveri* eo quod sint extra naturalem dispositionem, quidquid sit de notione scientifica levis et gravis.

bus viventibus essentialia : planta enim non digerit proprie, et quædam animalia non generant ; omnibus autem convenit nutriri. Pariter augmentum individui exposcit nutritionem. Undo illud effatum Cl. Bernard : *Vivre et se nourrir sont deux expressions synonymes (V).La nutrition est le caractère fondameli·tal de l'être vivant, le signe le plus général de la vie* (2).

Probatur minor. — Si spectetur nutritio in protoplasmate, deprehenditur duplex motus : alter quidem quo elementa nutritiva in ipsum protoplasma introducuntur ; alter vero quo elementa non assimilata ab ipso exeunt. Perpetuus viget fluxus ab extra ad intra, ab intra ad extra. Hujus autem motus cessatione aut inducitur mors aut saltem suspenditur vita. Suspenditur et languida efficitur *(vie ralentie),* quum cessat motus quo elaborantur elementa subsidiaria (les reserves); inducitur mors quum penitus cessat motus quo fit assimilatio proprie dicta. Duo in nutritione concurrunt : *cellula* vivens et elementum *liquidum* quo cellula imbuitur. Unde dicit Cl. Bernard *vivens esse naturaliter aquaticum* (3). *Ex húmido,* aiebat jam Aristoteles, *omnia desumunt augmentum* (4). Cellula porro aliquid hujusmodi liquidi sibi assimilât, aliud vero rejicit, et ita porro semper aliquid absorbet, et aliquid expellit. Et sic habetur in vivente perpetuus fluxus et motus. Imo, iste motus est ipsi viventi intrinsecus (5) ; nam nutritio fit per intussusceptionem et assimilationem.

Ex nutritione vero vivens augetur, perficitur, conservatur. Ergo vita est motus quo ens seipsum nutrit, seipsum evolvit, conservat et perficit.

2° Viventia autem sensitiva habent jam motum nutritivum, et insuper motum vitalem et activum quo objecta externa sibi intentionaliter assimilant per cognitionem, vel ad objecta feruntur per appetitum. Motus autem ille est ab .intrinseco, nam vivens sensitivum est piincipium, imo et terminus, suæ

(1) *Physiologie générale,* p. 130.
(2) *La science expérimentale,* p. 185.
(3) *Rapport sur les progrès de la physiologie,* p. 41.
(4) *De, partibus animalium,* lib. II, c. 2.
(5) « Moventur illo motu quo *intrinsecus* agitur quidquid ad incrementum speciemque arboris pertinet. » S. Augustinus, *De Genesi ad Utter.* lib VII, c. XVI, η. 22.

operationis, sicut liquet cognitionem et appetitionem ab ipsis facultatibus animalis prodire et in ipsis remanere.

3° Viventibus voro spiritualibus non competit motus nutritivus secundum suum conceptum formalem ; competit tamen notus perfectivus. Motus, prout est in plantis et animalibus, est perfectio mixta, non simpliciter simplex, quæ idcirco non est formaliter viventibus spiritualibus adseribenda. At voro id quod est perfectionis in motu plantæ et animalis est ut subjectum seipsum evolvat, seipsum conservet, seipsum perficiat ; et secundum hanc rationem motus invenitur eminenter in viventibus spiritualibus. Sic in anima et in angelo est motus activus, in quantum possunt vi et actione propria, se perficere, se determinare, se ciere de potentia ad actum. In Deo tandem invenitur motus *perfectly* qui designat operationem. Hoc sensu Deus maxime se movet, cum maxime sit in actu.

Ergo conceptus vitæ in eo consistit quod vivens sit substantia ab intrinseco se movens secundum aliquam speciem motus : *motus nempe vel quo vivens seipsum evolvit et ciet se ad actum, si sii actus impurus : vel quo semper est in actu, si sit actus purus.*

IV.— Secunda conclusio. : Immanentia pertinet ad conceptam vitæ.

Arg. Ium. Eo ipso quod vivens moveatur a se, sequitur ipsum esse, secundum diversas partes, movens et motum. Quæ autem movent seipsa, composita sunt ex motore et moto, sicut animata. Vivens igitur est motor, quia movet se, et est mobile, quia movetur a se. Motio vero moventis recipitur in moto. Cum ergo vivens sit simul movens et motum, oportet ut motio seu actio remaneat in ipso vivente. Atqui actio quæ remanet in ipso agente dicitur immanens. Ergo de ratione actionis vitalis est ut sit immanens. Ergo immanentia pertinet ad conceptum vitæ.

Arg. IIum. De ratione vitæ est ut vivens sua actione seipsum conservet et perficiat. Atqui actio transiens « non est perfectio agentis quod movet, sed ipsius moti», ait D.Thomas (1). Imo operatio transiens fit cum detrimento agentis ; molécula

(1) I. P. q. 18, a. 3, ad 1.

quippe inorganica agendo ad extra deperdit vires. Actio vero quæ est perfectio agentis est immanens. Ergo actio vitalis, utpote perfectiva agentis,est immanens.Igitur in vitæ conceptu includitur motus ab intrinseco et immanentia. Uter autem conceptus sit potior ?

V.—In conceptu vitæ, motus est quid prius et communius, immanentia autem est quid magis determinans ac magis specificum. Probatur. Prius concipimus movens se movere quam motionem moventis remanere in ipso movente. Atqui immanentia in hoc consistit quod motio moventis remaneat in ipso movente. Ergo immanentia non est id quod primo concipimus in vita. Sicut nempe prius est rem esse simpliciter quam esse talem, ita prius est esse motum in vivente, quam motum viventis esse talem, transeuntem vel immanentem. At immanentia est conceptus magis determinans, magisque specificus. Ideo enim motus vitalis a cæteris motibus secernitur, quia perficit subjectum et in ejus commodum cedit. At non proprie subjectum perficit nisi in ipso remaneat. Ergo id quod magis determinat conceptum vitæ est ut motus in subjecto remaneat, seu ut sit immanens.

Si tamen motus ab intrinseco et immanentia adæquate sumantur, sunt conceptus identici. Quid est enim motus ab intrinseco adæquate ? Ille qui perficit subjectum ct cujus movens est principium et terminus. Immanentia pariter adæquate sumpta innuit subjectum esse suæ actionis principium et terminum, seu esse id quod agit et quod actione perficitur. Quoad rem ergo motus ab intrinseco et immanentia possunt promiscue usurpari. Vitæ enim notio exposcit ut idem sit subjectum *a quo* oritur operatio et terminus *in quo* recipitur. Quatenus consideratur principium *a quo,* vita nominatur motus ab intrinseco ; quatenus inspicitur terminus *in quo,* ingeritur conceptus immanentiæ. Sed notio adaequata utrumque complectitur : non est quippe principium *a quo* vero intrinsecum nisi operatio in ejus bonum cedat, et sit immanens; aliunde non est immanens motus, seu terminus *in quo* non est ipsum subjectum, si censetur operatio ab extrínseco oriri. In concreto igitur idem est motus ab intrinseco et motus immanens, sicut idem est auod agit et quod actione perficitur.

VI. — Occurritur difficultati et explicatur quomodo motus ab intrinseco activus solis competat viventibus.

Objicitur contra Iam conclusionem : Si vita consisteret in motu, ubicumque est principium motus, ibi esset principium vitse. Atqui omnibus corporibus inest principium motus : etenim omnibus competit natura, quæ definitur : *Principium motus.* Ergo vita non est in motu reponenda.

— Distinguo majorem : Si vita consisteret in motu, ubicumque adesset principium *motus activi et perfettivi,* quo subjectum vi sui seipsum evolvit, ibi esset principium vitæ, concedo ; ubicumque adesset principium *motus passivi,* ibi foret principium vitæ, nego. — Contradistinguo minorem : omnibus corporibus inest principium motus passivi, concedo ; principium motus activi et perfectivi, quo subjectum seipsum agat, evolvat, ac compleat, nego. Ergo vita non consistit in motu passivo, concedo ; in motu activo et perfectivo, nego.

— In omnibus corporibus deprehenditur quædam similitudo vitæ. « Quicumque motus naturalis hoc modo se habet ad res naturales, ut quædam similitudo vitalis operationis (1). »

In corporibus enim est activitas quædam interna, sicut sunt vires cohæsionis, attractio molecularis, motus vibratorius. Hac ratione mineralia cum viventibus secundum quamdam similitudinem conveniunt et quodam modo ad ipsa viventia attingunt ; adeo ut hic verificetur effatum : *Ultimum primi attingit principium secundi.* Hic tamen motus non est proprie activus ; corpus enim non habet a seipso quod se moveat, sed id accipit a generante quod naturam indidit.

Præfatum motum non esse activum et ab intrinseco ex eo apparet quod corpora inorganica, ut gravia et elastica, tunc moveantur, quum sunt extra connaturalem dispositionem. Apparet insuper ex eo quod corpus inorganicum tali motu non *se evolvat et perficiat.* Inorganicum enim movetur quidem ex intrinseca natura, at ipsum non est terminus sui motus; hinc non seipsum perficit, sed potius vires consumit, dum agit, quo fit ut quælibct ipsius operatio sit propriarum deperditio virium. Ergo non est in corporibus inorganicis motus activus et perfectivus in quo reponimus conceptum vitæ essentialem.

(1) I. P. q. 18, a. 1, ad 1.

VII. —Motus autem activus et perfectivus triplex esse potest: physicus, iiitentionalis-inatcrialis, et intention alis-spiritualis. *Physicus* est quo subjectum assimilatur agenti secundum formam, sed in esse physico et quoad dispositiones materiales formæ, nempe dispositiones quæ quantitati inhærent et quantitatem consequuntur. Sic nutritio est motus physicus, quo subjectum formæ agentis secundum dispositiones materiales assimilatur. Motus hujusmodi viventibus végétatives competit.

Motus autem *intentionalis* generatim dicitur quo subjectum assimilatur agenti, non secundum esse physicum et quoad dispositiones materiales, sed secundum esse quoddam repræsentativum et quoad formam. Sic cognitio est motus quo objectum intentionaliter et repræsentative assimilatur cognoscenti. Cum vero vegetaba non possint recipere intentionaliter formas rerum, hinc concluditur motum intontionalem ipsis repugnare.

Motus *intentionalis-materialis* est qui recipitur in subjecto extenso et dependenter a materia, ut sensatio. Dici tamen potest spiritualis secundum quid, quatenus non retinet esse crassum et physicum, sed modo puriori, utpote intentionali.existit. Hic est viventibus sensitivis proprius.

Motus *intentionalis-spiritualis* est qui recipitur in subjecto a materia et materiæ conditionibus essentialiter independent!, ut intellectio, volitio. Hic solis viventibus intellectivis adseribitur.

VIII. — Quomodo vivens simul sit movens et motum.

Dices : Si vita consistit in motu ab intrinseco, vivens est simul movens et motum. Atqui repugnat ut idem sit simul movens et motum, simul in potentia et in actu. Ergo vita non consistit in motu ab intrinseco.

— Distinguo majorem : Si vita consistit in motu, vivens est simul movens et motum, secundum diversas partes, concedo ; secundum eamdem partem, nego.

Contradistinguo minorem : Idem non potest esse simul movens ct motum, secundum eamdem partem, concedo ; secundum diversas partes, nego et nego conclusionem.

Vivens constat partibus non homogeneis, sed dissimilaribus,

quæ adeo aptæ sunt ad efformanda diversa organismorum genera. Hinc resultant diversæ aptitudines quarum una est movens, alia mota. Itaque idem est suppositum quod movet se et quod movetur a se, omnes quippe actiones eidem supposito tribuuntur; at nullimode idem est principium quo se movet et quo movetur : movet secundum cor vel cerebrum, etc., movetur secundum alia.

IX. — **Objectiones contra secundani conclusionem.**

I0 Actio artificis, v. g. pictoris, est vitalis. Atqui haec actio in externam transit materiam. Ergo actio vitalis esse potest transiens.

Resp. : Distinguo majorem : Actio artificis est vitalis quatenus movet manum, concedo, quatenus movet instrumentum et in instrumento est, nego. — Contradist. min. : Illa actio est transiens, quatenus est in instrumento, concedo ; quatenus movet manum, nego, et nego conclusionem.

Actio artificis bifariam spectari potest : 1° prout movet instrumentum conjunctum, scilicet manum; ex qua parte est vitalis et immanens, quippe quæ recipitur in eodem supposito ; ita ut idem suppositum sit movens et motum, movens secundum aliquid sui, motum vero secundum aliam sui partem, nempe manum. 2° Prout movet instrumentum separatum, et hac ratione. nullatenus est vitæ particeps. Motio enim qua penicillus movetur a pictore non magis tribuit vitam penicillo quam si penicillus a motore mechanico impelleretur.

2° Proprietas convenit omni et soli. Atqui immanentia convenit etiam inorganicis, molécula enim pure materialis habet activitatem internam. Ergo immanentia non est vitæ proprietas.

Resp. : Concedo majorem. — Nego minorem et, ad ejus probationem, distinguo : Molécula materialis habet activitatem internam, quæ ordinatur ad perficiendum aliquid extrinsecum, concedo ; quæ ordinatur ad propriam perfectionem, nego, et nego conclusionem.

De ratione actionis immanentis est ut perficiat ipsum agens et in ipso terminetur. — Actio vero entis materialis non cedit in commodum et perfectionem ipsius, sed e contra fit cum deperditione propriæ cnergiæ. et ordinatur ad perficiendum aliquid cxtrinsecum.

X. — Scholion. De theoria quæ vult omnia entia vivere. Fuerunt ex veteribus nonnulli qui docuerint mundum ens esse perfecte unum ex corpore et anima constans, in quo omnia vivunt. Nulla inter diversa entia viget distinctio realis, nullum inter res organicas et inorganicas essentiale discrimen ; hinc tenendum est omnia reapse vivere. Non desunt etiam præsenti ævo scientifici qui mundum instar organismi concipiant, qui sese in diversis evolvit et in quo diversa uniuntur ac vivunt: hinc hylezoismus.

At theoria illa sufficienter exsufflatur tum ex confutatione .nonismi, I. P. Phil. Nat. Tract. I, q. I, tum ex dicendis infra de principio vitæ ac ejus distinctione a materia ; imo ex ipsa definitione vitæ hic exposita et vindicata. Vivens est substantia quæ ita se movet ut motus ipsam perficiat ac in ejus commodum cedat. At res inorganica non se ipsam perficit, sed ipsius motus in alterius cedit commodum. « Chez tous les corps bruts, n'importe quelle réaction chimique détruit les molécules préexistantes et les remplace par des molécules *différentes* (1). »

Cæterum, an organicis denegandam esse vitam evincitur eo quod in ipsis nulla deprehendatur manifestatio vitæ, nulla assimilatio, nulla immanentia, nullus insit apparatus, aut organon, aut systemata vitæ functionibus accommodatum ; nulla, ne rudis quidem, organizatio.

(1) Le Danteo, *Les limites du connaissable, la vie et les phénomènes naturels, p,* 70.

ARTICULUS TERTIUS.

CONSIDERATUR VITA SECUNDUM SUAM FINALITATEM SUOSQUE GRADUS.

I. — Ratio articuli. Vitæ notio, sicut cujuslibet rei, plene infertur ex consideratione quatuor causarum. De causa materiali vitæ sufficienter dictum est in primo articulo, ubi vita consideratur secundum respectum materialem, nempe chimicum et physiologicum ; de causa formali fuit præcedens articulus ; de formali simul et efficienti erit quæstio de origine vitæ. Congruum vero est ut quædam de causa finali breviter hic edisserantur. Perficitur tandem vitæ notio ex consideratione graduum in quibus participatur. Quocirca præsens instituitur articulus de vitæ finalitate et gradibus.

II. — De finalitate vît® vegetativas (1). Mira in singulis vegetativis functionibus deprehenditur tendentia et finalitas. In generatione duo principia distincta, femineum nempe quod ex φψυΐο constat et masculinum, spermatozoïde, ad invicem ordinantur, et simul tendunt ad unam cellulam efformandam, quæ est primitiva embryonis cellula. Hic non sistit tendentia, sed evolvitur cellula ad reproducendum determinatum typum, nempe naturam parentibus omnino similem. Imo etiam deprehenditur tendentia ad reproducendos quosdam parentum individuos characteres, quæ quidem finalitas in facto *hæreditalis* invicte ostenditur.

In nutntione deprehenditur tendentia, primo ad conservan-

(1) « Faisons maintenant une excursion dans le monde organique. *Les exemples de finalité y sont nombreux,* et la tâche de les mettre en lumière sera facile, après les belles études que M. Paul Vignon a consacrées au *Matérialisme scientifique* dans la *Revue de Philosophie* de 1904. » Db Lappa r e n t , *Science et apologétique,* p. 186.

dum vivens in esse individuali ; secundo ad convertendum alimentum in substantiam aliti; tertio ad praeparandum semen quod generationi inserviet. In augmentatione tandem est tendentia ad efformandam et conservandam debitam viventis quantitatem.

Illa vitæ vegetativæ finalités perfectius adhuc viget in animalibus et in homine. In his quippe nutritio ordinatur ad conservandum sensum tactus, quæ quidem conservatio fit per sumptionem alimenti. Ipse vero sensus tactus tendit ad conservandos cæteros sensus ; tactus enim est fundamentum quod omnes sensus supponunt et quo destructo pessumdantur cæteri ; ut passim docent Aristoteles et D. Thomas.

III.—Deflnalitate vitæ sensitiva». Altioris ordinis est tendentia sensationum : fit quidem propter viventis conservationem, sed excellentiori modo, nempe cognoscendo et discernendo ea quæ sunt utilia vel nociva. Quam finalitatem egregie exponunt Aristoteles et D. Thomas (1).

Sensatio tactus tendit ad cognoscenda et discernenda utilia vel nociva communia, ut sunt proxima et contigua, seu secundum quod *præsentialiter* offeruntur ; sensatio quidem visus et auditus utilia et nociva communia etiam remota et distantia, seu ea quæ *a remotis* offeruntur; sensatio vero gustus ad cognoscenda et discernenda utilia et nociva *specialia,* scilicet *alimenti conjuncti,* seu nociva ut sunt proxima et contigua ; sensatio demum olfactus ad cognoscenda et discernenda utilia et nociva *specialia,* scilicet *alimenti a remotis,* nempe nociva distantia.

Perfectior adhuc reperitur in homine hæc tendentia. Primo quidem ordinatur ad veritatem : adest enim in sensibus quaedam veritas quæ refertur ad veritatem intellectus, skut analogum ad summum analogatum. Secundo, non ordinatur ad quamlibet veritatem, sed ad prudentiam, et ad veritatem perfectam quæ inscientia comparatur. Dupliciter enim acquiritur scientia : et inventione et disciplina, et utrique necessaria est sensatio. Inventioni quidem praecipue inservit sensatio visus, disciplinae vero sensatio auditus

(1) *De sensu cl sensato.*

IV. — De finalltate vitæ intcllectivæ. In viventibus intellectivis deprehenditur tendentia quædam universalis, nempe ad universale verum et universale bonum. Facultas eorum cognoscitiva intendit omnia cognoscere, totumque ordinem universi quasi in seipsa describere, et omnia sibi assimilare, ut et ipsa divino intellectui assimiletur. Ex hac autem ordinatione ad verum universale, vehemens oritur inclinatio ad universale bonum. Consistit itaque demum perfectio vitæ intellectivæ in cognitione, amore et possessione universalis boni, in quo est ultima beatitudo.

Porro illius beatitudinis objectum non potest esse nisi cognoscibile et appetibile infinitum, scilicet Deus. Unde in summo vitæ intellectivæ est Deus, qui non habet finalitatem ad aliquid ulterius, sed est suus finis, suaque beatitudo.

V. — Finalitatis respectus maxime est attendendus in notione vitæ. Præter finalitatem singulis viventibus propriam est alia generalior finalitas. Vita enim vegetativa est propter vitam sensitivam, sicut constat vegetalia esse in subsidium animalium ; vita vero sensitiva est propter intellectivam, sicut videmus animalia homini inservire et sensus intellectui. Utraque finalitas, sed propria præsertim, est maxime attendenda in conceptu vitæ. Cum enim rei cujuslibet natura ex suo fine mensuretur, vitæ notio apprime colligitur ex sua tendentia et ordinatione ad finem.Inde etiam eruitur praestantia et nobilitas viventium, præsertim intellectivorum, in quibus adeo sublimis viget tendentia ; hinc pariter stabilitur veræ moralitatis fundamentum. Si enim vita nostra ordinatur ad verum et bonum universale, expendi tota debet in prosecutione hujus finis, nec aliquid agere licet quod nos a tanto bono removeat.

VI. — Triplici cx capite provenit ratio distinguendi gradus vitæ. Supposuimus triplicem esse vitam, nempe vegetativam, sensitivam et intellectivam. Res nunc est directe probanda. Cum autem in vita tria sint consideranda, motus ab intrinseco, immanentia, et objectum operationis, ex triplici capite desumendus est diversus viventium gradus.

VII.— Considerantur gradus vitæ ex parte motus ab intrinseco. Principia hujus considerationis traduntur ab Angelico (1).

Tria sunt quæ causant motum : exeeutio ipsius motus, tamquam principium immediatum, forma specifice determinans actionem, tamquam principium mediatum, finis tamquam principium remotum ; nam finis primo movet agentem, agens vero per formam exequitur actionem. Quanto ergo magis hæc tria intrinseca sunt moventibus et motis, tanto perfectior est vita. Atqui in plantis unum tantum ex his tribus est intrinsecum, cætera sunt extrínseca ; in animalibus vero duo sunt intrinseca, tertium extrinsecum ; in intellectivis demum hæc tina sunt intrinseca. Ergo triplex est gradus viventium : vegetaba infimum locum, sensitiva medium, intellectiva supremum obtinent.

Explicatur et demonstratur minor. — Plantæ habent quidem a seipsis exeeutionem motus,, nam ipsæmet motum exequuntur. Principium ergo immediatum est ipsis intrinsecum ; sed forma qua agunt et finis propter quem agunt determinatur eis a natura. Hinc vita vegetativa non est plene ab intrinseco, sed dici potest *provocata,* quatenus subditur multis agentibus externis, regiturque legibus physicis gravitationis, conservationis cnorgiæ, etc. Attamen conditionem mineralium multum excedit ; nam motus mineralium non vergit in commodum proprii subjecti,dum motus plantæ est cvolutivus propriumque subjectum perficit. —In animalibus vero et exeeutio et forma sunt ab ipsis,ipsa enim eliciuntmotum,etacquiruntpor sensum formam intentionalem, seu speciem sensibilem : ex cognitione autem et ex forma quam sibi pariunt per cognitionem diriguntur in agendo. « Non tamen per seipsa praestituunt sibi finem suæ operationis vel sui motus, sed est eis inditus a natura, cujus instinctu ad aliquid agendum moventur per formam sensu apprehensam. » Igitur animalia non sunt automata, habent actionem aliquatenus voluntariam, quæ est a principio intrinseco cum cognitione finis. At aliunde motus ipsorum non est simpliciter *causa sui,* non enim sese determinant per electionem, sed ad unum naturaliter coarctantur.— In intellectualibus

(1) I. P. q. 18, a. 3.

demum motus ab ipsis pendet, et quoad exccutioncin, et quoad formam et quoad finem ; cum enim cognoscant proportionem mediorum et finis, finem sibi præstituere valent ; sunt causs sui eligendo et sese libere determinando. Ergo intellectualia supremum vitæ gradum tenent.

Porro etiam in intellectualibus adsunt gradus. Quamvis enim homo et angelus moveant se quantum ad formam et finem, tamen aliqua sunt eis præstituta a natura, sicut principia prima circa quæ non possunt aliter se habere, et ultimus finis quem non possunt non velle ; nec sunt sibi ipsis suus finis. Unde, licet quantum ad aliquid moveant se, tamen oportet quod quantum ad aliqua ab alio moveantur. Ergo ille summum vitæ gradum obtinet qúi nullatenus ab alio determinatur, sed est suus motus, suaque forma, suusque finis. Deus porro est suus motus, nam intelligerc Dei est essentia divina ; est sua forma, nam species intelligibilis Dei est essentia divina ; est suus finis, nam finis Dei est essentia divina. Ergo in Deo maxime est vita, seu potius Deus est maxime vita.

VIII. —Considerantur gradus vitæ ex parte Immanente.

In plantis quidem operatio est immanens, quia remanet in eodem subjecto ; non tamen recipitur in eadem potentia a qua procedit. Id quidem in nutritione et augmento apparet, sed præsertim in generatione, in qua finaliter terminus extrinsecus invenitur, ut eleganter explicat D. Thomas (1). « Humor enim arboris primo ab arbore egrediens fit flos et tandem fructus ab arboris cortice discretus, sed ei colligatus, perfecto autem fructu, omnino ab arbore separatur, et in terram cadens, sementina virtute producit aliam plantam. » Sub alio etiam respectu operatio plantæ dici potest imperfecte immanens, nam humor, qui fit arbori intrinsecus, provenit áb extrínseco ; per radices a terra sumitur de qua planta suscipit nutrimentum.

In animalibus operatio est perfectius immanens. Non solum enim in eodem subjecto, sed etiam in eadem potentia a qua procedit, recipitur sensatio. Attamen subjectum sensationis non est facultas simplex, sed aliquid compositum, scilicet or-

ti) IV *Contra Gentiles,* cap. 11

ganismus. Ex qua parte est imperfecte immanens. — In intellectualibus vero operatio remanet in eodem subjecto, in eadem facultate, imo in principio simplici. Nam intellectio, etiam in homine, subjectatur in principio omnis compositionis materialis experti et absque ullo organi corporalis consortio elicitur.

Sub alio tamen respectu est incomplete immanens in creatis. Operatio quippe non est facultas, et facultas non est essentia. Perfecte igitur immanens est vita in eo cujus et operatio et facultas et essentia unum sunt. Id autem soli Deo competit. Ergo sub utroque vitæ respectu Deus maxime vivit.

IX. — Tertia ratio distinguendi vitæ gradus, scilicet objecti amplitudo. Quælibet operatio ex objecto specificatur: undo tot erunt species seu gradus vitæ quot sunt gradus in objecto operationis vitalis. Triplex porro est gradus in operationis vitalis objecto. Ergo triplex vitæ gradus.

Prob. min. Infimo gradu, invenitur objectum operationis vegetativæ, quod est maxime limitatum ; nam operationes vegetativæ versantur tantum circa corpus animæ unitum. Secundo gradu, est objectum vitæ sensitiva), quod est universalius, nam sensatio se extendit, non solum ad corpus animæ unitum, sed generaliter ad omne corpus sensibile. Supremo demum gradu, invenitur objectum vitæ intellectivæ, quod est adhuc universalius, imo et infinitum, nam objectum hujusmodi est, non solum omne corpus, sed uîiiversaliter omne ens.

X. —An gradus vitæ intellectivæ importet etiam distinctionem partium, quarum altera sit movens, altera mota. In plantis et animalibus liquido apparet esse partes moventes et motas ; sic in animalibus quædam organa sunt moventia, sicut cerebrum, cor, alia vero mota. In Deo, vita non est motus nisi latissimo sensu, prout designat omnem operationem, etiam perfectissimam, cui officit quæcumque distinctio partium moventium et motarum, sicut generaliter Deo repugnat quæcumque compositio. In angelis vero et anima humana invenitur etiam distinctio partium moventium et motarum. In illis quippe existentia distinguitur ab essentia, facultas operativa ab essentia, ipsa vero facultas differt tum ab

operatione, tum a forma qua fit cognitio, scilicet specie intelligibili. Sunt igitur in hujusmodi creaturis partes metaphysicæ, secundum quas possunt esse in potentia et in actu, mota et moventia.

Angelus est semper in actu respectu propriæ essentia?, quia essentia est secundum se intelligibilis et secundum se præsens intellectui. Quoad cætera vero intelligibilia, non est in potentia ad actum primum, scilicet species intelligibiles, cum inditas naturaliter susceperit ideas omnium rerum ordinis naturalis; insuper angelus semper aliquid actu intelligit. — Est tamen in potentia ad actum secundum, quia non omnia percipit actu; sub quo respectu movetur, quamvis sub alio respectu sit movens.

Anima vero humana prout corpori conjuncta, est in potentia ad actum primum. Non enim se intelligit per suam essentiam, quæ in præsenti statu non est actu intelligibilis respectu intellectus nostri. Quoad cætera vero se habet sicut tabula rasa in qua nihil scriptum est. Igitur multi sunt in anima nostra respectus secundum quos est in potentia et mota, quamvis sub aliis sit movens.

Inter animæ facultates aliae sunt moventes, aliæ motæ. Intellectus quoad specificationem movet voluntatem, praesentando illi proprium objectum ; at quoad exercitium movetur a voluntate, cujus munus est applicare cæteras facultates ad actum. Itaque, excepto Deo, universaliter verum est viventibus diversas competere partes, quarum alia est movens, alia mota. Et hæc consideratio maxime inservit generali vitae conceptui efformando.

XI.—Scholion.Dc vita creaturarum in Deo. Juxta quamdam interpretationem, sat celebrem, textus S. Joannis, in initio Evangelii, sic legendus est : *Omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil. Quod factum est in ipso vita erat.* Sic intellectus, pulcherrimum refert sensum, quem eleganter illustrant Augustinus et D. Thomas. Omnes creaturæ in Verbo continentur eminenter et secundum suam similitudinem. Possunt itaque considerari dupliciter : uno modo per comparationem ab Verbum, alio modo per comparationem ad res in propria natura existentes, et utroque modo similitudo creaturæ est vita.

Primo quidem modo. Nam esse quod habet res prout est movens seipsam ad operationem est vita ejus, quia vivere viventis est esse Atqui intelligere Dei est esse quod habet Deus prout movet se ipsum ad operationem; in Deo quippe intelligere et similitudo intellecta sunt idem cum esse. Ergo in Deo intelligere et similitudo intellecta sunt vita. Ergo creaturae secundum hanc comparationem sunt vita.

Secundo modo, nam similitudo creaturae est ipsa creatura secundum propriam rationem et naturam repræsonlata. Atqui similitudo creaturæ in Verbo est vita, sicut arca in mente artificis est vita. Ergo etiam hoc modo creatura est vita in Verbo: « Ex hoc quod similitudo creaturae in verbo est productiva et motiva creaturæ in propria natura existentis, quodammodo contingit ut creatura seipsam moveat, et ad esse perducat, in quantum scilicet producitur in esse, et movetur a sua similitudine in verbo existente. Et ita similitudo creaturae in verbo est quodammodo creaturæ vita (1). »

(1) Q.q. *Dispp.* q. IV. *De Veritate,* a. 7.

OTTÆSTIO SECUNDA

De principio vitæ in communi (1).

Cognito quid sit vita, investigandum est unde vita ropoti possit. Tria hic nobis sunt expendenda : de Organicismo, de Generatione spontanea, de Animismo.

ARTICULUS PRIMUS

DE ORGANICISMO

1. **— Quid organicismus? Ad** duas classes revocari possunt diversa philosophorum placita de natura principii vitalis : ad *materialismum* nempe et *animisinuin* ; materialismum, qui asserit vitam a materia vel materise viribus repetendam esse, animismum qui tenet principium vitale a materia et materiæ vilibus realiter distingui. Utrumque autem systema iterum subdividitur.

Materialismi diversæ formæ reducuntur ad *organicismiim,* qui ad omnia vitæ phænomena explicanda nihil aliud expostu-

(1) Consuli possunt ex philosophis S. Thomas, I. P. q. 75, a. 1; Joannes a S. Thoma, q. I. *De Anima;* Coconnier, *L'Ame humaine; Pescji,* Psychol. 1. P. ; Faroes, *La vie et l'évolution,* II; Mercier, *Psychol,* c. IL etc,

Ex scientiflcis Cuvier, *Le règne animal distribué d'après son organisation,* 1.1 ; Berzelius, *Chimie organique,* t. II ; Cl. Bernard, *Science expérimentale ;* Milne-Edwards, *Leçons de physiologie,* t. XIV ; Dastrb, *La Vie et la Mort;* A.Gauthier, *Chimie biologique, Chimie appliqués à la physiologie.*

lat nisi organismum ipsum. Duplex distinguitur organicismus : *mechanicus* nempe et *physico-chimicus.* In prima opinione organismus concipitur per modum machinæ perfecte ordinatæ, quæ legibus obedit mechanicis ; hinc per dispositionem et motum mechanicum organorum eliciuntur operationes vitales. Inter hujus systematis patronos eminet Cartesius, qui finxit plantas et animalia automata esse, machinas nempe inanimatas, sicut horologium vel organum (1). Sub organicismo mechanico continetur iatro-mechanismus, seu systema vitam ex viribus mechanicis repetens.

In organicismo autem physico-chimico organismus consideratur ut complexus molecularum jam viribus physicis et chimicis animatarum : ita ut vita sit ultima virium physicarum aut chimicarum inter se diversimode attemperatarum resultantia.

II —Prima conclusio : Organicismus mere mechanicus intrinsece repugnat.

Arg. Ium. — Corpus non est vivens aut vitæ principium secundum quod est corpus, alioquin omne corpus viveret. Ergo aliquod corpus est vivens, seu vitæ principium, in quantum tale. Atqui quod est actu tale habet hoc ab aliquo principio quod dicitur actus ejus. Ergo corpus habet quod sit vivens aut vitæ principium ab actu suo. Ergo vitæ principium non est corpus, sed actus seu forma corporis. Porro actus, seu forma, distinguitur realiter a materia, seu potentia. Ergo principium vitæ est .aliquid a corpore realiter distinctum (2).

Quod argumentum ut plene intelligatur, bene attendendum est Angelici principium : *Quod est actu tale habet hoc ab aliquo principio quod dicitur actus ejus,* sicut aqua fit actu calida per calorem, qui est actus ejus. Ut enim aliquid fiat tale actu, exposcit aliquod principium specificativum et determinativum quo præcise constituatur tale actu, secus erit tale in potentia tantum. Atqui principium specificativum, et determinativum est actus seu forma. Ergo quod est tale actu hoc habet ab actu

(1) Cf. Cartesius, *Traité de l'homme, Traité des passions.*

(2) I. P. q. 75. a. 1.

ejus. Sed actus distinguitur a potentia. Ergo et principium vitæ a materia.

Admittunt quidem adversarii corpus non esse vivens quatenus corpus; at contendunt organicistæ vivens fieri ex eo quod sit organizatum. At impossibile est ex sola dispositione organorum resultare vitam. Principium quippe vitæ est primum movens, seu primum principium motus in vivente. Porro organum ut quidem instrumentum exequens motum, sed non ut primus motor ; ipsum enim ab alio movetur et ita quidem ut aliquando in motu sit, aliquando in quiete. Ergo, præter organa, debet esse in vivente aliquod principium motus, seu aliquis primus motor qui causa sit cur organa modo in motu modo in quiete existant. Et revera, si sufficeret sola dispositio organorum ad progignendam vitam, quamdiu remanent organa integra, persisteret vita. At mors nonnunquam accidit absque ulla organorum læsione ; et e contra non raro perseverat vita organis læsis. Igitur præter organa est aliud principium motus in vivente. Sed iste motor nequit esse Deus. Nam Deus vivificat utique efficienter corpus, sed non formaliter, cum non possit Deus vices causæ formalis vel materialis gerere. Insuper ad Dei voluntatem recurrere, rejectis immediatis et internis principiis, est in purum putumque occasionalismum dilabi. Ergo istud principium est aliquid internum ab organis distinctum.

Arg. IIum. — Operatio vitalis est motus ab intrinseco et immanens. At principia organicismi mechanici excludunt motum ab intrinseco et immanentem. Ergo.

Prob. min. — Organicistæ comparant plantas et animalia automatis et machinis, et motum vitalem motui horologii. Quemadmodum, aiunt, motus horologii dici potest intrinse cus, quia ipsum horologium movetur et habet intra seipsum principium sui motus, ita viventia dici possunt ab intrinseco se movere.

Sed hæc perperam omnino in medium proferuntur. Motus quippe horologii communicatur ab exteriori agente ; nec alias exserit vires nisi quas deprompsit agens in instaurando horologio. Ergo motus horologii est ab extrínseco motore. Insuper, horologium non habet in se virtutem sese reficiendi et reparandi, nec se ipsum suo motu perficit, sed suo paulatim deteriora-

tur motu. E contra vivens vim in se habet seipsum evolvendi, perficiendi, imo et reficiendi, et ex ipso suo motu commodum reportat. Actio ergo vitalis et motus mechanicus c regione opponuntur.

Arg. IIIum. — Dato quod organismus sufficeret ad gignendam vitam, nondum difficultas evanesceret. Corpus vivit quia est organizatum, transeat; at qua ratione fit organizatum ? Materia certe non habet a se quod sit organízate, ut ex primo argumento conclusum est. Imo, vis quæ organismum efficit est supra materiam, quippe quæ materiam regit et sibi subordinai, atque, non obstante materiæ diffusione et perpetuo fluxu, largitur organismo unitatem, stabilitatem : ipsum conservat, ipsum auget, ipsumque reparat, si casu fuerit læsum. Ergo non organismus virtutem vitalem, sed ipsa virtus vitalis organismum producit et conservat et reparat.

III.— Secunda conclusio : Falsus est etiam organicismus physico-chiinlcus, juxta quem vita est resultantia virium physicarum et chlmiearum.

Concedimus adversariis vitæ vegetalivæ principium non esse immateriale, vivens organicum legibus physicis et chimicis subjici, sicut energeticæ, nec negamus esse in vita reactionem quamdam ; at contendimus vitæ proprietates esse a viribus mere physicis et chimicis distinctas ipsisque superiores.

Ars potest quidem substantias quasdam efformare, quæ sunt in viventibus et quæ vera vita non gaudent, nimirum substantias quæ dicuntur *organicæ* ; at nunquam reproducere valet ipsas substantias viventes, quæ dicuntur *organízate.* Pariter chimia imitatur materialiter digestionem ; non vero opera propria et distinctiva viventium, ut est assimilatio. Itaque sic arguimus : Tria in viventibus considerari possunt : I0) ipsæ res quas vita progignit; 2°) modus, seu processus, quo illas producit ; 3°) organa quibus illas efformat. Atqui vires physicæ et chimicæ neque ipsas res, neque processum, neque organa imitari possunt. Ergo vires physicæ et chimicæ impares omnino sunt vitæ phenomenis explicandis.

Prob.min. per partes. I0 Quoad res ipsas. Quid efficere possit chimia haud plene constat. Potestne efformare principia immediata viventium ? Non concedunt omnes, nam principia a vi-

ventibus elaborata virtute quadam rotatoria gaudent qua penitus carent producta chimica. (Conferantur physici, chimici et physiologi). Quidquid sit de illis factis obscuris et dubiis, et dato etiam ab arte reproduci posse principia immediata, certum est saltem rem ipsam viventem, v. g., florem, fructum, ovum virtute seminali præditum, a chimia nunquam effici, ut testatur Cl. Bernard. Pariter, licet ars reproducere possit nutritionem quantum ad chimica illius phænomena, nunquam efficiet id quod est in nutritiono *vitali* præcipuum et charactoristicum, scilicet *assimilationem* et conversionem in substantiam aliti.

2°) Quoad processum. Ars nonnisi sub valido electricitatis influxu cum intensisssimo calore opera chimica efficit ; vita vero suaviter absque violentia, non obstantibus temperiei varietatibus, opera sua mirabiliter elaborat.

3°) Quoad organa. Ars omnino imparem se profitetur organis vitæ reproducendis ; nunquam efficiet cellulam, texturam vitalem, nervum, musculum, fibras et vascula. Placet quœdam testimonia exscribere : « Jamais, ait Berthelot, le chimiste ne prétendra former dans son laboratoire, avec les seuls instruments dont il dispose, une feuille, un fruit, un muscle, un organe. Ce sont là des questions qui relèvent de la physiologie (1). » Cl. Bernard : « Il est clair que cette propriété évolutive de l'œuf, qui produira un mammifère, un oiseau ou un poisson, n'est ni de la physique ni de la chimie (2). »

IV. — Vanum effugium semi-organicismi. Quidam semi-organicistæ, ut Haller, Broussais, Bichat admittunt in organismo quasdam proprietates vitales a materiæ viribus distinctas, ex quibus vitam repetunt. Alii *irritabilitatem,* tantum, alii *sensibilitatem* et *contractibilitatem,* alii plures alias gratuito ponunt. Sed, omissis aliis argumentis, sufficiat animadvertero auctores illos in circulum vitiosum incidere. Vita procedit ex proprietatibus vitalibus, proprietates autem vitales ex dispositione organica. Sed ipsa dispositio organica inter

(1) *Science et philosophie,* p. 50.

(2) *La science expérimentale,* p. 209.

præcipua vitæ phænomena recensetur. Ergo ipsa ex proprietatibus vitalibus repetenda est; ergo idem per idem explicatur.

V. — Generalis confutatio organicismi.

Ut hæc omnia paucis resumantur, instauramus argumentum generale quod evertit organicismum sub quacumque forma proponatur.

Principium vitæ est distinctum a materia et supra materiam si proprietates viventium sint distinct» a materiæ viribus, eisque superiores. Atqui vitæ proprietates 1°) sunt distinctae a materiæ proprietatibus, 2°) sunt ipsis superiores. Ergo.

Probatur minor per partes. 1°) Viventium proprietates esse distinctas a proprietatibus materiæ ostendunt omnia argumenta hucusque allata. Probatur insuper ratione physiologica simul et philosophica.

Omne vivens oritur ex cellula quæ seipsam intrinsece evolvit. Nullum autem corpus inorganicum, ne ipse quidem crystallus,originatur secundum se totum ex aliqua molécula primitiva quæ seipsam evolvat. Ergo proprietates viventium et proprietates inorganicorum omnino discriminantur. — Explicatur minor. In crystallis non est proprie dicta evolutio ; crystallus quippe non sibi ipse acquirit suam formam, sed forma ab initio tota in crystallo præexistit. Potest quidem crescere, sed per molecularum juxtapositionem, et crescendo non seipsum evolvit aut perficit, sed sibimetipsi,in toto suo processu similis persistit. Sic crystallus reparat quidem suas partes si fuerint læsæ, at pars læsa reficitur per meram juxtapositionem, perinde ac si adjungcretur .novus crystallus, non autem per intrinsecam ipsius formæ vel structurae modificationem, quemadmodum fit in viventibus.

2°) Proprietates viventium sunt superiores. Quinque sunt in quibus inorganica a viventibus superantur.

I0) Vivens elaborat suum organismum ; 2°) assimilât sibi elementa ; 3°) generat simile sibi ; 4°) movet se ab intrinseco ; 5°) habet actionem immanentem. — Physiologist», et in primis Cl. Bernard, vitam vocant *creationem,* hoc sensu nempe quod vivens seipsum efficiat, seipsum disponat : verbo, seipsum organizet. Minerale autem efficitur ab alio. At nobilius et superius est seipsum efficere, quam ab alio effici. 2° Vivens

proprie sibi assimilât elementa, non autem corpus inorganicum. In vivente « avec les débris des molécules détruites, et en même temps qu'elle se détruisent,il se reconsti tue une quantité plus considérable de molécules *identiques.* Au contraire, chez tous les corps bruts, n'importe quelle réaction chimique détruit les molécules préexistantes et les remplace par des molécules *différentes* (1). » 3° Viventia quodammodo aeternitatem Dei simul et fœcunditatem participant, generando sibi simile : hac ratione vivens perpetuitatem habet, quia superstes est per aliquid sui in generato. Vita in vitam transit, vita in vita supervivit. Molécula vero materialis nec oritur a parente simili nec in genito persistit. — Duas posteriores conditiones fusius jam expendimus. Vivens se movet, se agit ; inorganicum vero agitur, movetur ab alio, vel a generante, vel a violentia, vel quando est extra connaturalem dispositionem. Tandem vivens per actionem suam immanentem se perficit ; molécula autem materialis per actionem suam transeuntem consumitur, et proprias deperdit vires et energias. A longiori expositione supersedemus, no iterum actum agamus.

VI. — Solvuntur difficultates. I0) Vita residet in organismo. At quod in organismo residet, ex organismo procedit. Ergo vita ex organismo repetitur.

Resp. : Disting. minor.: — Quod residet in organismo ab illo procedit tamquam causa materiali, seu subjecto, concedo ; tamquam principio formali vel efficienti, nego. Disting. coiy cius. : Ergo vita procedit ex organismo .tamquam causa materiali ct subjecto, concedo ; tamquam principio formali, **vel** efficienti', nego.

Aliud est organa et organorum dispositionem requiri ad functiones vitales, aliud vero organa eorumque dispositionem esse principium formale vel efficiens a quo vita repetatur. Primum fatemur, imo vehementer asserimus, vitam nempe vegetativam et sensitivam in ipso organismo subjectari ; alterum vero impossibile esse ostendunt et ratio et facta.

(1) Le Dantec. *Les limites du connaissable, la vie et les phénomènes naturels,* p. 70.

2°) Vires physicæ et chimicæ scse evidenter produnt in viventibus organicis. Ergo vita organica per hujusmodi Aires explicari potest et debet.

Resp. : — Non negamus vires physico-chimicas in viventibus organicis reperiri, quinimo ponimus illas esse necessarias et inservire animae vegetativa ad operandum. Hoc unum volumus, nempe præfatas vires non esse primum et formale vita principium, sed esse instrumenta quæ a principio vitali elevantur, ut illi inserviant. Assertum nostrum ex eo probavimus quod proprietates vitæ sint ab hujusmodi viribus diversae, eisque superiores.

3°) Si principium vitae est supra materiam, est spirituale. Atqui principium vitæ spirituale est anima rationalis. Ergo plantis concedenda erit anima rationalis, quod absonum est.

Resp. : Si principium vitæ est supra materiam, id est, ordinem materialem, est spirituale, concedo ; supra materiam, id est, corpus ut sic aut vires mechanicas, physicas et chimicas, est spirituale, nego ; et nego conseq.

Dum propugnamus vitæ principium non esse materiam, hoc unum intendimus, vitale principium esse formam ordinis superioris, non autem meram organizationem, nec solum vires physicas aut mechanicas sibi ipsis relictas ; at aliunde tenemus formam illam intra ordinem materialem concludi, de materiæ potentia educi, a materia in esse et conservari pendere : quæ materialitas diversa est in vegetativis et in brutis, ut exponetur infra, q. III. a. III.n.II. Organicismum quidem respuimus, sed aliunde a falso animismo abstinemus. Gf.a. III hujus quæst.

ARTICULUS SECUNDUS

DE GENERATIONE SPONTANEA,

I. — Principium vitæ efficiens non est materia.

In praecedenti articulo ostensum est principium formale viventium non esse materiam ; quæstio nunc movetur dc principio efficienti. Porro, si vita non est a materia tanquam principio formali, inde necessario sequitur principium vitæ efficiens non esse materiam. Nihil quippe agit extra genus suum. Atqui vita est ultra genus materiæ sibi suisque viribus relictae. Ergo materia non potest agere in vitam seu vitam progignere. Hinc fluit axioma philosophicum simul et physiologicum : *Omne. vivum ex vivo,*

Repugnatne tamen vitam ex sola materia oriri ? negative respondent generationis spontaneae defensores.

II. — Quid generatio spontanea. Origo viventis a vivente, a principio conjuncto in similitudinem naturæ, vocatur *homæogenesis* (ὁμοιο , similis, yeveutg, generatio). Generatio autem spontanea est origo viventis a non vivente, vel a vivente non simili in specie ; seu, aliis verbis, origo viventis absque semine suæ speciei. Vocatur etiam : *heterogenesis*) *abiogenesis,* (α, sine; /ft'off,vita) *generatio æquivoca,* vel, ut dicit Hæckel, *archæogonia.*

Multi sunt in præfata theoria gradus. Io) Evolutionistæ, ut Moleschott, Büchner, Hæckel, etc., generationem spontaneam in sensu universalissimo tuentur, ita 'ut omnia viventia, ne homine quidem excepto, ex prima monera inorganica orta sint. — 2°) Communis fuit olim opinio ammalia imperfecta, ut vermes, muscas, apes, ex putrefactione absque proprio semine progigni. Quam sententiam refert Virgilius:

« Interea teneris tepefactus in ossibus humor
» Aestuat, et visenda modis animalia miris (1). »

3°) Juxta theoriam quæ dicitur *xenogenesis (ξέι* o», hospes) parasita generantur a viventibus specie diversis in quibus vivunt. Sunt autem parasita viventia quæ ex aliorum viventium substantia nutriuntur. Alia sunt parasita cutis, ut insecta, alia intestinorum, ut vermes ; alia totum organismum impetunt, ut microbii.

4°) Theoria *hemiorganismi* vult vitam repeti posse ex materia, non quidem bruta et inerti, sed semiorganica, quæ spontanee fit totaliter et perfecte organica.

5°) Tandem est theoria quæ dicitur *necrogenesis.* Buffon, leibnitziano systemate de monadibus innixus, statuit duas esso monadum species, viventes nempe et non viventes ; generationem vero novarum substantiarum fieri per aggregationem monadum viventium, causam autem quæ monades tali vel tali modo aggregat esse formam internam (moule intérieur). Igitur generatio vermium, ac caeterorum parasitorum, ex moleculis seu monadibus viventibus præexistentibus, quæ novo modo aggregantur, procedit.

III.—Conclusio: Generationi spontanea), sub quacumque forma propositæ, repugnant facta scientifica. — Primum celeberrimum factum observatum fuit a Francisco Redi, Florentiae, 1668. Duo carnis fragmenta, unum quidem linea nebula coopertum, alterum sine velo, in eodem loco constituit. Evenit autem ut in fragmento aeri exposito nascerentur vermes, non autem in altero. Hinc conclusum fuit generationem in uno contigisse ex ovis muscarum, in alio vero non potuisse contingere defectu ovorum, quorum ingressus velo impediebatur. Swanmerdam et Réaumur ostenderunt apes, quarum generatio a veteribus spontanea reputabatur, ex ovis oriri. Experimenta vero omnino convincentia habita sunt a Schwann, Van Beneden, Pasteur, Tyndall. Nonnulla ex Pasteur experimentis sunt hic breviter recolenda.

Ostendit scientia innumera existere *infusoria,* tenuissimos nempe organismos, seu vitalia germina, quæ per aerem voli-

ti) *Geòrgie. VI, MM,* 309.

tant et vagantur. Præfata porro germina esse generationum causam asserebat Pasteur, negabat Pouchet. Liquidum nutritionl ac generationi germinum aptum infundit Pasteur in globulo vitreo, ac perfectissime occlusum calefacit usque ad centum gradus, adeo ut omnia germina penitus deleantur. Quo peracto, nunquam contingit generatio. Si vero globulus aperiatur et aerem recipiat, illico liquidum viventia progignit. Manifesta igitur fuit conclusio viventia nunquam absque seminibus, seu ovis generari. — Aliis factis confutavit Pasteur' hemiorganismum, ostendendo propriam cujusvis fermentationis causam esse agens quoddam vivum, quod baccillum dixere. Nascentes ramos operculo contexit ut essent a germinibus incolumes. Porro racemi fuerunt fermentationis incapaces, nec jus ab ipsis expressum evasit vinum. Ex quibus liquet nunquam sine germinibus contingere fermentationem (1).

Hinc confutantur tum theoria de generatione spontanea proprie dicta, tum hemiorganismus, tum etiam xenogenesis. Aliæ insuper observationes probant parasita oriri a viventibus in specie similibus, et ipsis competere organa genitalia ad speciem transmitttendam. — Ad necrogenesim quod attinet, breviter animadvertimus infundatam esse distinctionem monadum viventium et non viventium, cum scientia ostendat materiam inorganicam sub vitæ influxu elevari et fieri viventem. Sic in nutritione animal sibi materiam inorganicam vitaliter assimilât. Falsum est pariter animalcula generata resultare ex moleculis praeexistentibus in priori organismo, nam, teste Milne Edwards, structura animalculorum a structura molecularum præexistentium totaliter differt. « Et dans l'état actuel

(1) Aliud experimentum sic refert D. Cochin ; « Il trouva moyen de puiser le jus dans le grain du raisin sans le mettre en contact avec les cellules de levure qu'il savait adhérer à la pulpe, le grain était soigneusement lavé avec un pinceau. Un tube de verre, effilé par un bout, fermé à l'autre par un tampon de ouate, préalablement flambé, c'est-à-dire porté à 120 degrés pour être débarrassé des germes qui pouvaient adhérer au verre ou au coton, servait à aspirer le jus par un petit trou fait à l'enveloppe du grain. La pointe effilée était aussitôt refermée à la lampe, et le liquide *se conservait intact et sans fermentation. » L'Eoalution et la Vie, page 225.*

de la science rien ne vient à l'appui de l'hypothèse de leur production par nécrogénésie (1). »

Quæ vero adduntur de forma interna *(moule intérieur),* gratuita sunt, et communiter a scientifîcis hodie rejiciuntur.

Concludamus ergo cum Milne-Edwards : « *Les êtres organisés, dans Vélat actuel de notre globe, reçoivent toujours la vie de corps déjà vivants, et, grands ou petits, ne naissent pas sans avoir des ancêtres* (2) ».

IV. — **Quomodo incœperit vita in orbe.** Ex una parte constat vitam non semper in orbe extitisse, sed ipsi prævium fuisse periodum azoicam; aliunde scimus non incœpisse per generationem spontaneam. Restat igitur ut per aliquem Dei interventum incœperit.Diversimode autem potest hic interventus explicari. Vel immediate Deus ex materia inorganica omnes viventium species produxit ; vel unam aut paucas tantum immediate creavit, illis tamen infundens activam virtutem qua possent sese evolvere et ad formas superiores pertingere, juxta ea quæ de evolutionismo tradidimus (3). Quamvis primam sententiam probabiliorem ducamus, liberum est viro catholico aliam defendere, dummodo in vitæ initio divinus admittatur interventus.

V. —An metaphysice repugnet omnis generatio spontanea. Generatio spontanea in sensu evolutionis passivae absque ullo divino influxu intrinsece repugnat. Metaphysice enim impossibile est existera effectum simpliciter causa præstantiorem. Atqui productio vitæ in diversis speciebus est effectus simpliciter præstantior materia bruta, excedensque totaliter genus materiae brutæ cæcis et irrationabilibus causis relicta?. Ergo metaphysice impossibile est vitam et species

(1) « Il y a peu d'années les doctrines darwinistes paraissaient en pleine faveur. En ce moment, c'est à qui les désertera pour revenir à des conceptions voisines de celles de Lamarck, et qui ne diffèrent guère que par des nuances de l'ancienne notion des créations successives ; en ce sens que nombre de modifications apparaissent avec une soudaineté qui exdut la notion d'un *processus* général pour lui substituer l'intervention de causes actives. » De Lapparent, *Science et Apologétique,* p. 243.

(2) Milne-Edwabds, *Leçons sur la physiologie,* t. VIII, p. 278.

3) I. P. *Phil. Nat.* Tract. III, q. III. a. II.

spontanee oriri ex materia bruta, caecis et irrationabilibus causis relictæ ; sicut impossibile est aliquid extra genus proprium transilire.

Aliquo tamen sensu possibilis est generatio spontanea, nempe in sensu evolutionis activæ : non enim implicat ut quod virtute in alio continetur fiat actu per spontaneam evolutionem, seu per *naturalem* transitum de potentia in actum. Sed potuisset efficere Deus ut vita contineretur in materia virtute et quasi seminaliter. Ergo tunc non implicaret vitam spontanee ex materia, per naturalem transitum de potentia in actum, oriri.

Objicies : Dictum est nullum ens agere ultra genus suum. Atqui vita est ultra genus matoriæ. Ergo in nulla hypothesi potest vita ex materia progigni.

— Resp. : Disting. min. : Vita intellectiva est ultra genus matoriæ. concedo ; vita vegetativa et sensitiva, subdist : est ultra genus materiæ brutæ sibi tantum relictæ, concedo ; materiæ autem virtualiter et seminaliter continentis vitam, nego. Disting. conclus. : In nulla hypothesi potest vita intellectiva ex materia oriri, concedo ; vita vegetativa et sensitiva, nego.

Metaphysice sane repugnat vitam intellectivam, quæ a materia independens est in esse et operari, a materia procedere. Vita vero vegetativa et sensitiva, quamvis sint ultra genus materiæ brutæ solis chimicis vel physicis viribus relictæ, ut præcedenti articulo ostensum est, sunt tamen ordinis materialis, et posset Deus infundere materiæ virtutem quamdam activam quæ in potentia præfatam vitam contineret. Tunc vero materia non ageret ultra genus suum, sed vita oriretur *ex virtute primitus materiæ a Deo collata* Igitur generatio spontanea in sensu scholasticorum, etsi de facto non detur, nullam in suo conceptu metaphysicam involvit repugnantiam.

VI. — Be **transmissione vitæ.** Cognito quomodo incœperit vita, inquirendum remanet quomodo vita de generante in genitum transmittatur. Primo offendimus sententiam de *praeexistentia germinum* quam propugnant Leibnitzius, Perrault, Buffon, Cuvier, nempe : singula prima individua singularum specierum in se actu continent germina alia in aliis inserta omnium individuorum in hac specie futurorum..

Sed id manifestam involvit impossibilitatem, nam germina generatorum nimiam efformant molem, qua primum generans obrueretur, præsertim si agitur de quibusdam piscibus, qui in immensum multiplicantur. Aliunde, si generatum non efficitur per actionem generantis, sed in ipso continetur actu, nulla datur vora generatio. A posteriori autem ostendit physiologia formam generati non contineri actu in semine, sed generatum paulatim a primo et imperfecto rudimento, quod dicitur *punctum saliens,* usque ad formam completam evolvi.

Vera igitur est *epigenesis,* juxta quam vivens oritur ex vivente per actionem generativam ; elementum nempe femineum, *ooulum,* et elementum masculinum, *spermaiozoida,* in unum coeunt ad efformandam primam embryonis cellulam, quae paulatim evolvitur; hinc progressive formantur organa incipiendo a corde. Nonnulla addentur infra de potentia generativa.

ARTICULUS TERTIUS.

BE ANIMISMO (1).

I. — Falsæ animismi formæ. Constat ex praecedentibus vitæ principium esse a materia distinctum eaque superius. Doctrina quæ vitam repetit a principio, seu anima, materiæ viribus præstantiori, dicitur *animismus.* Sed inter animistas nonnulli in gravissimos delapsi sunt errores. Quidam plantis animam rationalem concessero, sicut Empedocles, Anaxagoras et praesertim Manichaei, qui reum homicidii pronuntiabant hominem qui folium vel ramum ex arbore avelleret. Plato vocabat plantas animalia, quæ solum tertiam animæ speciem, nempe quæ concupiscit, participant. Sententiae simili, vi sui systematis de monadibus, adhæret Leibnitzius. Perrault, in Gallia, Stahl, in Germania, dogmatizarunt principium vitæ vegetativæ in homine esse animam ut rationalem.

In his erroribus refutandis non immoramur.Anima enim est quae speciem largitur. Ergo, si anima vegetalium esset rationalis vel sensitiva, planta jam non foret planta, sed animal vel homo.Cæterum,si plantae animam suscipiunt sensitivam, debent sentire (2). Porro sensatio, nedum sit plantis utilis, esset nociva, quia tunc ipsæ a frigore, calore, etc., paterentur ; insuper, apprehenderent malum, nec tamen possent aufugere, sicut animalia.

Demum, plantæ carent instrumentis sensationis, signanter

(1) Consuli possunt Aristóteles i et n *De Anima;* D. Thomas, *Comm, in Arìstot.* Cajetanus, *Comm,* in lib. II *De Anima,* cap. I.; Bannez, *Comm.* in I. P. q. 75 Joannes a S. Thoma, *Phil. Nat.* IIi P. q. I.; Bouillier, *Le principe vital et Vàme pensante ;* Coconnier, *Vâme humaine ;* Faroes, *La vie et révolution,* etc.; Pesch, *Psychol,* disp. I, sect. I-IV.

(2) Sensibilitatem quamdam organicam (non tamen animalem) brutis concedit Bichat, *Recherches physiologiques sur la vie et la mort,* I. P. a. 8.

systemate nerveo : nec morphologice nec physiologice instructs sunt ad sentiendum, organa quippe et functiones sensationis sunt diversa) et superioris naturæ. In homine vero, si principium vitæ vegetativas esset anima ut rationalis, operationes vegetativæ forent rationales, voluntaria), liberæ, ideoque imputaretur homini quod bene vel male digerat, quod multum vel parum augescat, etc.

IL —**De animismo tempci'ato.** Rejecto animismo exaggerato, confugimus ad animismum peripateticum. Porro apud Aristotelem et scholasticos axioma est : ***In viventibus vivere est esse :*** nimirum, idem est principium esse et principium vitæ Re enim vera, vivens est unum individuum, imum quideiu per se, non vero per accidens tantum. At ex duobus entibus actu non fit unum per se, quia unumquodque est jam ens simpliciter et completum. Ergo in vivente non sunt duo actus substanti·des:altor quo fieret ens,alter quo fieret vivens,sed per eumdem actum substantialem constituitur in esse et in vivere. Illud porro quo ens ponitur in esse est forma substantialis. Itaque principium vitæ in viventibus est forma substantialis ipsa.

Sed « considerandum est quod quanto forma est nobilior, tanto magis dominatur materiæ corporali et minus ei immergitur et magis sua operatione vel virtute excedit eam. Et quanto magis proceditur in nobilitate formarum tanto magis invenitur virtus formæ materiam elementarum excedere, sicut anima vegetabilis plus quam forma elementaris, et anima sensibilis plus quam anima vegetabilis. Anima autem humana est ultima in nobilitate formarum (1). »

Anima igitur viventium est quidem forma, sed forma superioris ordinis,largiens esse nobilius et magis a materia independeos quam esse illud quod a forma elementari procedit.

III. — Animæ definitio. Ex omnibus disputatis colligere fas est optimam esse animæ definitionem quam expressit Aristoteles : *Anima est actus primus corporis physici, organici, potentia vitam habentis* (2). *Est* Io) *actus,* nam ostensum est animam ne-

ti) I. P. q. 76, a. 1.
(2) II. *De Anima,* c. I.

que materiam esse ncque corpus: restat ut sit corporis actus. — 2°) *Actus primus* seu substantialis. Anima enim est principium quo viventia a non viventibus distinguuntur. At viventia discriminantur a non viventibus non accidentaliter sed essentialiter. Ergo anima non est actus accidentalis, sed substantialis. Actus vero primus est forma. Ex quo concludimus animam esse formam substantialem. Non tamen formam quamcumque, sed formam *corporis physici, potentia vitam habentis.* His verbis distinguitur a formis subsistentibus, a forma elementari, et a formis artificialibus vel mathematicis.— 3°) Vox *corporis* dupliciter intelligitur. Primo quidem pro ipsa materia prima quæ est immediate capax formæ corporeæ, et hoc modo anima a cæteris formis non discreparet.

Secundo, sumitur, non pro materia prima nuda, sed pro materia formata gradu corporcitatis. Licet enim anima eaquo sola conferat immediate materiæ esse corporeum, si tamen consideratur formaliter ut anima, supponit in materia gradum corporis, non quidem ab alia forma sed a seipsa præstitum. Anima quippe spectari potest ut forma, seu ut largiens esse corporeum, vel reduplicative ut anima, præstans esso animatum. Hic sumitur reduplicative ut anima, nempe ut confert esse vivens. Et hoc modo supponit corpus constitutum a seipsa ut forma ; prius enim concipitur materia constituta in ratione corporis simpliciter, quam in ratione corporis viventis. 4°) *Organici.* Duo porro requiruntur ad rationem corporis organizati : I0 ut partes corporis sint animatæ per informationem animæ; 2° ut dissimilares inter se sint, quo pacto differunt omnino a partibus corporis mineralis, quod est omnino homogeneum.— 5°) *potentia vitam habentis.* « Corpus organicum, ait Joannes a S. Thoma, etiam postquam animatum est, ad hoc habet organa, ut vitales operationes per illa exerceat, et sic potentia habet vitam, id est habet in actu primo potentiam ad vitales operationes (1). »

IV. Uberior explicatio præfatæ definitionis.

I0) Actus. — Jam ostendimus animam esse actum primum, seu formam, quod iterum plenissime probabitur in tractatu

(l)Phil.Nta. III. P. q. I. a. I.

de anima rationali. Placet tamen recolere hic breviter argumentum quo evincit Philosophus animam esse actum primum, seu formam.Id quod est viventibus primum ac formale vivendi principium est eorum forma, seu actus primus'. Atqui anima est viventibus primum ac formale vivendi principium. Ergo anima est eorum forma substantialis, seu actus primus.

Ostenditur minor. Viventia dicuntur vivere et corpore et anima, sed corpore ratione alterius, nempe ut habente animam, anima vero ratione sui. Atqui id quo viventia dicuntur vivere primo et ratione sui est primum vivendi principium, sicut id quo primo et ratione sui aliquid operatur est primum operandi principium. Ergo anima est primum vivendi principium. — 2°) Corpus *physicum,* seu naturale, distinguitur tum a corpore mathematico, quod est trina dimensio ; tum a corpore artificiali, sicut est turris vel domus. — 3°) *Organizatio* sumi potest accidcntaliter et substantialiter. Accidcntaliter pro dispositione partium organicarum, secundum quod talem suscipiunt quantitatem, figuram vel alias qualitates. Differre autem accidentaliter inter se partes organicas evidcntissimum est, cum diversis afficiantur accidentibus. Imo aliqua ratione differunt substantialiter, non hoc quidem sensu quod diversam habeant formam substantialem (si quidem una est forma substantialis in uno composito) ; sed hoc sensu quod informatio substantialis ejusdem animæ diversimode afficiat diversas partes, aliter ossa, aliter organa, aliter cor, aliter cerebrum, etc.

Organizatio substantialiter sumpta in hoc consistit quod organicæ partes sint substantialiter informata} ab anima, a qua desumunt speciem, ita ut in cadavere præfatæ partes non dicantur tales nisi æquivoce, sicut caro mortui non dicitur caro nisi æquivoce. Porro aristotelica definitio utroque modo intelligitur, de organizatione substantiali et accidentali ; utrumque enim ex informatione animæ sequitur, et ut partes organicæ sint animatæ per informationem animæ, et ut habeant dispositionem et accidentia sibi debita et convenientia (1).

4°) *Potentia vitam habentis.* — Multipliciter id accipi po-

(1) Cf. Joannes a S. Thoma, loe. cìt.

test. Primo, pro potentia proxima ad vitam substantialem, ut intelligatur corpus organizatum esse in dispositione proxima ad recipiendam formam vitalem, non autem sicut cadaver, nec sicut germen inanimatum, quod solum est remote dispositum ad animæ receptionem. Vel etiam sensus esse potest corpus non habere vitam actu et per seipsum, sed comparari ad animam sicut potentiam ad actum. Communiter tamen et proprie sumitur pro vita accidentali, seu operatione vitali, quæ est vita in actu secundo. Unde in præsenti vita non designat ipsum esse viventis, nam illud esse est in corpore organico *actu»* non *potentia;* sed vitalem operationem ad quam corpus etiam animatum est in potentia,sicut existens in actu primo adhuc remanet in potentia ad actum secundum. Aliis verbis, corpus organicum habet actu principium operationis, sed non habet actu exercitium operationis ; quemadmodum oculus dormientis habet actu principium operationis visivæ, ted non exercitium visionis.

V. — **Alia definitio.** Praecedentem definitionem explicavit Aristoteles per aliam, quæ etiam animæ humanæ competit : *Anima est id quo primo vivimus, sentimus, movemur et intelligimus* (1). *Id quo primo,* id est radicale et substantiale principium, nempe actus primus, seu forma substantialis. — *Vivimus, sentimus* et *intelligimus,* ut assignentur omnes vitæ gradus : vegetativus. nempe sensitivus et intellectivus. — *Movemur,* ut appareat animam esse principium locomotionis et etiam appetitionis, quia potentia locomotiva est appetitus executive.

Definitio accommodari potest cuilibet speciei animarum, ut sensus sit : Anima praestat aliquem cx praefatis gradibus ; λ el est principium vivendi in quibusdam ; vel simul vivendi et sentiendi in aliis ; vel vivendi, sentiendi et intelligendi, propter suam eminentiam, in aliis. Applicata homini sic redditur : Anima est id quo vivimus ut vegetativi, quo sentimus ut animati, quo intelligimus ut homines.

Utraque definitio est essentialis, quia per id traditur quod essentiale et intrinsecum est, nempe esse actum primum et

(1) II *De Anima,* c. II.

formam substantialem : *actus primus, id quo primo :* utraque tamen connotât aliquid extrinsecum, nempe effectum, seu operationem : *potentia vitam habentis ; vivimus, sentimus, intelligimus.*

VI. — An anima sit aliquid completum in genere substan-tiae. Omnis anima , utpote actus substantialis , aliqua ratione vocari potest substantia (1). Secundum se tamen non est directe in genere substantiae. Illa quippe in genere ponuntur quæ sunt composita vel formæ complétas. Porro anima non est compositum, ut patet ; nec etiam est forma completa, quod breviter ostenditur : Anima est actus essentialiter ordinatus ad corpus, ut ex utriusque unione coalescat unum perse. Atqui nulla forma completa essentialiter ordinatur ad corpus ad efformandum cum co unum per se ; sed, si forte alicui corpori conjungatur, unum tantum per accidens resultat. Ergo anima est substantia incompleta, saltem in *ratione speciei :* ipsum vero compositum ex corpore et anima est substantia et species completa. Diximus : *saltem in ratione speciei,* quia potest contingere ut aliqua anima sit completa *in ralione substantialitatis,* si possit independenter a corpore subsistere, sicut anima intellectiva ; et alia sit incompleta simul *in ratione speciei* et *in ratione substantialitatis,* si nec possit esse species absque corpore nec existere independenter a corpore, ut anima plantæ et anima bruti.

' Verbo, omnis anima est *primum* et substantiale vitæ *principium* se habens per modum *actus,* principium tamen *partiale* et *incompletum,* saltem in ratione speciei.

1) De substantialitate animæ humanæ redibit sermo Tract. II, q. T,a. I.

QUÆSTIO TERTIA.

J)e anima vegetativa et sensitiva.

Quæ hucusque explanata sunt conveniunt oir.ni animae. Jam vero disserendum venit de singulis animarum speciebus, vegetativa scilicet et sensitiva.

De anima vegetativa sobrie disseremus. Quædam tantum de ejus potentiis et operationibus hic attingemus ; cætera in tractatu de anima humana expendentur.

ARTICULUS PRIMUS.

DE POTENTIIS ET OPERATIONIBUS ANI1HÆ VEGETATIVA.

I. — Tres sunt potentiæ animæ vegetativæ realiter distinctæ ah invicem: nutritiva, auginentativa et generativa (1).

Prob. Ia pars. Vcgetativum habet pro objecto ipsum corpus vivens per animam. Porro ad hoc corpus requiruntur tres potentiæ enumeratæ. Ergo. Declaratur major. In eo differunt vegetativa anima, sensitiva et intellectiva, quod intellectiva extendat suam operationem ad *omne ens* ; sensitiva autem ad *omne corpus sensibile,* vegetativa vero tantum ad *corpus animæ unitum.*

(1) I. P. q. 78, a. 2. — Gf. S. Thom. *De Anima,* lib. I. lect. 6 ; Cajetanus, Bamnez, in I. p., Joannes a S. Thoma, *De Anima ;* Gardair *Corps et Ame,* ch. II ; Pescil *Psychol.* Disp. II., sect. III.

Probatur minor. «Ad quod quidem corpus, ait D. Th.,triplex animæ operatio est necessaria: una quidem per quam esse acquimi, et ad hoc ordinatur potentia *generativa.* — Alia vero per quam corpus vivum acquirit debitam quantitatem, et ad hoc ordinatur vis *augmentativa.* — Alia vero per quam cprpus viventis salvatur et in esse et in quantitate debita, et ad hoc ordinatur vis *nutritiva.* »

Proponi potest alio modo : Viventia gloriam et munus suscipiunt per seipsa conservandi speciem, et ita per seipsa quamdam perennitatem possident. Ergo debent habere virtutem elaborandi semen quo mediante producere valeant similia sibi in specio, in quibus supervivant. Hinc vis *generativa.* Porro vivens quod generatur non continetur in semine secundum totam suam quantitatem : virtutem itaque exposcit qua ad debitam quantitatem pertingat. Hinc vis *augmentativa.* Sed vis augmentativa iners esset, nisi vivens facultate polleret convertendi alimentum in propriam substantiam, quod fit per vim *nutritivam.* Sunt itaque tres potentiæ vegetativæ.

Prob. IIa pars, nempe illas esse roaliter inter se distinctas. Illæ facultates realiter distinguuntur quæ per se primo respiciunt operationes et terminos formaliter diversos ; facultas enim specificatur ex actu et termino. Atqui prædictæ facultates per se primo respiciunt operationes et terminos formaliter diversos (1) ; nam nutritiva per se primo ordinatur ad convertendam substantiam alimenti in propriam substantiam viventis ; augmentativa ad convertendam illius quantitatem in quantitatem viventis ; generativa demum ad producendam novam substantiam priori similem.

Sunt ergo tres *termini* diversi, tres *functiones* diversæ, tres *potentiæ* diversæ.

II. **— Quæ sit nobilior.** « Est quædam differentia atten-

(1) « Nutrition, croissance, génération de corps vivants, toiles sont les *fonctions* de la vie végétative, telles sont les applications de l'activité des plantes Puissance nutritive, puissance d'accroissement, puissance génératrice, ce sont là *trois puissances génériques* du principe vital dans les végétaux. Elles se subdivisent en puissances particulières suivant la division plus ou moins détaillée du travail végétatif dans chaque espèce ; mais les fonctions spéciales de la vie des plantes se rangent toujours dans ces trois grandes chases de facultés. » Gardair, *Corps et Ame,* p. 70.

denda inter has tres potentias. Nam nutritiva et augmentativa habent suum effectum in eo in quo sunt ; quia ipsum corpus unitum animæ augetur et conservatur per vim augmentativam etnutritivam in eadem anima existentem. Sed vis generativa habet effectum suum non in eodem corpore, sed in alio, quia nihil est generativum suiipsius. Et ideo vis generativa quodammodo appropinquat ad dignitatem animæ sensitiva) quæ habet operationes in res exteriores, licet excellentiori modo et universaliori : supremum enim inferioris naturæ attingit id quod est infimum superioris. Et ideo inter has tres potentias finalior et principalior et perfectior est generativa. Est enim rei jam perfectae facere aliam qualis ipsa est. Generativæ autem deserviunt et augmentativa et nutritiva; augmentativæ autem nutritiva (1).»

Itaque generativa quadrupliciter alias superat : 1°) quia aliæ ipsi deserviunt, non ipsa aliis ; 2°) quia aliae habent effectum in eodem corpore, ipsa vero in alio ; 3°) quia aliæ respiciunt bonum individui, ipsa vero bonum speciei; 4°) quia aliæ inveniuntur etiam in viventibus imperfectis, ipsa vero in perfectis tantum. Ut enim quis generet, non sufficit ut ipsi competat vita, at debet vitam possidere perfectam in gradu quodam eminenti.

III. — Objectio contra distinctionem facultatum. Dices : — Eo ipso quod alimentum convertatur in substantiam aliti, sequitur necessario augmentum in ipso alito. Ergo necesse non est vim augmentativam a nutritiva distingui.

Respondeo imprimis : Nego consequentiam. Licet enim auctio ex nutritione necessario consequeretur, verum adhuc esset formaliter diversos esse terminum in nutritione et terminum in augmento. Porro ex termino formaliter diverso diversifica tur potentia.

Sed non est concedendum simpliciter antecedens. Nutritiva enim est reparativa ejus quod deperditur, augmentativa vero plus addit quam sit deperditum; nutritio semper fit, etiam in senectute, augmentatio autem certis temporibus definitur.

IV. —Propria definitio facultatum vegctativaruin.

Ex his innotescit quomodo definiri possint potentiæ vo-

ti) I. P. q. 78, a. 2.

getativæ. *Nutritiva* est *facultas qua vivens seipsum conservare potest, partes deperditas reparando per conversionem alimenti in propriam substantiam.*

— Potentia *augmentativa* est *facultas qua vivens ex alimento majorem quantitatem sibi acquirere potest.*

— *Generativa* est *facultas qua vivens producere potest aliud in specie simile conjunctum.* Generatio vero passive sumpta est origo viventis a vivente principio conjuncto in similitudinem naturæ. Hæc definitio prius explicata est (1).

Est tandem ipsa *anima vegetativa* recte definitur : *Principium radicale nutriendi, augendi et generandi vitaliter.* Cur ponatur principium *radicale* perspicuum est ; substantia enim non agit immediate sed ab ipsa profluunt tres facultates prædictæ quæ sunt principia proxima nutriendi, augendi, generandi.

V. — De nutidtione in vegetalibus.

Nutritio consistit in continua elementorum mutatione quæ fit inter substantiam viventem et medium ambiens. Efficitur autem hæc transmutatio ope et virtute protoplasmatis. Viget namque in protoplasmate proprietas quædam contractilitatis, vi cujus resultat perpetuus fluxus ab extra ad intra, ut ingrediantur elementa assimilanda et ab intra ad extra, ut egrediantur elementa non assimilata. In vegetalibus infimis non est speciale organum nutritioni inserviens, sed omnes functiones ab omnibus partibus exercentur, adeo ut quælibct cellula indepondenter a cæteris nutriatur et multiplicetur.

Superius vero inveniuntur differentes cellulæ, quarum aliay nutritioni, aliæ generationi exclusive inserviunt. Generatimi apparatus nutritivus comprehendit *stipitem et folia. Stipes* nutritioni concurrit tripliciter : Io) per transpirationem, seu emissionem vaporis aquæ ; 2°) per respirationem, seu absorptionem oxygenii et emissionem acidi carbonici ; 3°) per fiinctionem chlorophyllianam quæ in quadam *decomposition?·,* ut aiunt, acidi carbonici reponitur. Quando nempe partes virides luci exponuntur, oxygenium acidi carbonici liberum relinquitur, et carbonium in texturis plantæ considit, et hac carbonii

(1)Q. I,a. I.

copia nutritur planta. Folia illis etiam tribus modis nutritioni inserviunt, nempe oxygenium per respirationem absorbendo ; superfluum vaporis aquæi per transpirationem emittendo ; carbonium per functionem chlorophyllianam detinendo. Præter stipitem vero et folia adsunt in multis vegetalibus *radices* et *vascula.*

VI. — De iiutrltlone in animalibus. Multæ functiones in nutritione animalium concurrunt, nimirum : *digestio, absorptio, circulatio, respiraiio, assimilatio,* et *excretiones.*

Digestionis est.alimenta tramsmutare ut possint in substantiam aliti penetrare. Quod quidem fit et per mechanicam musculorum contractionem et per chimicam succorum actionem. Incipit digestio in stomacho et perficitur in intestinis ; alimenta vero transformata in statu quem habent dum e stomacho egrediuntur, dicuntur *chymus,* et prout sunt in intestinis dicuntur *chylus.*

Absorptio est functio qua alimenta jam transformata in ipsum organismum introducuntur. Alimenta quidem liquida absorbentur per osmosim, adipes vero per effractionem.Fit autem absorptio per totum tubum digestivum, aliqualiter in ore, perfectius in stomacho, sed principaliter in intestinis.

Circulatio est functio qua sanguis et lympha per totum organismum transferuntur, ita ut liquida in contactu singularum cellularum continuo renoventur.

Respiraiio est functio qua vivens copiam oxygenii sibi necessariam comparat. Consistit autem illa operatio in mutatione qua sumitur ex aere oxygenium, et emittuntur acidum carbonicum et vapor aquæus.

Assimilatio est actio qua elementa externa organismo propria fiunt et illi quasi concorporantur, per veram conversionem alimenti in substantiam aliti. In assimilatione igitur consistit essentialiter nutritio.

Excretiones demum sunt operationes quibus organismus depuratur et a se elementa non assimilata vel nociva abjicit. Differunt quam maxime *a secretionibus :* istæ enim sunt operationes quibus elaborantur liquida et fermenta organismo necessaria vel utilia. (Consulantur physiologi).

VI. — De generatione. In vegetalibus infimis non est speciale generationis organum, cum diversæ functiones in omnibus partibus eliciantur. Generatila plantarum generatio fit per *scissiparitatem,* vel per *reproductionem* proprie dictam. Scissiparités contingit cum cx planta scinditur fragmentum, quod iterum propriam vitam vivit et prioris viventis proprietates refort. Hæc est reproductio *agama,* seu *asexualis.* Reproductio autem proprie dicta, seu *sexualis,* fit vel per *sporam,* quæ est cellula simplex, vel per *ovum,* quod coalescit ex duabus cellulis quarum altera altera fœcundatur ; vel per *grana,* quæ ex ovi explicatione resultant, qui modus proprius est *phane.rogamis.*

In animalium vero generatione concurrit mas et fœmina. Ista præbet ovulum membrana quæ dicitur vitellina involutum. Ovuli autem protoplasma dicitur *vitellus,* in quo includitur nucleus seu *vesicula germinativa,* nucleolum, seu *maculam germinativam,* iterum involvens. Mas autem præbet *spermatozoidas,* quæ sunt elementa activa, ovulum fœcundantia, et quæ, peracta fœcundatione, motum amittunt et pereunt. Ex ovulo autem fœcundato resultat prima embryonis cellula, quæ nutritur, evolvitur, multiplicatur. Paulatim efformantur prima rudimenta, *punctum saliens,* nempe cor, quod primum incipit organizari et moveri, unde dicitur *primum vivens,* sicut etiam est *ultimum moriens :* deinde axis cerebro-spinalis, deinde cerebrum ejusque membranæ ; deinde sensuum organa ; deinde ossa, musculi, cranium, os, facies, tubus digestivus, jecur, pancreas, pulmones ; ac tandem organa urino-genitalia

ARTICULUS SECUNDUS.

DE ANIMA SENSITIVA,

I. — Opiniones circa animam brutorum.

Hic de vita sensitiva pauca attingimus, res fusius eluciaaoitur in tractatu de homine, ubi de facultatibus et operationibus sensitivis. Quaedam tamen disserenda occurrunt de existentia et natura animæ brutorum.

Hic iterum triplicem reperimus sententiam : Prima brutis animam denegat. Ita nonnulli veteres philosophi quos confutat Aristoteles ; plures idem asserebant Augustini tempori bus (1). Renovarunt Gomez Pereira et præsertim Cartesius (2). et organicistæ. Secunda brutis animam attribuit sed rationalem. Ita Pythagoras, Anaxagoras, Platonici et Neoplatonici, præsertim Porphyrius. Montaigne, Flourens, et alii recentiores intelligcntiam brutis concedunt. Tertia sententia medium tenet : belluis veram animam adstruit, sed sensitivam tantum, nullatenus rationalem aut subsistentem ; et hæc est doctrina certa et omnino tenenda.

Prima sufficienter confutata remanet ex iis quæ contra organicismum disseruimus. Sed propter rei gravitatem, rem iterum expendimus.

II. —Prima conclusio : Animalibus inest anima sensitiva.

Probatur. Cum anima intelligatur id quod est vitæ principium, ubicumque invenitur vita sensitiva, ibi sit oportet anima sensitiva. Atqui bruta animalia vera vita sensitiva gaudent. Ergo ipsis inest vera anima sensitiva.

(1) Gf. *De Genesi ad litteram,* lib. Ili, c. VIII.

(2) Gf. *Traité de Vhomme, Traité des passions, Discours de la méthode,* P. 5, c. 9.

Prob. min. Animalibus inest systema nerveum, insunt sensus et phaenomena sensationis externas, sensusque et phaenomena sensationis internæ ; imo affectiones et passiones. Ergo vera vita sensitiva gaudent. Liquet sequela, declaratur antecedens.

Primo quidem, in animalibus et in homine simile viget systema nerveum. Utrinque adsunt cellulæ et fibræ similes, utrinque dispositio cellularum et fibrarum fit secundum leges fundamentales similes ; utrinque similis est ipsa materia nérvea. Atqui in homine systema nerveum ad functiones vitæ sensitivea ordinatur. Ergo etiam in brutis ; ergo ex præsentia hujus systematis in animalibus concludere fas est ipsis competere operationes sensitivas.

Secundo, animalia instructa sunt sensibus externis, qui per se ad recipiendas sensibilium impressiones tendunt. Atqui a Dei sapientia certe alienum est ut creaturis largiatur instrumenta superflua quæ nullius sint usus ; nec fingere licet Deum, instar joculatoris, animalibus uti ad nos recreandos. Hæc est, e montra, suavis Dei providentia, ut creaturas juxta propriam naturam regat, eisque inserat principia intrinseca suarum opetationum. Animal, sicut homo, videt, audit, odoratur, gustat, ractu utitur et movet se consequenter ad hujusmodi impressiones. Ergo vel hominibus denegetur sensatio externa, vel brutis concedatur.

Tertio, animalibus insunt facultas et phaenomena sensationis internæ : facultas quidem et phaenomena phantasiae, nam canes, v. g. somniando plerumque immurmurant et in latratum aliquando erumpunt ; facultasque et phænomcna memo**ri** ; per loca enim nota sine errore jumenta pergunt et cubilia sua bestiæ repetunt, et canes dominorum suorum corpora recognoscunt ut ait Augustinus (1). Facultas et phaenomena æstimativæ : animalia quippe discernunt nociva ab utilibus : o. is fugit lupum quia inimicum. Facultas demum ct phaenomena sensus communis ; nam animal per modum unius apprehendit multa quæ sensus externi separatim tantum cognoscunt : sic percipit integrum pomum, dum sensus externi

(1) Contra *Epistolam Fundamenti,* cap. 27. — Hinc concludit Augustinus : « *Irrationabilia animantia vivere atque sentire nemo ambigit* ». *De Lib. Arb. lib.* II, c. 29.

scparaüm nonnisi colorem vel odorem attingunt. Habet ani mal conscientiam sensitivam, qua sentit se sentire quando sentit, qua sentit se non videre quando non videt, unde aperit oculum ut videat (1).

Tandem animalibus insunt appetitus et passiones concupiscibilis ct irascibilis : exhibent omnia signa delectationis ct voluptatis, timoris, amoris, iræ, et magno impetu feruntur ad cibos et venerea (2).

— Multi ex materialistis vitam animalibus ultro concedunt ; at contendunt vitam resultare ex materiae viribus, ipsumque sentiendi actum revocari putant ad motum fibrillarum et mechanicam cerebri reactionem.

III. — Secunda conclusio : Nullo pacto ad mechanicam cerebri reactionem aliamve speciem motus localis sensatio revocari potest.

Arg. Ium. — Sensatio est actio intrinsece vitalis in qua sensus active se habet. Atqui motus, seu reactio mechanica cerebri,non est actio intrinsece vitalis, nec in ea sensus active se habet. Ergo sensatio ex mechanica cerebri reactione resultare nequit. Declaratur major. — Duplici ratione actio aliqua dicitur vitalis: extrinsece et intrinsce. Extrínseco vitalis dicitur quæ de facto procedit ab intrinseco, sed posset tamen ab extrínseco principio elici: sic motus membrorum provenit in me a principio interno, at posset nihilominus ab agente extrínseco produci qui membra mea compelleret ad motum. Intrinsece autem vitalis erit actio si repugnet ipsam ab alio quam principio intrinseco oriri. Porro implicat ut sensatio,

(1) « Les animaux ne sont pas de pures machines. Ils ont des sensations conscientes, aussi réelles que les nôtres ; et leurs opérations procèdent de leur activité propre. S'ils obéissent tous de la même manière aux instincts innés communs à toute l'espèce à laquelle ils appartiennent, chacun d'eux tient une conduite particulière qui varie en raison des conditions spéciales où il vit. Cette conduite est déterminée, non seulement par les impressions qu'il ressent et les circonstances où il se trouve, mais encore par les habitudes qu'i] a prises et par les impressions qu'il a déjà ressenties en face des mêmes objets. » A. Vacant, *Etudes comparées sur la Philosophie de* S. Thomas et *sur celle de* Duns Soot, t. I, p. 37.

(2) « Dolor autem quem bestiæ sentiunt animarum etiam bestialium *vim quamdam in suo genere mirabilem* laudabilemque commendat. ▮ S. Augustinus, *De Libero Arbitrio,* lib. III, c. XXXIII, n. 69.

V. g., visio, procedere possit ab alio quam ab ipso sentiente et vidente. Unde sensatio est actio intrinsece vitalis. Insuper.in sensatione sensus active se habet. Licet enim sensus ab objecto determinetur, non tamen iners remanet, sed reagit, et veram activitatem circa ipsum objectum exerit.

Prob. min. Io) Motus mechanicus, qualem ponunt adversarii, non est intrinsece vitalis: quatenus enim mechanicus potest a motore mere mechanico, ideoquc a motore extrínseco progigni. — 2°) In illo sensus passive se habet, nam hic motus est quædam sensibilis in organismum impressio vi cujus organismus agitur et non se agit.

Arg. IIum. — Sensatio est actus cognoscitivus. Atqui cognitio fit in quantum cognitum est in cognoscente et ei assimilatur, non quidem physice, sed secundum esse intentionale, seu per speciem intentionalem. Ergo de ratione sensationis est ut cognitum assimiletur cognoscenti,secundum esse intentionale. Sed per motum mere mechanicum et mere localem, mobile moventi vel nullatenus assimilatur, vel tantum physice per physicam impressionem, non vero secundum esse intentionale. Ergo sensatio explicari minime potest per motum vel reactionem mere mechanicam et localem. Id manifestius adhuc elucet in sensatione quæ est conscientia : nam hæc importat quamdam universalitatem et eminentiam supra materiam, materiae motum omnesque vires physico-chimicas (1). De his iterum ubi de sensibus et sensatione.

Cætera ' argumenta quæ contra organicismum attulimus praesentem etiam thesim omnino statuunt.

IV. — Animæ brutorum non sunt substantiae rationales.

Arg. — Ium. De ratione substantiæ rationalis est ut non sit determinata ad unum in appetendo. At animalia bruta sunt determinata ad unum. Ergo non sunt substantiæ rationales.

Prob. maj. : Substantia rationalis cognoscit universalia, modus vero appetitionis sequitur modum cognitionis. Ergo appetitus substantiæ rationalis ad universale fertur. Quod

(1) « Les forces physico-chimiques agissent d'un corps sur un autre; mais elles sont trop complètement plongées dans la matière, pour que, par elles, un sujet corporel puisse se replier sur lui-même et saisir son propre acte. » Gardais, *Corps et Ame,* p. 102.

autem pro objecto habet bonum universale et perfectum non debet ab aliquo particulari et imperfecto bono determinari et necessitari. Ergo de ratione substantiae rationalis est ut non sit ad unum particulare determinata, sed possit unum vel alterum eligere.

Minor experientia constat. Animalia in iisdem adjunctis eodem modo agunt. « Non operantur ad diversa et opposita quasi intellectum habentia, sed sicut a natura mota ad determinatas operationes et uniformes in eadem specie, sicut omnis hirundo similiter nidificat (1). »

Arg. IIum. — De ratione substantiae rationalis est ut possit seipsam perficere, et progredi in scientiis,in artibus; in virtute. At nullo ex his modis animal progreditur. Ergo. Prob. min. Dum hominis historia est series innumerorum in quolibet genere profectuum, historia animalium, e contra, a remotissimis temporibus usque nunc, omnino uniformis est ; nullumque profectum refert, nullamve scientiam excultam, nullum opus artistico modo elaboratum. Et tamen animalia socia fuerunt hominis, testesque illius inventionum et progressuum. Et, licet homo animalia conatus sit instruere et ad artem et industriam suam adhibere, bruta nihilominus non profecere (2).

Animal itaque non progreditur. Si quando perficitur, id non active sed passive tantum fit, sub hominis influxu,et in determinato genere, adeo ut brutorum progressus vocetur a quibusdam *unilinearis,* quippe qui semper in eodem ordine et in eadem linea coarctatur.

Nec etiam brutum disciplina excolitur proprie dicta, sed tantum methodo quadam sensitiva et empirica. Metu verberum vel amore cibi cogitur ad aliquid faciendum vel omittendum ; et ex factis ita repetitis acquirit quamdam disciplinae speciem, sed modo mere empirico, per necessariam sensationum connexionem.

(1) II *Coni. Gent,* c 66.

(2) a Qui verra seulement que les animaux n'ont rien inventé de nouveau depuis l'origine du monde, et qui considérera d'ailleurs tant d'inventions, tant d'arts et tant de machines par lesquelles la nature humaine a changé la face de la terre, verra aisément par là combien il y a de grossièreté d'un côté, et combien de génie de l'autre. » Bossuet, *Connaissance de Dieu et de soi-même.* ch. V, η. VII.

V. — Anima brutorum non est subsistens.

Illud subsistens dicitur cujus operatio specifica fit independenter a materia. Atqui operatio specifica animæ brutorum a materia se eximere nequit. Ergo.

Major est notio substantiae subsistentis. — Cum autem operari sequatur esse, eo ipso quod operatio specifica sit independens a materia, ipsum esse specificum a materia sit immune omnino oportet.

Prob. min. Operatio specifica animæ brutorum est sensatio. Sensatio porro non potest totaliter a materiæ conditionibus se eximere, cum in corpore subjectetur. Et revera, subjectum sensationis exprimit objecta extensa, et a materiali impressione patitur. Quod vero patitur a materiali, quodque repræsentat objectum extensum, est extensum et materiale. Ergo subjectum sensationis est extensum, seu est organismus corporalis.

VI. —Vera notio animæ sensitivae. Itaque brutorum animæ habent operari et esse dependens a materia. Unumquodque porro habet fieri sicut et esse. Ergo animæ brutorum habent fieri dependenter a materia. Quod autem fit dependents a materia educitur de illius potentia. Anima igitur bruti fit per eductionem de potentia materiæ. Destructo corpore, a quo essentialiter pendet in esse et operari, amittit operari et esse, seu corrumpitur.

Igitur anima brutorum est *substantia,* utpote principium intrinsecum, quo sensitiva a non sensitivis distinguuntur; *incompleta in ordine speciei,* nam neque anima sola, nec materia sola, sed compositum, est species; *et in ordine substantialitatis,* quia subjective pendet ab alio in suo esso et operari, nec potest sine alio existere.

VII. — Solvuntur difficultates.

Io) Facere opera cum ordine et convenientia pertinet ad rationem. Atqui bruta faciunt multa cum mira convenientia et ordine, ut apparet in operibus castorum, apum, etc. Ergo bruta agunt ex ratione.

Resp.: Disting.maj.: Facere opera cum ordine et convenientia, *cognoscendo ipsum ordinem* et convenientiam, pertinet ad

rationem, concedo ; facere opera cum ordine et convenientia, *executive et materialiter* tantum, non cognoscendo ipsum ordinem et convenientiam, pertinet ad rationem, subdistinguo : ad rationem quæ sit in ipso subjecto exequente materialiter opus, nego; quæ sit in Creatore, qui subjecto exequenti indidit formam et inclinationem, concedo.— Contradist. min.: Animalia multa faciunt cum ordine et convenientia, *materialiter et executive* tantum, concedo ; *cognoscendo ipsum ordinem* et convenientiam, nego. Ergo agunt ex ratione, distinguo ; ex ratione quæ sit in ipsorum Conditore, concedo ; *quæ* sit in scipsis, nego.

Aliud est agere cum ordine, aliud est cognoscere ordinem. Non solum opera brutorum, sed operationes etiam plantarum et inorganicorum miro fiunt ordine, nec propterea ipsis rationem adscribimus, nam ille ordo a naturae Conditore provenit.

Ut ergo valeat objectio, probari debet ordinem et convenientiam ab animalibus cognosci.

2°) Accipere unum præ aliis est rationis. Atqui bruta animalia accipiunt aliquid præ aliis, sicut manifeste apparet quod ovis unam herbam comedit, aliam refutat. Ergo animalia ratione gaudent.

Rcsp.: Distinguo: Accipere præ aliis aliquid ad quod facultas non est naturaliter determinata, est rationis, concedo ; aliquid ad quod facultas est naturaliter ordinata,nego. Contradist. minorem, et nego conclusionem. « Brutum unum accipit præ alio, quia appetitus ejus est naturaliter determinatus ad ipsum ; unde statim quando per sensum vel per imaginationem repraesentatur ei aliquid ad quod naturaliter inclinatur ejus appetitus, absque electione movetur ad ipsum, sicut absque electione, ignis movetur sursum et non deorsum (1). »

3") Cognoscere relationem inter plura est rationis. Atqui animalia cognoscunt relationem inter plura, nam canis aut simia videndo ignem cognoscit parari prandium. Ergo.

Resp. : Nego minorem. — Et ad probationem, nego a cane vel simia cognosci *formaliter* relationem inter ignem et prandium. Sed sensatio vel phantasma ignis, propter experientiam

(1) Ia Ilæ, q. 13, a. 2, ad. 2.

animalis, commovet in illo sensationem vel phantasma pran dii. Quæ etiam valent pro factis similibus quæ communiter objiciuntur. Inde minime probatur ab animali cognosci relationem inter plura, sed tantum *imagine et sensatione unius rei excitari in bruto imaginem et sensationem alterius* (1).

(1) Cf. S. Augustinus, *Enarratio* in Ps. 48 ; S. Thomas, II *Contra Gentiles,* c. 82 ; Bossuet *Connaissance de Dieu et de soi-même,* ch. V ; Coconnier, *Ame humaine;* Rabier, *Psychol.;* Faroes, *Le cerveau, l'âme et les facultés,* IIe partie, VIII ; De Bonniot, *La Bête comparée à l'Homme;* Liberatore, *Le composé humain;* Vacant, *op. citat,* p. 33, sqq.

ARTICULUS TERTIUS.

QUÆDAM QUÆSITA UTICA ANIMAM VEGETATIVAS ET SENSITIVAM.

I. — **Ratio articuli.** Multæ quidem supersunt quæstioiies de anima vegetativa vel sensitiva : quomodo anima sit forma corporis ; an in uno vivente sint plures animæ vel plures formæ, an facultates ab anima distinguantur ; quomodo fiat sensatio tum interna, tum externa, etc., etc. At quæ de anima humana ut vegetativa et sensitiva disserentur animæ pure vegetativæ vel pure sensitivæ commode applicari possunt. Quædam tamen specialia hic tanguntur.

IL—Iu quo consistat luatcrialîtas animæ vegetativa» vel sensitivæ. *Materiale* dicitur **quod** pendet a materia prima vel secunda. Materiale a materia prima complectitur formam substantialem dependentem a materia in esse et operari ; compositum ex materia et forma resultans, et ea demum quæ a composito derivantur. Materiale vero a materia secunda dicuntur accidentia quæ in composito naturali subjectantur, imprimis quantitas, quæ est primum accidens materiæ,deinde cætera accidentia quantitati inhærentia corumque affectiones et actiones. Quocirca in genere substantiæ maxime materiale est quod componitur ex materia et forma, in genere vero accidentis maxime materiale est quod est quantitas vel quantitati immediate inhærens. Igitur res extensæ sunt maxime materiales. Quapropter non est confundendum materiale cum extenso : omni extenso convenit esse materiale, at non omni materiali convenit esse extensum : ut sit materiale sufficit dependere a materia, ut vero extensum fiat requiruntur partes, quantitas. Ex materia prima et quantitate sequitur

determinatio et passivitas. Unde secundum quod aliquid minus vel magis pendet a quantitate, et est magis vel minus determinatum et passivum, minus vel magis est materiale.

Igitur ea quorum vires ita inhærent quantitati ut sint simpliciter determinata, et ne ipsam quidem motus exccutionem sibi præstare possint, sunt in primo materialitatis gradu. Hujusmodi sunt mineralia, quæ simpliciter determinantur, nec habent exeeutionem activam sui motus. Illa vero quorum vires inhærent quidem quantitati, hac tamen ratione ut non sint simpliciter determinata, sed sibi vindicent exeeutionem sui motus, sunt in secundo materialitatis gradu. Hujusmodi sunt animæ vegetativæ: earum enim vires inhærent quantitati, nam sunt in subjectis extensis, v. g. trunco, ramis, et exercentur per organa extensa, patiuntur ab objectis extensis, et agunt in res extensas ; sed aliunde plantæ sibi prsestant, exeeutionem motus, quamvis non sibi præstituant suam formam. Plantæ habent exeeutionem sui motus et idcirco quamdam a quantitate et materia independentiam, quia sunt principium simul et terminus in cujus commodum cedit motus. Cum tamen forma præstituatur a natura et vita sit in ipsis aliquatenus provocata, nonnisi imperfectissima indepondentia gaudent. Illa demum quorum vires inhærent quidem quantitati, sed modo quodam eminenti, ut possint sibi præstituere et exccutionem motus et formam, sunt in tertio materialitatis gradu. Hujusmodi sunt animæ brutorum. Illarum vires inhærent quantitati ; facultates enim sensuum internorum et externorum indigent organis magnitudine praeditis, sicut etiam virtutes appetitiva, locomotiva, vocalis, respiciunt objecta extensa et per organa extensa exercentur. Attamen animalia sibi præstant formam, seu speciem intentionalem sui motus. Illa autem quorum vires nullatenus inhærent quantitati, et quæ sibi praestituunt finem, sunt ordinis immaterialis.

Igitur animæ brutorum dicuntur materiales, non quod sint compositæ ex materia et forma, vel extensæ, sed quod earum vires inhaereant quantitati, et ipsae non sibi præstituant finem; animæ autem vegetativæ dicuntur materiales, non quod sint compositæ vel extensæ, sed quod earum vires inhaereant quantitati, et ipsae nec formam nec finem sibi largiantur. Conse-

quenter, tum anima vegetativa, tum anima sensitiva, pendent a materia in esse et operari.

III. —Ànima vegetativa et sensitiva sunt generabiles et corruptibiles. Fieri proportionatur esse. Atqui præfatæ animæ habent esse dependenter a materia. Ergo fiunt dependenter a materia. Quod autem fit dependenter a materia educitur de illius potentia, seu generatur. Ergo præfatæ animæ de potentia matoriæ generantur. Quomodo autem vita sit in potentia materiæ, jam dictum est (1) Materia bruta sibi et viribus mere chimicis relicta, impar existit vitæ producendæ ; at Deus condendo prima viventia illis facultatem indidit elaborandi semen in quo vita virtualiter continetur. Semine naturaliter evoluto, fit anima tamquam terminus naturalis generationis, nec ad hoc requiritur novus ac peculiaris Dei interventus, sicut in mutatione substantiali fit forma naturaliter cum ordinario Creatoris concursu. Posset quidem Deus immediate producere animam vegetativam vel sensitivam, sed illo* etiam casu non esset proprie dicta creatio, quia creari competit subsistentibus vel compositis.

Modus porro desitionis modo incœptionis respondet; cum igitur illæ animæ generatione, non creatione, incipiant, corruptione, non annihilatione, desinere debent. Sunt igitur et generabiles et corruptibiles.

Corruptio voro in viventibus dicitur *mors.* Contingit autem mors multiplici de causa : sive quia absunt conditiones physicæ et chimicæ, sive 'quia organismus est senio vel nimio labore confectus, sive quia causa externa violentiam infert. Signum autem mortis est cessatio functionum vegetalium, et signantor circulationis, sicut etiam absentiæ caloris. Quandoque tamen vita latenter conservatur absque ullis functionibus, ut in quibusdam viventibus exsiccatis vel congelatis. Unde signum certius reputatur putrefactio corporis.

IV. — Quid eveniant illæ animæ post mortem.

Destructo corpore non possunt existere, nec etiam a Deo conservantur. Deus quippe res omnes secundum proprias na-

(1) Supra, q. II.

turas regit. Porro natura propria illæ animæ sunt corruptibiles. Ergo a Deo non conservantur, nisi velit Deus in aliquo casu miraculose operari. Aliunde non decidunt in nihilum, sed in potentia remanent materiæ. Sensus est: vis, energia illa'quæ fuit in animalibus, non est annihilata; remanet quippe in natura vis aliqua illi æquivalens; et potest materia sub influxu vitæ formam specie similem reproducere. Moritur equus : anima, principium simplex, amittit esse, et diversæ energiæ quæ illo principio simplici in unum adigebantur, dissolvuntur et quasi disperguntur. Valet tamen natura, sub influxu vitæ et post multas mutationes educere animam priori similem ; potest enim natura utendo elementis a prima anima informatis, nutrire plantam, plantaque equum, et ex illo nutrimento equus elaborare semen ex quo educetur anima priori in specie similis. Ergo prior anima aliqua ratione in potentia remanet materise.

V. — De unitate et divisibilitate viventium vegetallum et sensitivorum. Quamvis totus organismus ex cellulis efformetur vivens non est collectio cellularum ab invicem independentium, sed vera unitate gaudet. Primo quidem, organismus est aliquod continuum cujus partes communi nexu copulantur. Secundo, omnia organa in sua structura et dispositione mutuam arguunt dependentiam, ita ut ex uno organo possint scientifici totius organismi naturam deducere. Sic Milne-Edwards ex uno leonis dente potuit generalem inferre structuram. Tertio, diversæ functiones ad invicem conspirant : multæ enim operationes ordinantur ad nutritionem, ipsaque nutritio servit augmento et generationi. Recolantur dicta de finalitato vitæ.

Principium autem illius unitatis est anima, quæ est vis simplex, carens partibus essentialibus et quantitativis, ut infra ostendetur de anima humana.

Certum est tamen viventia quædam pati divisionem, licet viventia superiora, propter organismi perfectionem, quæ omnes partes unitas requirit, dividi non possint nisi vitam amittant. Exempla illius divisionis innumera sunt ; divisis polypis, divisisve annulosis, quodlibet fragmentum separatim vivit. Simile quid observatur in casu insitionis vegetalis vel animalis, cum, v. g., ramus in truncum alterius arboris inseritur.

At, si vivens dividitur, principium vitæ, seu anima, inferunt quidam, est divisibile. Consequentia tamen non tenet. Ad difficultatem solvendam multiplex adhibetur via. Sciendum est, imprimis, animam, quamvis sit actu et formaliter una et simplex, esse tamen potentia et virtute multiplicem ; unde non repugnat, reponunt alii philosophi, ex illa oriri principia actu plura, facta divisione. Cum enim in illis viventibus organizatio ad vitam requisita sit minima, quælibet pars est quasi repetitio ejusdem organi, et ideo partes viventis sunt in potentia *maxime propinqua actui,* ut ait Angelicus (1).

Unde quæ erant virtute multa statim fiunt actu per divisionem, et subito inducitur nova forma, seu anima. Divisio tamen ita fieri debet ut salvetur sufficiens organizatio ; hinc, si dividantur in longum a summo usque deorsum, partes dissectae non vivunt ; si autem divisio fiat penes latitudinem, multiplicatur dispositio organizationis sufficiens ad actum hujus vitæ, et sic vivere possunt. Id autem innuit animam ut sic non dividi. Si enim esset divisibilis ut anima, partes dissectæ semper viverent, sive pones latitudinem sive penes longitudinem contingeret divisio, sicut in corpore inorganico, quælibet pars divisa fit novum corpus, quocumque modo contingat divisio. Ita Joannes a S. Thomas et alii Thomistæ.

Apprime igitur salvatur unitas principii vitalis in hac sententia. Principium vitale est unum actu, multiplex autem in *potentia :* facta divisione, non proprie dividitur prior anima, sed inducitur *actu* nova anima quæ erat in *potentia maxime propinqua actui,* ratione organizations imperfectæ quæ illis viventibus sufficit. Unde in illa divisione origo viventium decisorum vocari potest generatio. Dupliciter enim contingere potest generatio. Modo naturali et ordinario, cum cellula genitrix regulariter evolvitur et progignit simile generanti ; modo violento et extraordinario, cum aliqua causa facit statim esse actu quod erat in potentia proxima, ut in divisione. In utroque casu est origo viventis a vivente ; a principio conjuncto, nam vivens decisum et vivens communiter generatum fuerunt olim aliquid generantis ; tandem in similitudinem naturæ,ut patet. Verior ergo videtur sententia quæ negat animam etiam infimam dividi per accidens.

(1) VII *Melaphys.* CC. 6 et 16.

Alia affertur explicatio, quæ, sin minus pro omnibus, pro quibusdam forte casibus valet. Aliquando viventia quæ divisionem patiuntur sunt individua distincta, vel saltem series individuorum invicem connexorum et conjunctorum *(colonies animales) :* unde mirum non est partes dissectas vivere, cum ante divisionem propria gauderent vita.Tunc ergo anima prioris non magis dividitur quam matris anima, cum nati ab utero separantur.

VI.—De indivisi!)ilitate superiorum viventium.

Nonnulli philosophi, quos inter Toletus, Suarez et quidam recentiores, censent omnes animas etiam viventium superiorum, præter animam humanam, esse extensas ct divisibiles per accidens. Debet enim essentiale existere discrimen inter animam rationalem et alias inferiores. Itaque nostra est indivisibilis per se et per accidens, aliæ vero sunt indivisibiles per se, divisibiles tamen per accidens. Insuper, illæ formæ, utpote materiales, conditiones participant materiæ. Atqui prima proprietas materiæ est extensio, ex qua sequitur divisibilitas. Ergo sunt extensæ et divisibiles per accidens.

Sententia opposita, quæ communior est inter Angelici discipulos, sic probari potest, ex Joanne a S. Thoma (1). Ut aliqua anima sit divisibilis per accidens, non sufficit ut existât in subjecto extenso et divisibili, sed requiritur ut informatio fiat divisibili modo. Atqui in viventibus, saltem superioribus, informatio non fit divisibili modo. Ergo animæ viventium, saltem superiorum, non sunt divisibiles per accidens.

Explicatur major : Forma, seu anima, non redditur divisibilis per passivam quantitatis susceptionem, quia quantitas non inhæret formæ, sed composito. Solum ergo reddi potest divisibilis ex modo informandi rem divisibilem, scilicet modo divisibili.

Prob. min. Informatio animæ pendet ab organizatione corporis. Atqui in viventibus superioribus organizatio est per modum unius indivisibilis dispositionis. Ergo informatio est per modum indivisibilis.

Declaratur minor. Quamvis organizatio multas requirat

(1) *De Anima,* q. II, a. I.

partes, omnes tamen ordinantur ad aliquid integrum et indivisibile efformandum, ita ut, si una pars desit vel graviter laedatur, totum vivens perimatur.

Imo etiam in viventibus imperfectis organizatio consistit aliqualiter in indivisibili, siquidem divisio non potest fieri quocumque modo, sed solum penos latitudinem, et in quantum multiplicatur dispositio organizationis sufficiens ad motum illius vitæ imperfectae, ut acute observat laudatus Joannes a S. Thoma.

Ad rationes adversariorum respondetur. Ad primum : Distinctio animæ humanæ ab inferioribus sufficienter in hoc salvatur quod aliae pendeant a materia in esse et operari, quamvis sint indivisibiles, anima vero nostra sit essentialiter independens. Ad secundum : Licet illæ animæ sint materiales, non tamen participant materiae divisibilitatem, nisi informatio fiat divisibili modo. Porro ostensum est informationem consistere in indivisibili (1).

VII. — Ubi sit anima, cum dividitur vivens, v. g. cum amputatur caput equi vel caput hominis. Vel in nulla parte remanet anima ; nulla pars vere vivit, sed continuantur apparentiæ et similitudines vitæ vi et impulsione prius accepta ; vel residet anima ad breve tempus in præcipua parte, in qua remanet sufficiens organizatio, ut ibi possit informatio animæ paulisper exerceri, v. g. in cerebro.

Animam remanere posse in capite amputato ostendit factum quod narrat Dr Petitgrand, de latrone quodam annamita capite damnato : « Les préparatifs termines, je me tins à deux mètres de lui ; il s'était agenouillé, et, avant de baisser la tête, il avait encore échangé avec moi un rapide regard. La tête tomba à 1 m. 20 de moi, sans rouler, comme il arrive d'ordinaire, mais, la surface de section s'appliquant immédiatement sur le sable, l'hémorragie se trouva ainsi accidentellement réduite au minimum. A ce moment, je fus effraye de voir les yeux du supplicié fixés franchement sur les miens. N'osant

(1) Cf. Joan, a S. Thoma, loe. cit; Coconnier, *Ame humaine ;* Faroes, *La* we *et révolution ;* Lorenzelli, *Psychol.;* De Munnynck, *L'individuaiiti des animaux supérieurs,* Revue Thomiste, tom. IX, p. 639.

croire à une manifestation consciente, je décrivis vivement un quart de cercle autour de la tête gisant à mes pieds, et je dus constater que les yeux me suivaient pendant le mouvement. Je revins alors à ma position première, mais plus lentement cette fois : les yeux me suivirent encore pendant un instant fort court, puis me quittèrent subitement. La face exprimait à ce moment une angoisse manifeste, l'angoisse poignante d'une personne en état d'asphyxie aiguë. La bouche s'ouvrit violemment, comme pour un dernier appel d'air respirable ; et la tête, ainsi déplacée de sa position d'équilibre, roula sur le côté. Cette contraction des muscles maxillaires fut la dernière manifestation de la vie. Depuis le moment de la décollation il s'était écoulé 15 à 20 secondes (1). »

(1) *Revue scientifique,* 5 juillet 1884, p. 10.

TRACTATUS SECUNDUS.

DE ANIMA HUMANA QUOAD SUBSTANTIAM CONSIDERATA

Quæstiones quæ ad animæ substantiam referuntur spectant I0 ejus *naturam et originem,* natura quippe et origo entis ita connexae sunt ut se mutuo inferant ; 2° ejus *unionem cum corpore,* nam animæ essentia transcendentalem ad corpus dicit ordinem ; 3° ejus *unitatem,* supposito quippe animam esse corporis formam, investigandum remanet an sit unicum **vi**vendi et essendi principium ; 4° ejus *sedem* in corpore, nam, **si** anima est forma corporis unica, in toto residet corpore.

QUÆSTIO PRDIA.

De animæ humanæ natura et origine (1).

Natura omnis substantia est vel accidens ; substantia porro est simplex vel composita, materialis vel spiritualis, corruptibilis vel immortalis. Innotescet ergo animæ natura ex sequentium solutione : an sit substantia, an simplex, an spiritualis, an immortalis, utrum sit per semen traducta an a Deo creata.

(1) Consuli possunt : Aristoteles, *De Anima ;* S. Thomas, *Comment, in* Aristot., I. P. q. 75, II *Cont. Gent.* 65, sqq.;QQ. *Dispp. De Anima, III De Potentia ;* Cajetanus, Bannez, *Comment,* in I. P.; Alamannus, Suarez, Joan. a. S. Thoma, Sylvester Maurus, *De Anima ;* Bossuet, *Connaissance de Dieu et de soi-même ;* Coconnier, *Ame Humaine ;* Pesch, Lorenzelli, Mercier, *Psychol.;* Faroes, *Le cerveau, l'âme et les facultés ;* Aubert, *La Psychologie thomiste et les théories modernes ;* Gabdair, *Corps etâme.* Gredt, O. 1 B. *Elementa Philosophia,* t. I, ed. 3«.

ARTICULUS PRIMUS.

AN ANIMA HUMANA SIT SUBSTANTIA ET UTRUM HÆC SUBSTANTIA SIT ÆQUALIS IN CUNCTIS HOMINIBUS ?

1. — **Falsæ notiones animas Immanæ.PIato** finxit animam esso ex numeris harmonicis compositam. Apud Platonem enim principium est animam ex iisdem elementis constare quibus constant ros quas intelligit.Principia autem constitutiva rerum sunt numeri, quorum alii harmonici, alii non harmonici ponuntur. Anima porro, cum harmonia maxime delectetur, harmonicis numeris confletur oportet. Pythagorici animam vocabant numerum seipsum moventem. Alii vero, ut Democritus et Heraclitus, igneam dixerunt; alii, ut Critias, ipsum sanguinem; alii aeream, ut Diogenes; alii aqueam, seu aquam genitalem, ut Hippon; alii elementum ab elementis, alii harmoniam, ut Dinarchus. Quidam, ut Aristoxenus, animam esse statuerunt harmoniam, seu temperamentum et aequilibrium contrariorum elementorum contrariarumve qualitatum ; unde exeunto anima, evanescit harmonia (1). Matcrialistae moderni, Büchner, Comte, Moleschott, Littré, Taino, etc., animam rationalem eliminant. Ipsam enim revocant vel ad complexionem virium physicarum et chimicarum, vel ad seriem functionum psychicarum, ipsumque intelligendi aut volendi actum per cerebri secretionem explicari posse contendunt. Hi omnes errores antiqui et moderni ad hoc tandem resolvuntur, quod anima vel non sit substantia vel non distinguatur a materia. Juxta Condillac anima est sensationum congeries, juxta Taine, pliænomenon aut phænomenorum series.

Nec substantialitatem sufficienter salvant qui cum Cartesianis, Maine de Biran, etc., animæ essentiam in cogitatione vel vi cogitandi vel agendi reponunt ; vel qui cum monistis

(1) Gf. Hermias, *Irrisio Gentilium Philosophorum,* n. 1. *P. G.* VI. 1169.

volunt unam esse omnium substantiam: sic enim individualitas substantialis perimitur.

II. — Conclusio : Anima humana ad harmoniam vel complexionem diversarum partium, vel phaenomenon, reduci nequit, sed veri nominis substantia dicenda est.

Arg. Ium. Principium specificativum compositi substantialis est aliquid substantiale. Anima porro humana est principium specificativum compositi substantialis, scilicet hominis. Ergo est principium substantiale. — Ratio majoris est quia in composito substantiali duæ concurrunt partes substantiales : altera potentialis et determinabilis, altera specificativa et determinativa. Pars sane qua compositum substantiale a cætcris discriminatur est necessario substantialis. Liquet minor. Anima enim est id quod homini largitur speciem, id quo homo essentialiter a bruto differt. Ergo est principium specificativum.

Arg. IIum. Anima semper eadem perseverat, non obstante materia quæ perpetuo variatur, ita ut post aliquot annos tota viventis materia sit renovata (1). Quod autem in esse firmo et permanenti persistit non est merum accidens. Et revera, si anima non esset substantia, sed phænomonon, ut vult Taine, transacto phænomeno, transiret et evanesceret anima, nec non humana personalitas. Si anima esset ipsa sensationum et phaenomenorum series, cum series illa entium successivorum nonnisi in mente existât complete, sequeretur animam et personalitatem humanam esse merum rationis figmentum.

Arg. IIIum. Anima est id quo primo vivimus, sentimus et intelligimus, seu primum ac radicale operationum vegetativarum, sensitivarum et intellectivarum subjectum et principium. At subjectum accidentium primum debet esse substantia ; licet quippe accidens accidentis possit esse subjectum proximum, oportet omnino ut subjectum primum et radicale in

(1) Vide Floubens, *De* Za *vie et* de *l'intelligence',* P. Janet, *Le Maté rialisme contemporain,* p. 121, 122. « Chacun de nous sait bien qu'il demeure lui-même à chacun des instants de la durée qui composent son existence. Pensée, mémoire, responsabilité, tels sont les témoignages éclatants de notre identité.«Aliunde testatur Cuvier vivens semper renovan. a Aucune molécule ne reste en place ; toutes entrent et sortent successivement.»

seipso subsistat et non in alio ; secus daretur processus in infinitum. Ergo anima debet esse substantia, seu principium quod in se existit.

Arg. IVum. Non est corporis complexio id quod regit ac dominatur ipsam corporis complexionem. At anima est corporis complexione superior, ipsamque regit ac domat. Ergo anima non est corporis complexio. Probatur min. Anima suo imperio temperat ac dominatur motus in appetitu ex corporis complexione insurgentes, ipsisque resistit ac tanta efficacia pollet ut quandoque hujusmodi motus totaliter superet ac subjiciat, quod in viris perfectis non raro contingit. Id vero prestare minime valeret nisi esset corporis complexione præstantior.

Aliunde, anima, licet activa, non est cogitatio, cum omnis operatio in creatis sit ab essentia separabilis, nec vis cogitandi, aut agendi, cum anima non sit immediate operativa.Quæ probatio infra recurret de distinctione facultatum ab essentia. Anima pariter non est vis volendi nec voluntas vivendi, licet hæc omnia importet (1).

III.—Animæ substantialitas est evidenter demonstrabilis. Argumenta quippe quæ illam stabiliunt evidentia nituntur. Liquet omnino primum principium specificativum non esse accidentale, sicut etiam liquet primum accidentium sustentamentum non esse accidens aut accidentium seriem. Aliunde,si anima est quid inhærens, non jam sibi vindicat illam independentiam quæ ad spiritualitatem et libertatem requiruntur. Quocirca inficiari substantialitatem animæ humanæ esse demonstrabilem est ipso facto profiteri rationem imparem esse spiritualitati et libertati demonstrandis, contra decretum S. Cong. Indicis, 11 Jun. 1855 : « Ratiocinatio Dei existentiam, animæ spiritualitatem, hominis libertatem cum certitudine probare potest. » Quæ ad propositum nostrum sufficiant (2).

(1) « Parmi les états fondamentaux, il en est un qui est plus tenace encore, parce qu'il *constitue l'essence même de la vie :* je veux parler du *vouloir vivre.* »Cl. Fiat, *La Personne humaine,* p. 21. Voluntas ilia vivendi substantiam animæ comitatur tamquam *necessarium, consecutivum* et *manifestaiivum ;* non est tamen *essentiale constitutivum,* cum semper activitas, facultas.operatio,præsupponant substantiam prævie constitutam.

(2) Consuli potest Bernies, *Spiritualité et Immortalité.*

IV. —Anima humana est substantia incompleti'.

Imprimis, anima non est substantia completa quæ dicitur persona ; hæc enim est simpliciter sui juris et incommunicabilis ; anima vero alteri tribuitur. Imo nec est substantia completa in ratione speciei. Etenim substantia specifice completa alteri non conjungitur ad efformandum unum per se et spe* cifice unum, sed unum per accidens dumtaxat. Anima por: » humana corpori ea ratione conjungitur ut compositum per ia et specifice unum ex utroque coalescat,ut infra ostendetur.Ergo non est substantia specifice completa. Cum tamen possit independenter a corpore subsistere, est completa in ordine substantialitatis, et hinc essentialiter discriminatur ab anima vegetativa vel sensitiva, quæ et in specie et in substantialitate impcrfectæ sunt.

V. —De aequalitate animarum.— Opinlones.Commune est effatum *substantiam consistere in indivisibili.* Cum ergo anima substantia sit, consequi videtur animas esse omnes aequales. Quaestio tamen fuit olim acriter controversa. Durandus, Henricus Gandavensis, Toletus, quidam ex Angelici discipulis, multique recentiores, propugnant absolutam animarum aequalitatem. Insignes vero Thomistæ, Capreolus, Cajetanus, Bannez et post ipsos Goudin,Mailhat, tuentur animas, etsi in gradu specifico conveniant, esse tamen in perfectione substantiali individuali inæquales.Hæc etiam fuit olim doctrina Universitatis Parisiensis, quæ anathema indixit iis qui animas omnes assererent æquales; quoniam; aiebant, inde sequeretur animam Christi non esse anima Judæ perfectiorem.

VI.— **Duo inconcussa apud omnes.** Primo quidem, si de perfectione specifica sermo sit, certum est omnes animas esse absolute æquales: sunt enim ejusdem speciei, eodemque genere et eadem differentia constant, eademque suscipiunt prædicata essentialia ; ncc est in anima Christi aliquod attributum specificum et substantiale quod non possit animæ Judæ adscribí. Secundo, si agatur de perfectione accidentali, liquet diversitatem quamdam inter animas distinctas vigere : dispositiones quippe, facultates sensitivæ, qualitates naturales vel supernaturales majorem vel minorem explicationem in diversis

hominibus, obtinent. Controversia igitur est de perfectione *substantiali individuali :* omnes nempe animæ sunt ejusdem speciei, eademque exposcunt prædicata essentialia, nec unus homo magis est aut esse potest homo quam alius ; sed aliqua prædicata essentialia essent fortiora, seu altiora vel intensiora •secundum perfectionem individualem in uno homine quam in alio. Hæc igitur perfectio, quamvis non mutaret speciem, attingeret tamen ipsam substantiam, ita ut in ipsa creatione reciperet substantia unius animæ aliquid quo individualité!' perfectior quam alterius animæ substantia fieret ac remanerek

VII.—**Expenditur sententia S. Thomæ** (1). Quaerit Angelicus *utrum unam et eamdem rem unus alio melius intelligere possit.* Postquam ex parte rei intellectae quaestionem determinavit, subdit : « Alio modo potest intelligi ut determinet actum intelligendi ex parte intelligentis; et sic unus alio potest eamdemrem melius intelligere quia est melioris virtutis in intelligendo, sicut melius videt visione corporali rem aliquam qui est perfectioris virtutis,et in quo virtus visiva est perfectior. Hoc autem circa intellectum contingit dupliciter : uno quidem modo ex parte intellectus, qui est perfectior. Manifestum est enim quod •quanto corpus est melius dispositum, *tanto meliorem sortitur animam ;* quod manifeste apparet in his quæ sunt secundum speciem diversa. Cujus ratio est, quia actus et forma recipitur in materia secundum materiae capacitatcm.Unde etiam, cum in hominibus quidam habeant corpus melius dispositum, sortiuntur animam majoris virtutis in intelligendo. Unde dicitur in IL *De Anima, text.* 94, quod *molles carne bene aptos mente videmus.*

«Alio modo contingit hoc ex parte inferiorum virtutum, quibus intellectus indiget ad sui operationem. Illi enim in quibus virtus imaginativa et cogitativa et memorativa est melius disposita, sunt melius dispositi ad intelligendum. »

Admittit igitur duplicem in animabus inaequalitatem : alteram quæ provenit *ex parte inferiorum virtutum ;* alteram magis radicalem, quæ ex ipsa anima originatur : *tardo meliorem*

(1) I. P. q. 85, a. 7. Cf. Cajet., Bannez Comm. in h. 1.; Capreol. tuv. <dit. t. V.

sortitur animam. Ergo, juxta Angelicum, viget inter animas differentia et inæqualitas non pure accidentalis, ex parte facultatum, sed radicalis et ipsam substantiam attingens. Sit igitur

VIII. — **Conclusio : Potest una anima rationalis aliam præccllere perfectione substantiali individuali.**

Arg. Ium. Probatur ratione fundamentali qua in I. P. *Philos. Nal.* (1) ostendimus animam a corpore individuari et quæ iterum innotescet ex dicendis de unione animæ cum corpore. Sic proponi potest : Sicut esse formam corporis non est proprietas consequens animam humanam, sed id quod ipsam essentialiter constituit humanam, ita osse formam hujus corporis non est proprietas consequens animam hanc, sed id quod essentialiter efficit ipsam *hanc.* Atqui esse formam hujus corporis importat necessario et essentialiter commensurationem, coaptationem ad hoc corpus. Ergo commensurati©, coaptatio ad hoc corpus non sequitur animam hanc, sed essentialiter constituit ipsam hanc, et idcirco attingit illius intrinsecam essentiam seu substantiam individualem.

Aliis verbis, commensuratio ad corpus et substantiam individuals animæ sunt notiones convertibiles, quæ se mutuo inferunt. Si ergo vigent gradus, differentia et inæqualitas in commensuratione animarum ad proprium corpus, erunt pariter gradus, differentia et inæqualitas in ipsa diversarum animarum substantia. Atqui possunt esse gradus et inæqualitas in commensuratione diversarum animarum ad proprium corpus. Ergo vigere possunt gradus et inæqualitas in substantia diversarum animarum intrinseca ; hinc erunt animæ inaequales in perfectione substantiali individuali.

Declaratur minor: Commensuratio ad corpus ex ipsa corporis organizatione pendet. Constat autem unum corpus esse præ alio perfectius organizatum. Ergo sunt gradus in commensuratione ad corpus.

Arg. IIum. Illa forma alias perfectione substantiali individuali excedit, quæ intra eamdem speciem habet subjectum perfectius : nam perfectius subjectum et perfectior subjecti

(1)Q. IV, a. II.

dispositio perfectiorem exposcunt formam. Atqui intra eamdem speciem humanam una anima rationalis perfectius nanciscitur subjectum, seu corpus, quam alia. Ergo una anima rationalis alia perfectior est perfectione substantiali individuali.

Hæc autem diversa perfectio substantialis est in eadem anima penitus invariabilis ; nam commensuratio, seu ordo transcendentalis ad corpus, non mutatur : semel instituta illa coaptatione in primo unionis instanti, invariabilis remanet animæ substantia.

Thesis ista non est nisi corollarium doctrinæ thomisticæ de individuatione animæ a corpore. Cf. tom. Π, ρρ. 248, seqq.

IX. — Solvuntur difficultates. 1° Anima non est propter corpus. Sed esset propter corpus, si diversa perfectio corporis diversam induceret perfectionem in animabus. Ergo ex diversa perfectione corporis non infertur inæqualitas in animabus.

Resp. Dist. maj. : Anima non est propter corpus tanquam medium propter finem, concedo ; tanquam perfectivum propter perfectibile, nego. Contradist. min. : Si diversa perfectio corporum diversam perfectionem in animabus inducit, anima est propter corpus, tanquam perfectivum propter perfectibile, concedo, tanquam medium propter finem, nego, et nego conseq. Quamvis perfectibile sit simpliciter propter perfectivum, aliqua tamen ratione perfectivum est propter perfectibile, in quantum ei commensuratur et proportionatur. Pari jure, tametsi corpus sit simpliciter propter animam, minime repugnat animam aliquo sensu esse propter corpus, tanquam ejus actum et complementum quod ipsi cooptatur.

2° Perfectio substantialis in anima spirituali non potest a re materiali dependere. Ergo nihil praestat diversa organizatio.

Resp. Dist. antecedens : Non potest pendere a re materiali causaliter et efficienter, concedo; occasionaliter, nego, et nego conseq. Perfectio animæ pendet a corpore eo fere modo quo dictum est de ejus individuatione, scilicet occasionaliter.Causa vero efficiens est Deus, qui, creando immediate animas illasque ordinando ad corpora inaequalia, producit in illarum substantia perfectiones inaequales. Igitur inaequalitatem in ipsa creatione, non autem vi corporis, suscipiunt.

3° Perfectio substantialis consistit in indivisibili. Ergo una anima non est altera perfectior in substantia.

Rcsp. Dieting, antecedens: Perfectio *substantialis specifica* ct quoad prædicata essentialia, non suscipit magis et minus,concedo ; perfectio *substantialis individualis,* subdist. : in eadem anima, conc. ; in diversis animabus, nego.

Dist.conseq. : Una anima non est altera perfectior perfectione substantiali specifica, concedo, perfectione substantiali individuali, nego. — Prædicata quidem essentialia, generica et specifica, non patiuntur magis et minus ; ac pari juro una et eadem anima non suscipit magis et minus, sed ab initio suæ creationis invariata in sua substantia persistit. Perfectio autem substantialis individualis non reponitur in indivisibili, sed diversa esse potest in diversis formis substantialibus. Ratio est,quia intra eamdem speciem una forma potest respicere subjectum alterius formæ subjecto perfectius. Quæ inæqualitas non mutat speciem, nam se tenet ex parte individuationis numericæ, non vero ex parte gradus specifici.

ARTICULUS SECUNDUS

DE SIMPLICITATE ANIMÆ HUMANÆ.

I. — Simplicitatis notio. Simplicitas compositioni opponitur. Triplex vero distinguitur compositio : *essentialis, integratis, accidentalis.* Essentialis quidem in iis habetur quorum essentia ex duabus partibus essentialibus conflatur, se habentibus ad invicem per modum potentiae et actus, qualis est compositio ex materia et forma. Compositio autem integralis consequitur ex partibus quantitativis in compositis ex materia et forma. Compositio demum accidentalis ea est quæ provenit ex pluribus ordinatis ad efformandum unum per accidens tantum. Hæc habetur vel inter duas substantias completas, vel inter duo accidentia, vel inter substantiam et accidens. Simplicitas porro quæ omnem removet compositionem ex substantia et accidente solo Deo adseribitur. In præsonti ergo quæritur solum utrum animæ rationali competat simplicitas illa quæ compositionem essentialem et integralem excludit.

Simplicitas confundenda non est cum spiritualitate, ut falso contendunt cartesiani ; spiritualités enim dicit independentiam a materia in esse et in operari specifico ; simplicitas vero compositionem tantum abjicit, independentiam autem a materia neque includit neque excludit. Itaque omni enti spirituali convenit esse simplex, non autem omni simplici propria est spiritualités (1).

(1) « Saint Thomas et les autres docteurs de l'Ecole ne croient pas que lime soit spirituelle, précisément pour être distincte du corps ou pour être indivisible. Spirituel, c'est immatériel, et saint Thomas appelle immatériel ce qui non seulement n'est pas matière, mais qui de soi est indépendant de la matière. » Bossuet, *Connaissance de Dieu et de soi-même,* ch. V, η. XIII.

II, — Conclusio: Anima humana est substantia tum essentialiter tum integraliter simplex (1). Prob. P pars. Arg. Ium. De ratione animæ est ut sit forma corporis. Aut igitur est. forma secundum se totam, aut secundum aliquam sui partem. Si secundum se totam, jam eliminat partes et est simplex. Etenim de ratione formae est ut sit actus. Atqui materia non potest esse actus. Ergo quod est forma secundum se totum non conflatur ex materia et forma, sed secundum se totum est actus. Itaque, si anima est forma secundum se totam, non admittit mixtionem materiæ et formæ, sed est tantum actus, ideoque simplex, Si vero est forma secundum aliquam sui partem, vel utraque pars est forma independens, et sic constituuntur duo viventia independentia. Vel una pars est informans et alia informata. Sed quod informatur ab anima, non est anima sed animatum. Ergo sola pars informans erit anima, altera erit animatum ; et sic, in quacumque hypothesi, remanet ut anima sit simplex.

Arg. IIum. Omne compositum ex partibus essentialibus est species, nam species intelligitur id quod ex partibus essentialibus résultat, quarum una est materialis et potentialis, altera autem formalis et actualis. Anima porro non est species, si quidem corpori conjungitur ad speciei constitutionem. Ergo non est ex partibus essentialibus composita.

Confirmatur : Si anima est composita, et etiam corpus erit compositum, et utrumque habebitper se suam unitatem. Atqui duo quæ habent per se unitatem non possunt immediate conjungi, nec ex ipsis coalescit compositum per se unum. Ergo anima et corpus non poterunt immediate uniri, nec erit homo per se unus.

Arg. IIIum. Experientia testatur indivisam esse sensationem. At non potest esse indivisa nisi ipsa anima indivisa et simplex sit. Ergo. Prob. min. Sensatio ex parte organorum in quibus fit compositionem et multiplicitatem invenit : sic in tactu et in superficie digitorum innumeræ concurrunt fibræ nerveæ, centum et octo in una linea quadrata. Cur ergo sensatio non sit ex totidem partibus composita? Nulla congrua affertur ratio nisi admittatur principium sensationis primum esse

(1) I. P. q. 75, a. 5., II. *Contra Gent.* c. 49; Ceillier, *Existence de VArne,* p. 182-186.

indivisum causamque radicalem unitatis. At principium primum causaquc radicalis unitatis debet esse quid simplex.Ergo sensatio expostulat principium indivisum, ac in ultima analysi simplex.

Probe intelligendum est argumentum ex sensatione desumptum, ne immerito rejiciatur nec nimium urgeatur. Sensatio non arguit immediate principium simplex : est ipsa composita et subjectum immediatum habet compositum. Attamen, quia est indivisa, exposcit principium indivisum : ulterius autem inquirendo concludimus causam indivisionis primam non subjacere multiplicitati, sed esse quid simplex. Hinc remote sensatio simplicitatem arguit.

Arg. IVum. Unumquodque cognoscitur sicut forma ejus est in cognoscente, juxta axioma : *Omne quod recipitur ad modum recipientis recipitur.* Atqui anima recipit formas absolute, independenter a materia, quæ est compositionis principium ; cognoscimus enim essentias in genere, non tantum formas individuales. Ergo anima in suo esse est cujusvis compositionis ex materia et forma omnino expers. Quæ independentia ex triplici mentis operatione, apprehensione, judicio, ratiocinio, præsertim ostenditur, ut videbitur infra de spiritualitate.

Arg. Vum. Sicut substantia cognoscitur ex facultate et facultas ex operatione, ita operatio ex objecto infertur. Anima porro intelligit objecta omnino simplicia.ut sunt Deus, spiritus, virtus. Ergo et ipsa animæ essentia simplex est. Si enim esset ex pluribus partibus composita, vel quælibet pars intelligeret objectum simplex separatim et complete, et tunc unaquæque esset completa et simplex; vel incomplete dumtaxat, et jam impossibilis evaderet objecti perceptio, nam objectum simplex vel totaliter vel nullimode apprehenditur.

Tandem anima semper eadem perseverat, eademque persistit humana personalitas. At identitas personalitatis arguit substantiam omnino simplicem, quæ, non obstante materiæ fluxu et compositione, unitatem et individualitatem præstat.

Probatur IIa pars. Arg. Ium. Compositio integralis essentialem ut effectus consequitur. At animæ rationali repugnat compositio essentialis Ergo et integralis. Ratio majoris est quia compositio integralis est effectus formalis quantitatis, quantitas autem compositionem ex matei ia et forma comitatur.

Arg. IIum. Anima in seipsam redit reditione perfecta, supra seipsam reflectendo, ac seipsam totam complectendo, usque ad intime sui scrutando. Atqui subjectum compositum et extensum non redit in seipsum reditione perfecta, nec valet supra seipsum reflecti, nec se totum complecti, sicut liquet chartam non supra se totam, sed partem supra partem, complicari. Ergo anima non est composita aut extensa, sed simplex penitus et indivisibilis (1).

III.— An sit tamen In anima compositio ex potentia et actu. In rebus materialibus tria invenimus distincta: materiam, formam et esse. Materia quidem esse a forma mutuatur, ipsi vero formae esse per se convenit, sicut explicatum est in Phil. Nat. (2).

Quocirca animae humanae, quæ est forma tantum esse, per se convenit. Attamen forma non est actus purus, non habet ex se ut sit sua ultima actualités, sed comparatur ad existentiam sicut potentia ad proprium actum. Igitur, quamvis animæ non sit adseribenda compositio *essentialis* nec *integratis,* ipsi tamen convenit compositio *metaphysica* ex potentia et esse, sicut etiam compositio *accidentalis.*

IV.— **Solvuntur difficultates.** 1° Anima est principium sensationis. Atqui principium sensationis est extensum. Ergo anima extensa est.

Resp. Dist. maj. : Anima est principium sensationis *primum* et *radicale,* concedo ; principium *immediatum,* nego.

Contradist. min. : Principium immediatum sensationis est extensum, concedo, principium radicale, nego et nego consequent.

Subjectum sensationis proximum est extensum, cum sit ipse organismus ; at radicale principium est unitatis et indivisionis causa. Quæ autem principio proximo competunt minime queunt ad principium radicale transferri. Imo, necosse est principium sensationis primum esse simplex, η. III. arg.IV.

2° Quod extensum tangit extensum est. Atqui anima tangit corpus extensum. Ergo extensa est.

(1) Cf. Mercier, *Psychol,* η. 219 etseqq; Coconnier, c. IV.
(2) I. P. *Phil. Nat.* Tract. II, q. II, a. II.

Resp. Dist. maj. : Quod extensum tangit contactu quantitatis extensum est, concedo ; quod tangit contactu virtutis tantum, nego. Contradist. min.: Anima tangit corpus contactu virtutis, concedo ; contactu quantitatis, nego, et nego consequentiam.

Apprime distinguendus est contactus quantitativus et contactus virtualis (1). Contactus enim quantitatis fit per applicationem partis ad partem, contactus autem virtualis per applicationem virtutis ad aliquid. Triplici differentia ab inxiccin discriminantur.

Prima: Per contactum virtutis indivisibile potest tangere divisibile, quia potest in illud agere, sicut angelus, substantia indivisibilis, corpus divisibile tangit et movet ; per contactum autem quantitatis hoc non fit, iiam puncto indivisibili non potest tangi nisi indivisibile.

Secunda: Contactus quantitatis est solum secundum ultima, scilicet superficies ; contactus autem virtutis est ad totum quod tangitur. Res enim tangitur in quantum patitur et movetur ab agente. Unumquodque autem patitur secundum quod est in potentia. Ergo tangitur secundum quod est in potentia. Sed potentia est secundum totum et non secundum ultima totius. Ergo contactus virtutis est, non ad ultima et superficies totius, sed ad ipsum totum.

Tertia : In contactu quantitatis tangens est extrinsecum, in contactu autem virtutis potest esse intrinsecum. Nam, cum contactus quantitatis sit ad extrema et superficies, tangens ven potest incedere per ipsum quod tangitur, sed ab eo remonotur ; e contra, cum virtualis contactus sit ad totum et ad intima totius, facit substantiam tangentem esse intra id quod tangitur incedentem per ipsam absque impedimento (2).

Ex his clare innotescit quomodo anima possit tangere corpus quin extensa ponatur.

3° Saltem, quod ab extenso patitur extensum est. Atqui marna patitur ab extenso. Ergo.

Resp. Dist. maj.: Quod ab extenso patitur per se et ratione sui, extensum est, concedo; quod per accidens et ratione con-

ti) S. Thomas, II. *Contra Gent,* c. 56 ; Cajetanus, *Comm.* in I. P-q 52, a. 1.

(2) II. *Cont. Gent,* c, 56

juncti patitur, est extensum, nego. Contradist. min., et nego consequentiam.

Anima non patitur a sensibili ratione sui, sed ratione conjuncti; imo proprie loquendo « anima sensitiva non patitur a sensibilibus, sed conjunctum ; sentire enim, quod est pati quoddam, non est animæ tantum sed organi animati (1). »

(2) Q.Q. *D'Fpp. De Anima,* a. 6, ad 14.

ARTICULUS TERTIUS.

T)'E SPIRITUALITATE ANIMÆ HUMÀNÆ^.

I. — Diversa vocabula ad exprimendam, spiritualitàtem. Triplex est vocabulum quo non raro designatur animæ spiritualitas : *incorporeum, immateriale,* et *subsistens.* Licet *incorporeum* possit rem spiritualem significare, per se tamen opponitur tantum corporeo, seu extenso, seu composito ex materia et forma, et hoc modo proprie exhibet rem ut simplicem. Quo sensu anima brutorum incorporea dici posset. Itaque incorporeum non semper materiali adversatur. Vox autem *immateriale* materiam excludit ot ad spiritualitatem propius accedit.Quandoquc tamen applicatur speciei intentionali, quæ ordinem sensibilem non transgreditur.

Sed forma *subsistens* proprie innuit substantiam quæ est independens a materia in esse et operari specifico. Vox autem *spirituale* est frequentioris usus et maxime propria (2).

Quaestio igitur est utrum anima sit spiritualis seu subsistens, id est, independens a materia in esse et operari specifico. Hic iterum offendimus ingentem Materialistarum turbam: ex antiquis Democritum, Heraclitum, Epicurum,Lucretium, multos ex Stoicis : ex modernis La Mettrie, d'Holbach, Cabanis, Buchner, Moleschott, Karl Vogt, Positivistas, etc., etc.

(1) Consuli possunt præter auctores jam citatos. Flourens, *De la vie et de l'intelligence ;* Janet, *Le matérialisme contemporain;* J. Guibert, *L'âme humaine,* collect, *a* Science et religion.»; Forichon, *Le matérialisme et la phrénologie combattus dans ses fondements ;* Bernies, *Spiritualité et Immortalité ;* — ex Patribus praesertim S. Augustinus, *Dé Genes, ad Ulter,* lib. VII, c. XII-XXT, *De quantitale Anima,* C. Ili et IV, *De Trinitate,* c. VI-X.

(2) F. Bouillier, *Le Principe vital,* c. Il, distinguit spirituale ab immateriali « La spiritualité c'est l'immatérialité accompagnée de certains attributs, de la liberté et de l'intelligence. ›

II. — Diversi spiritualitatis seu perfoctæ iinmaterialitatis gradus. Quid sit materiale et quot sint matcrialitatis gradus breviter expendimus tractatu praecedenti, de anima vegetativa et sensitiva (1).

Immateriale autem per recessum a materia et materiae proprietatibus, seu conditionibus, intelligitur. Porro materiale proprie importat dependentiam a quantitate dimensiva. Qi o circa,'n genere accidentis, immaterialitas innuit intrinsecam independentiam virtutis et actionis a dimensiva quantitate; in genere vero substantiae est intrinseca independentia substantiae a materia in essendo, et a magnitudine dimensiva in operando (2).

Recolatur autem materiam aliquando sumi sensu latiori pro omni re quæ analogiam habet cum materia prima, pro eo nempe quod est determinabile et potentiale ; quo sensu omnis potentia dici potest materia. Igitur illud quod est omnino independens et a materia proprie dicta et a materia analogice sumpta, ita ut omnem a se removeat potentialitatem, est in summo immaterialitatis vertice. Hujusmodi est actus purus, Deus.

Illud vero quod materiæ analogicae subjicitur, seu quod est compositum ex potentia et actu, intrinsece autem immune a materia proprie dicta, sed tamen essentialiter ordinatum ad unionem cum illa, est in infimo immaterialitatis gradu. Illud tandem quod ex una parte est omnino independens a materia proprie dicta, nec essentialiter ordinatur ad unionem cum illa, ex altera vero parte subjicitur materiæ analogiche, in medio est immaterialitatis gradu. Qui modus angelis proprie competit. Anima autem nostra infimum sibi vindicat locum, qui est nobis notior et in aliorum cognitionem ducit.

Spiritualités autem, seu immatérialités animæ hoc modo intellecta, multiplici argumentorum genere probatur.

III. — Demonstratin' animæ spiritualités ox operatione et objfecto.

Res quæ independenter a materia operationem exercet

<1)Q. Ill, a. III.

(2) Lorenzelii J., *Psychol. Theoria De Mal. et Immat.*

specificam, esse specificum, sibi vindicat indepondens a materia. Atqui anima operationem specificam elicit independenter a materia. Ergo habet osse specificum independenter a materia. Sed esse specificum independons a materia est spirituale. Ergo anima spiritualitato gaudet.

— Declaratur major. Operari, ut fert axioma, sequitur esse tamquam effectus. Sed omnis effectus proportionatur causæ. Ergo res quæ est independens in suo operari, independentiam in esse exposcit.

Prob. minor : Operatio et objectum ejusdem sunt ordinis. At objectum intellectus est a materia independens. Ergo et operatio. Ratio asserti est quia facultas et operatio debent conjungi objecto et cum ipso fieri unum intentionaliter, siquidem ex potentia et objecto paritur notitia. At nisi objectum sit ejusdem ordinis, impossibilis remanet conjunctio ; nunquam enim operatio attingere valebit objectum a quo totaliter exceditur. Animam autem cognoscere immaterialia experientia testatur. Cognoscimus enim justitiam, virtutem, necessarium, infinitum, ideale, et alia innumera quæ non sunt res concretæ, nec tribus dimensionibus subjectæ, nec mensurabiles aut pon derabiles.

Animæ spiritualités ex triplici mentis operatione, simplici nempe apprehensione, judicio et ratiocinio, apodictice demonstratur. In simplici apprehensione conceptus est ab omni respectu sensibili et concreto abstractus, resque oxhibet independontes a *tempore et loco,* cujusmodi sunt universalia, species, genera.

In judicio est aliquid quod a concreto et contingenti eximitur, *respectus* nempe *necessarius* quo praedicatum connectitur subjecto. Hinc fiunt judicia absoluta, necessaria, a priori.

In ratiocinio major adhuc deprehenditur independentia a concreto et contingenti, nam *consequentia,* seu logicus transitus ab antecedente ad consequens,est quid necessarium et petnius immateriale, nulli sensui pervium. Recolantur quæ disseruimus in Logica.

IV.— Imo ipse modus attingendi materialia testatur operationem esse a materia independentem. Quod argumentum sic proponi potest: Anima intelligit res materiales nobiliori

modo quam sunt in ipsis. At id minimo praestaret nisi ipsius facultas et operatio omnem materiam transcenderont et ad ordinem spiritualem pertinerent. Ergo animæ operatio et facultas, et consequenter anima ipsa, materialem transgrediuntur ordinem.

Prob. maj. : Res materiales in seipsis sunt singulares, mutabiles, contingentes ; et tamen apprehenduntur modo universali, immutabili, necessario. Nam cognoscimus lapidem, arborem, bovem, absolute, secundum respectum universalem: percipiendo quippe hanc substantiam singularem viventem, eruit anima ideam substantiæ in genere, viventis in genere. Verbo, intellectus de rebus materialibus parit sibi scientiam, quæ est cognitio immutabilis et necessaria, resque attingit sub respectu abstracto et immutabili. Ergo anima res materiales attingit modo universali et abstracto, atque ideo nobiliori modo quam sunt in seipsis.

Prob, minor. Facultas a corpore pendens, cum sit corporali organo affixa, ad corporalia tantum se porrigit, et in operatione sua nequit a conditionibus materialium et corporalium se eximere. Quidquid autem conditiones materiae retinet incapax est sese supra materiam attollendi.

At cognoscere materialia nobiliori modo quam sunt in seipsis est sane materiam dominari et supra materiam eminere. *Igitur* facultas a corpore pendens cognoscere nequit materialia nobiliori modo quam sunt in seipsis. Modus ergo attingendi materialia universaliter et necessario, invicte testatur animæ spiritualitatem.

Confirmatur et urgetur idem argumentum. Anima cognoscendo materialia, multa apprehendit quæ nunquam sensus affecerunt : sic videndo effectum, intuetur causam, cognoscendo operationem, colligit naturam, ex natura infert operationem : quæ omnia sunt abstracta, nec actionem suam in sensum hic et nunc exercent.Atqui facultas materialis affici non potest nisi ab his quæ in ipsam hic et nunc actionem exserunt. Ergo intellectus non est facultas materialis.

Insuper, anima aliquando de rebus aliter judicat ac sensus renuntiat : sic quando sensus remum videt in aqua confractum, errorem corrigit intellectus. — Sensus debilitatur ex sensibili excellenti, sicut oculus ex abundantia lucis; intellec-

tus vero ex intolligibilis excellentia perficitur. Ergo intellectus totaliter sensum transcendit.

V.—Demonstratur spiritualltas ex defectu organi in cogitatione.

Contendunt materialista animam esse a corpore dependentem, quia cogitationis organum est cerebrum. Porro hoc assertum falsissimum esse invicte ostenditur.

Si intellectio effectus esset cerebri, proportionaretur vel illius quantitati vel illius qualitati. At intellectio nec quantitati nec qualitati cerebri proportionatur. Ergo.

— Non quantitati. Non enim ideo perficitur intellectio quia crescit cerebrum, nec vice versa. Plus semel autem contingit virorum ingenio præstantium cerebrum eseterorum cerebro esse vix æquale, imo quandoque inferius. Mulieres etiam quandoque ingenio superant viros quorum tamen cerebrum est majus (centum circiter gramm.).

— Non qualitati. Nam plura facta ostendunt homines qui perfectiores exhibent cerebri hemisphæras, vel numerosiores et præstantiores sinus, seu circumvolutiones, vel exquisitiores cellulas, non semper et constanter alios ingenio propellere.

Insuper, si intellectio effectus esset cerebri, haberet illius proprietates, et idcirco subjiceretur extensioni, ponderi, mensurae. Atqui nec ponderatur nec mensuratur cogitatio, quippe quæ est universalis, generalis,abstracta. Ergo.

— *Dices:* Mensuratur reapse intellectio, nam scientifici ex intensitate activitatis cerebralis demonstrant cogitationi.. intensitatem ; imo ad hoc mensurandum plura inventa sunt instrumenta.

— Resp.: Illa facta hoc unum evincunt, nempe intellectionem pendere *extrinsece* a corpore. Re quidem vera intellectio extrinsece pendet ab imaginatione ; imaginatio porro subjectatur in cerebro : hinc mirum non est intensitatem intellectionis, propter substantiae unitatem in homine, aliqualiter in cerebrum redundare. At quod proprie mensuratur vel instrumentis percipitur est conditio extrínseca, ad intellectionem requisita, seu actio prævia, non autem ipsa cogitatio.

VI.— Scientificoruin testimonilun et animæ spiritualltas.

Licet deprehendant physiologi cerebrum, ipsum legi conservationis energiae subjici (et hoc libenter concedimus), fatentur tamen nullum dari factum nullumve argumentum quo cxistentia alicujus principii immaterialis oppugnetur. Præstat testimonium referre Mosso, qui insignis est inter physiologos :

« *Si Γοη demande à un physiologiste une preuve irréfutable de la non-existence, dans le cerveau, d'une force immatérielle,* il ne peut la donner ; mais en jugeant par analogie, en rapprochant les phénomènes cérébraux de tous les autres phénomènes naturels, il se voit contraint d'admettre que le cerveau, lui aussi, est soumis à la loi de la conservation do l'énergie (1).»

VII. — Demonstratur spiritualitas ex animæ aspirationibus et finalitate.

Illud non est corporeum, neque a corpore pendet quod maxime delectatur et perficitur bonis spiritualibus, pro quibus interdum bona sensibilia contemnit. Atqui anima humana delectatur et perficitur bonis incorporeis, et sæpius sensibilibus bonis spiritualia bona anteponit. Ergo anima nostra spiritualis est.

Ratio majoris est quia omne ens gaudet ac perficitur bonis sibi consimilibus et congeneribus. Ergo facultas quæ bonis spiritualibus lætatur et ipsa sit ordinis spiritualis omnino oportet (2).

Minor factis constat. Loquantur quique honesti, pii, sancti et enarrent quanta animi dulcedine perfruantur in Deum et divina contemplando, praeferendo honoribus humilitatem, divitiis paupertatem, voluptati castitatem .Ergo anima rationalis, quæ ad spiritualia nata est, et spiritualibus delectatur et ad spiritualia evolat, et ipsa spiritualis est sicut *Deus qui dedit illam.*

Huc redit argumentum *ex finalitate.*Cogitatio et desiderium sciendi, amor et desiderium fruendi, non satiantur in bonis

(1) Mosso, cit. apud J..Souky, *Le système nerveux central,* p. 1276.

(2) a' **J**'ai remarqué en moi-même une force supérieure au corps, par laquelle je puis l'exposer à une ruine certaine, malgré la douleur et la violence que je souffre en l'y exposant. » Bossuet, *Connaissance de Dici» et de soi-même,* ch. IV, η. XI.

sensibilibus ; ergo evincunt esse in anima vitam quamdam supras'ensibilem, spiritualem, imo et immortalem. De hoc argumento infra, art. seq. n. V.

Vili.—Demonstratur animæ spiritnalitas ex hoc Angelici principio : Quod potest cognoscere aliqua, oportet ut nihil eorum habeat in sua natura (1). Argumentum quo utitur Angelicus ad probandam animæ immaterialitatene, sæpius negligitur, cum tamen maximæ sit efficaci® contra materialistas, qui respuunt probationes ex objectis.

Principium illud jam explanaverat Cajetanus in suis commentariis, novissime autem acute et dilucide exponunt Tornatone (2) et Illustrissimus Lorenzelli (3) ; quorum explicationibus utemur.

Sic ergo proponi potest argumentum : Id quod est cognoscitivum aliquorum nihil eorum habet in sua natura.Atqui anima rationalis est cognoscitiva omnium corporum.Ergo anima rationalis nullam habet naturam corporis in sua natura. Sed quod nullam habet naturam corporis in sua natura est incorporeum, seu spirituale, in essendo. Ergo anima rationalis est incorporea, seu spiritualis, in essendo.

Minor experientia constat, nam intellectus de diversis corporibus in genere et specie disserit.

Difficultas est in majori. Sensus est: *Quod est cognoscitioum aliquorum in potentia essentiali non habet in se intrinsece objectum secundum naturale esse illius,* ut interpretatur Cajetanus ; vel aliis verbis : *Recipiens debei esse denudatum natura recepti. Cognoscitivum* igitur significat id quod est in potentia ■*essentiali* ad cognoscendum. Aliquid.enim cognoscitivum esse potest in potentia *essentiali,* quum simpliciter in potentia •existit ; et in potentia *accidentali,* cum non est simpliciter in potentia, sed in habitu, qui est status medius inter potentiam simpliciter dictam et actum perfectum. Porro constat animam nostram, seu intellectum possibilem, esse cognoscitivam in potentia essentiali, cum sit tabula rasa in qua nihil ■scriptum est.

(1) I. P. q. 75, a. 2.

(2) *Expositio principii traditi a D. Thoma Aquin, ad naturam investi·gandam rei materialis et immaterialis.* Placentiae, Solari.

(3) *Psychol. Intellect.* Pars I, lect. I.

— *Aliquorum.* Per *(diqua* intelliguntur corporea et sensibilia, quia, si essent præsentia in cognoscente secundum esse physicum, impedirent aliorum cognitionem, quod quidem impedimentum non præstant spiritualia.

Nihil eorum habet in sua natura·. Non intenditur : Nullum suscipit prædicatum commune cum illis ; nam prædicata *entitatis* realis, *substantiæ* realis, *qualitatis* realis, etc., possunt esse et cognoscitivo et cognoscibili communia, sed sensus est : Non habet rationes differentiates et proprias illorum naturæ. Sic, cognoscitivum corporum nihil debet habere de rationibus propriis et diffcrentialibus corporum, quemadmodum receptivum corporis nihil debet habere de diffcrentialibus rationibus receptibilis. Res sic intellecta liquido constabit. Si cognoscitivum corporum in potentia essentiali haberet in se objectum secundum esse physicum, vel nihil perciperet, vel saltem non cognosceret alias corporum species, quia una natura corporea importat oppositionem ad cæteras, ut mox ostendemus.

Sic, ut pupilla sit in potentia ad omnes colores recipiendos, debet omni determinato colore carere, secus omnia eodem modo viderentur : omnia rubea apparerent si pupilla esset rubeo colore prius colorata. Pariter, ut intellectus sit in potentia ad cognoscendum omnes naturas corporeas, debet omni corporea natura carere. Unde hæc propositio : Cognoscitivum in potentia essentiali aliquorum non habet in se intrinsece objectum praesens secundum esso naturale illius, est propositio per se nota^ ait Cajetanus. « Quia alioquin esset in potentia essentiali et non esset in potentia essentiali : si enim haberet in se actu objectum, jam cum eo posset illud cognoscere et sic non in potentia essentiali (1). »

Hucusque constat animam carere omni corpore, nihilve corporei in sua natura suscipere, seu spiritualem esse in essendo. Eodem jure evincitur animam nostram non posse intelligero per organum corporeum, seu esse immaterialem in operando.

Quod sic probatur: Omne corpus et omne corporeum habet naturam determinatam. Atqui natura determinata unius oppositionem importat ad cæteras. Ergo omnis natura corporea

(1) *Comm.* in I. P. q. 75, a. 2.

oppositionem habet ad cæteras illasque impedit. Ergo, si anima intelligent per organum corporeum, natura determinata organi corporei omnium corporum cognitionem prohiberet, sicut si aliquis determinatus color sit non solum in pupilla sed in vase vitreo, liquor infusus ejusdem coloris videtur. Igitur principium intellectivum est incorporeum in operando.

— Declaratur assertum : *Omne corpus habet aliquam naturam determinatam.* Duplex est determinatio : una qua genus contrahitur in plura specie distincta ; altera qua species determinatur in plura numero distincta. Prima competit omnibus creatis et fit per formam substantialem, quæ est principium determinans aliquid ad certam entis speciem. Secunda solis corporibus adseribitur. In omnibus enim et solis corporibus invenitur materia signata quantitate. Sed materia signata quantitate est principium individuationis numeric®. Ergo habere naturam determinatam ad individuationem numericam proprium est corporibus. Et hoc sensu intelligitur Aquinatis principium.

Subsumpsimus : *Natura determinata unius habet oppositionem ad cæteras.* Intelligitur de determinatione in posteriori sensu. Entia vero quæ habent solam determinationem specificam et quæ sunt formæ tantum oppositione illa carent; forma quippe secundum se universalitatem quamdam habet et potest universaliter recipere naturas ejusdem generis modo intentionali. Sic angeli forma vi sui potest intentionaliter naturas aliarum rerum suscipere. Natura autem determinata ad individuationem numericam, per materiam signatam, involvit oppositionem ad cæteras naturas ejusdem generis, adeo ut nec physice nec intentionaliter illas queat recipere.

Non physice. Materia enim signata ita est capax unius quantitatis ut non sit alterius capax, imo ut non sit intelligibilis sub alia quantitate (1). Ergo oppositionem invehit ad aliam materiam quæ est sub alia quantitate. Igitur duæ naturæ determ,inatæ ad individuationem, per materiam signatam, habent oppositionem ad invicem, alteraque alteram prohibet. *Neque etiam intentionaliter,* quia « lux vel radius albi coloris non est receptibilis et transmissibilis per vitrum rubri vel vi-

li) Gf. I. P. *Philos. Nat.* Tract. II, q. IV, a. I.

ridis coloris. » (Lorenzelli.) Exempla quæ affert Angelicus rem evidentem efficiunt. Si aliqua species saporis esset in lingua, incapax fieret lingua cæteros sapores percipiendi; et, si determinata species coloris esset in pupilla, fieret oculus ineptus ad cæteros colores videndos.

Breviter nunc resumitur processus totius argumenti : Cognoscitivum omnium corporum in potentia essentiali nullam habet naturam corpoream in sua natura, nec corporea natura utitur in sua operatione. Ratio est, quia natura corporea est determinata ad individuationem et habet oppositionem ad cæteras.Unde, si cognoscitivum haberet aliquid corporei in sua natura, illud prohiberet cognitionem cæterorum ; et pariter, si corporeo uteretur organo in sua operatione, natura determinata organi prohiberet cognitionem omnium corporum. Stat ergo principium : Cognoscitivum omnium corporum in potentia essentiali nullam habet naturam corpoream in sua natura, nec corporea utitur natura in sua operatione. Atqui anima rationalis est cognoscitiva in potentia essentiali omnium corporum. Ergo anima rationalis nullam habet naturam corpoream in sua natura, neque ulla corporea utitur natura in sua operatione ; consequenter est spiritualis in essendo et in operando.

— Hinc verissimum axioma: *Intellectus est impermixtus, nihil extraneum habet in sua natura.*

IX. — Solvuntur difficultates. 1° Operatio animæ specifica est intellectio. Atqui intellectio pendet a corpore. Ergo operatio animæ specifica pendet a corpore, ideoque ipsa anima est a corpore dependens, seu materialis.

Resp. : Disting. min. Intellectio pendet a corpore *extrinscce* et *ministeridliter,* concedo; *intrinsece* et *subjective,* nego, et nego consequentiam.

— Ad intellectionis actum requiritur concursus et ministerium sensuum, qui præbent intellectui materiam cognitionis ; nihil quippe est in intellectu quod prius non fuerit in sensu.

Id libenter profitemur, at non ostendit opponens ipsam intellectionem a corpore originari et per corporale organum exerceri. Ex eo quod intellectus indigeat corporis ministerio, perperam infertur intellectum esse ejusdem conditionis cum

corpore, sicut princeps ministris utitur nec tamen ejusdem est conditionis et ordinis (1).

2° Instabis. Atqui intellectio pendet subjective a corpore. Ille enim actus a corpore subjective pendet qui corporis influxum subit, nec exerceri potest absque corporis influxu. Atqui intellectio influxum subit corporis,nam cerebrum in cogitationem redundat, et juxta minorem majoremve cerebri perfectionem homines minori majorive intelligentia pollent ; nec potest intellectio absque corporis concursu elici, nam, cerebro laeso, vel etiam turbatis functionibus vegetativis, intellectionis labor impossiblis evadit. Ergo intellectio pendet subjective a corpore.

— Resp. : Dist. maj. Ille actus a corpore subjective pendet qui subit *directe* et *per se* influxum corporis, nec potest exerceri absque influxu corporis ut *causa efficiente* et *per se,* concedo; ille actus a corpore subjective pendet qui subit *indirecte* et *per accidens* tantum influxum corporis, nec potest exerceri absque corporis concursu ut *mera conditione sine qua non,* vel instrumento, nego. Gontradist. min., et nego conclusionem. In præsenti conditione anima corpore ut ministro et instrumento jugiter indiget, quo fit ut corporis et præserlim cerebri influxus in ipsam animam refundatur, sicut major vel minor perfectio instrumenti redundat in artificis actionem. Sed influxus iste indirectus est et per accidens tantum ; est conditio sine qua non, minime vero causa efficiens.

Fenestræ apertura est conditio sine qua non illuminaretur aula, causa tamen illuminationis propria et per se est sol. Pariter, influxus cerebri potest dici causa sine qua non fieret intellectio, at causa efficiens et per se intellectionis estne cerebrum ipsum? Non probat objiciens.Dependentia ab instrumento vel ministro non est subjectiva, sed extrínseca. Ex eo quod causalitas artificis exposcat instrumenti operationem, male infertur actionem artificis non esse instrumentali operatione præstantiorem.

(1) « Les opérations intellectuelles ne sont pas, àia manière des sensations, attachées à des organes corporels; et, encore que parla correspondance qui se doit trouver entre toutes les opérations de l'âme, l'entendement se serve des sens et des images sensibles, ce n'est pas en se tournant de ce côté-là qu'il se remplit de vérité, mais en se tournant vers la vérité éternelle. » Bossuet, *Connaissance de Dieu et de soi-même,* ch. V, n. XIV

3° Intellectio requirit tempus ut perficiatur. Quod autem requirit tempus est forma quædam motus sensibilis. Ergo intellectio est forma motus sensibilis, non vero operatio immaterialis.

Resp. : Dist. maj. : Intellectio requirit tempus ratione operationum præviarum. quæ a facultatibus inferioribus perficiuntur, concedo, ratione sui, nego et nego conseq. Ut supra monuimus, n° V, id quod instrumentis mensuratur quodque tempori subjicitur est conditio prærequisita ex parte organorum, seu instrumentorum, at nullatenus probant materialistæ cogitationem ipsam mensurari aut tempori subjici (1).

4° Operatio ex objecto specificatur. Sed intellectus objectum est materiale. Ergo et operatio. Prob. min. Phantasma est aliquid materiale ; sed objectum intellectus est phantasma, nam *phantasma comparatur ad intellectum sicut color ad visum.* Ergo objectum intellectus est materiale.

— Resp. : Neg. min.,et ad ejus probationem, disting. min. Phantasma est id unde intellectus extrahit suum objectum,, concedo ; phantasma est ipsum objectum intellectus, nego,, et nego conclusionem.

— In imaginationis phantasmate involvitur universale. Est autem universale objectum intellectus humani. Igitur in phantasmate continetur intellectus objectum. At secundum se phantasma est singulare, nullatenus intelligibile actu; objectum vero intellectus est aliquid a singularibus abstractum. Itaque phantasma est solum id unde eruitur objectum intellectus, et hac ratione comparatur ad intellectum sicut color ad visum.

5° Juxta Angelicum intellectiva operatio pendet a corpore ratione objecti (2). Atqui ordo facultatis ad objectum est intrinsecus. Ergo intellectus pendet a corpore intrinsce.

— Resp.: Dist. maj. Actio intellectus pendet a corpore ratione objecti, hoc sensu quod corpus et actio corporis ministrent materiam ex qua eruitur objectum intellectus, concedo ;, hoc sensu quod corpus vel actio corporis sit ipsum intellectus objectum, nego.

(1) Quoad cæieras objectiones quas urgent Richet et Hebzen, cL Mercier, *Psychol,* n. 223.

(2) I. P. q. 75, a. 2, ad. 3.

Contradist. min. : Ordo facultatis ad ipsum objectum est intrinsecus, concedo ; ordo facultatis ad ea quæ sunt objecto extrínseca, et quæ ministrant tantum objecti materiam, est intrinsecus, nego, et nego conclusionem. Solutio patet ex dictis : neque corpus neque phantasma sunt proprie intellectus objectum, sed solum subministrant materiam ex qua intellectus propria vi abstractiva objectum suum eruit.

Hinc concludere licet cum Mosso nullam esse objectionem qua animæ immaterialitas evertatur : « Si l'on demande une prouve irréfutable de la non-existence dans le cerveau d'une force immatérielle, il n'en peut fournir aucune. »

X.—De materia cogitante. Ex intellectione probavimus animæ spiritualitatem, atque hujusmodi argumentum irrefragabile duximus. Nobiscum tamen non sentit Lockius. Animæ spiritualitatem de facto non inficiatur ; at placitis addictus philosophiæ cartesianæ, quæ corporum essentiam in trina dimensione reponit et eorum activitatem ad motum localem revocat, quæ insuper pronuntiat essentias rerum a divina pendere voluntate, Lockius autumat cogitationem non esse absolute materiae repugnantem. Quocirca ex cogitatione non licet spiritualitatem subjecti cogitantis inferre. Duobus fundamentis nititur illud assertum. Ex una quidem parte fas non est nostra finita intelligentia infinitam Dei potentiam metiri, hinc fas non est definire quid possit aut non possit Deus. Ex altera vero parte perspectas non habemus omnes materiae vires; ergo non licet certo affirmare quid sit materiæ repugnans aut conveniens (1). Cui sententiae adhæsit Voltaire (2).

XI. — Conclusio : Intrinsece repugnat dari substantiam materialem cogitantem.

Arg. Ium. Repugnat ut effectus præstantior sit causa. Atqui, si intellectio procederet a substantia materiali, effectus esset causa præstantior. Ergo repugnat ut intellectio procedat

(1) *Essai sur l'entendement humain,* liv. 4, c. 3.

(2) *Eléments de la phil. de Newton.* Theoriam illam sub novo respectu et ex aliis principiis instaurare videtur H. Bergson, qui perceptionem adscribit materiæ : « *La perception pure,* qui serait le plus bas degré de l'esprit, — l'esprit sans la mémoire, — *ferait véritablement partie de la matière telle que nous l'entendons.* » *Matière et Mémoire,* p. 249.

substantia materiali. — Major pro inconcusso axiomate habetur.

Quidquid in se gerit effectus, accipit a causa ; si quam ergo perfectionem haberet quæ non contineretur in causa, jam non esset effectus causæ.

Probatur min. Intellectio fit per formam quæ repræsentat res modo universali, necessario et immutabili. Sed hic modus substantiam materialem totaliter excedit, quæ est singularis, contingens et mutabilis.Ergo intellectio et forma intellectionis nobiliores sunt substantia materiali. Ergo daretur effectus nobilior causa.

Arg. IIum. De ratione substantiae cogitantis est ut possit redire in seipsam reditione completa, se totam intelligendo, se totam complectendo. Atqui substantia materialis non potest redire supra seipsam reditione completa, eo quod organis corporeis et extensis impediatur, nec etiam potest se totam complecti, quia impossibile est ut complicetur tota supra totam; sed tantum partes complicantur supra partes. Ergo impossibile est ut substantia materialis sit substantia cogitans. — Hic iterum valent omnia principia quibus in praecedenti thesi probavimus facultatem materialem organo materiali affixam se porrigere non posse ad spiritualia et ea quæ sensum transcendunt, cognoscitivum omnium corporum nihil habere corporei in sua natura nec corporeo uti organo in operando. Praedicta argumenta evincunt proprietates intellectionis et proprietates materiæ e regione opponi. At contradictoria attributa in eodem consistere subjecto prorsus repugnat. Ergo.

XII. **— Convelluntur Loekii principia.** His quæ in medium profert Lockius breviter respondetur : Non licet,inquit,limites divinæ potentiæ imponere. Ultro concedimus, at vero non est limitaro omnipotentiam divinam dicere impossibilia a Deo fieri non posse. Id quippe non ex defectu potentiæ facientis, sed ex defectu factibilitatis in re provenit. Inepte sane quis omnipotentiam divinam adstrueret contendendo Deum facere posse impossibilia, nam impossibilia efficere esset pessumdare seu delere essentias, seu inducere nihilum. Quis autem asseret perfectiorem evadere potentiam, quia potest ad destructionem essentiarum ferri, et habere pro termino ipsum nihilum ?

Quod addit adversarius, nobis perspectas non esse omnes materiæ proprietates, etiam admittimus. Porro hæc cogmoo necessaria non est. Ut certo sciamus cogitare non posse materiam, sufficit nosso aliquod materiæ attributum quod cum cogitatione omnino pugnet, sicut noccsse non est cognoscere omnes naturæ vires ut certo sciamus mortuum naturaliter resurgere non posse. Porro attributa materiæ attributis cogitationis e regione opponi jam ostendimus. Ergo scimus a priori cogitationem materiæ repugnare.

XIII. — **De demonstrabilitate spiritualitatis.** Nonnulli philosophi etiam spiritualistæ et catholici, ut Cl. Piat, autumant argumentis ontologicis non demonstrari evidenter spiritualitatem. Nam I0 ideæ nostræ imaginibus extensis, ideoque materialibus nituntur ; 2° repræsentationes nostræ intellectuales ab affectionibus nostris organicis dependent ; 3° vis intellectualis cum subjectis, temperamento crescit aut decrescit; 4° intellectus laborem et defatigationem patitur (1).

Resp. : Facta illa quæ objiciuntur demonstrant unitatem substantialem compositi humani, animam esse corporis formam, ideas nostras ex sensibilibus acquiri,intellectum indigere conversione quadam ad phantasmata. Quia ergo adeo arcta est unio illa, quia est unum esse et essentiae et personae, pronum est influxum illum in corpus· redundare, et resultare in organis defatigationem ; quia anima a corpore individuatur, mirum non est pro variis corporum affectionibus et temperamentis diversam esse vim intellectivam. At inde non impetitur spiritualltas, sed concluditur tantum intellectionem a corpore pendere extrinsece et ministerialiter. Cf. η. IX.

Si inspiciantur iterum argumenta quibus thesis stabilita est, liquido constabit singulis inesse valorem demonstrativum. Tenet probatio ex operationibus et objectis, nam independentia intellectus invicte se prodit in *respectu necessario* quem in simplici apprehensione, judicio et ratiocinio invenimus et in modo quo mens materialia attingit, nis III et IV; tenet probatio ex eo quod corporeum organum nequeat esse cogitationis causam, nis V et VIII. Hinc scientifici nullum inveniunt contra immaterialitatem intellectus factum, n° VI; tenet

(1) Gf. *Destinée de l'hommei* C. II.

tandem probatio ex animæ aspirationibus et finalitato,ut fatotur ipse Cl. Piat. « La preuve reprend sa force, quand on l'envisage à la lumière do la téléologic (1). » Hinc merito, decreto S. C. Indicis die il Junii 1855, a Pío IX. 15 Jun. approbato, proposita est subscribenda D. Bonnetty, sequens propositio : *Ratiocinatio Dei existentiam,* **animæ spiritualitatem,** *hominis libertatem,cm/i* **certitudine** *probare potest* (2).

XIV. — **Doctrina catholica et animæ spiritualitas.** Docet Scriptura esse in homine principium a materia distinctum, quod ad Deum redit dum corpus in pulverem revertitur : «Revertatur pulvis in terram unde erat, et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum (3) »; principium quod nec gladius nec mors attingit: «Nolitetimere eos qui occidunt corpus,animam autem non possunt occidere (4)». Concilia æquivalenter docent spiritualitatem cum animam vocant rationalem et intellectivam : VIII Conc.œcumenicum : *Unam animam rationalem et intellectualem* (5) ; concil. Viennense : *Substantia animae rationalis seu intellectivae.* (6) ; conc. Later. V : *Animam intellectivam.... cum ipsa immortalis sit* (7). Concilium autem Lator. IV expresse asserit hominem esse creaturam *ex corpore* et **spiritu** constitutam (8). Demum, decretum S. Cong. Ind. modo citatum declarat animæ spiritualitatem esse evidenter demonstrabilem.

(1) *Destinée de l'homme,* p. 90.
(2) Denzinger, η. 1506.
(3) *Eccl.* XII, 7.
(4) Matth. X, 28, Cf. Ματτη; XXVII, 50, Luc. Vili, 55.
(5) DenzigeR, 338.
(6) Id. 481.
(7) Id. 738.
(8) Id. 428.

ARTICULUS QUARTUS.

DE ANIMÆ HUMANÆ INCORRUPTIBILITATE, SEU IMMORTALITATE.

I. — Quii! et quotuplex sit immortalitas. Inamissibilitas esse dicitur incorruptibilitas, dum immortalitas inamissibilitatem vitæ importat.

Quia vita esse includit iliique plura superaddit, hinc omni immortali competit esse incorruptibile, licet non omni incorruptibili conveniat necessario immortalitas. Quæ tamen vocabula in præsenti quæstione promiscue usurpantur.

Scholastici triplicem praesertim distinguunt immortalitatem: *essentialem, naturalem, gratuitam. Essentialis* est inamissibilitas vitæ in eo qui est ipsa vita subsistens, seu in eo cujus existentia et vita cum essentia convertuntur. Immortalitas autem *naturalis,* eaque per participationem, est in eo cujus vita distinguitur ab essentia, qui tamen non suscipit potentiam intrinsecam ad non esse. Immortalitas demum *gratuita* ea est quæ ex indebito Dei beneficio alicui enti confertur quod subjacet potenti® intrinsecæ ad non esse. Hujusmodi est immortalitas quæ homini ante lapsum collata fuit et quæ iterum post resurrectionem nobis tribuetur.

Mortalitas autem, vel corruptio, duplex distingui potest : *ab intrinseco* et *ab extrínseco.* Corruptio ab intrinseco est in re quæ habet tendentiam subjectivam ad non esse. Quod quidem fit dupliciter : *per se* et *per accidens.* Aliquid corrumpitur per se, quando constat partibus essentialibus,quæ dissociari possunt, ut compositum substantiale, quod, per separationem formæ a materia, resolvitur in potentiam ex qua est. Itaque corruptio per se est dissociatio partium essentialium in compositis ex materia et forma. —Aliquid vero corrumpitur per accidens quod perit ad corruptionem alterius a quo pro-

pria existentia dependebat. Sic destructo mure corruit muri pictura. Corruptio per accidens competit et formis accidentalibus, et formis substantialibus quæ educuntur de potentia materiæ. Hujusmodi enim formae, cum partibus essentialibus careant, sunt incorruptibiles per se ; cum tamen a subjecto in fieri et in esse pendeant, desinunt ad ipsiussubjectidesitionem.

Corruptio autem *db extrínseco* est in re quæ, licet non habeat in se tendentiam ad non esse, potest tamen amittere esse per actionem agentis extrinseci.

Itaque immortalitas, seu incorruptibilitas, *db intrinseco* requirit ut ens corrumpi non possit, nec per se ncc per accidens. Immortalitas vero ab intrinseco et ab extrínseco simul exposcit ut ensnec per potentiam subjectivam ipsius ad non esse, nec por potentiam activam agentis extrinseci,mortem subire queat.

II. — **Referuntur sententiae.** Animæ rationalis immortalitatem inficiati sunt : 1° Materialistæ; 2° Sensistse, qui autumant intellectum a sensu non distingui nec ullam esse operationem a corpore simpliciter independentem ; 3° philosophi illi, Arabes præsertim, qui admittunt unum intellectum, unamve animam pro cunctis hominibus. Quæ anima, quatenus omnibus communis, incorruptibilis persistit, quatenus vero huic homini propria, ipso hominis intentu evanescit. 4° Defensores progressus continui,qui existimant naturam modo sub forma animæ, modo sub alia apparentia, in æternum evolvi.

Nonnulli catholici contendunt animæ immortalitatem non posse per solam rationem invicte et apodictice demonstrari,sed tantum ex fidei principiis. Ita plures scholastici cum Scoto. Hos merito carpunt Melchior Canus (1), et Bannez, qui ponit hanc conclusionem : « Dicere animæ immortalitatem non esse demonstrabilem per rationem naturalem, erroneum est (2) ».

— Teneamus igitur argumentis rationis invicte demonstrari immortalitatem tum intrinsecam,tum extrinsecam. Argumenta porro sunt multiplicis generis : alia sunt ordinis moralis, et probant præsertim *factum* immortalitatis, alia sunt psycho-

(1) *De'Locis theologicis,* lib. 12, c. 14.

(2) *Comm, in* I. P. q. 75, a. 6. — Dissentiunt pariter quidam catholici recentiores. — De qua controversia inter Cl. Piat et Bernies, cf. *Revue du Clergé français,* 1903.

logica et mctaphysica et ostendunt animam non solum fore corpori superstitem, sed etiam esse *natura sua* immortalem.

III. — Argumenta moralia. Primum inter moralia argumenta est consensus generis humani. Judicia sensus communis s_mt infallibili ter certa, dummodo 1°sint universalia et constantia apud omnes populos ; 2° de rebus necessariis ad vitam animalem. vel rationalem recte instituendam ; et dummodo 3° nulla queat assignari erroris causa unde eorum origo repeti possit. Atqui consensus populorum circa immortalitatem animæ est judicium hujusmodi. Ergo est judicium infallibiliter certum. Major exponit conditiones quibus gaudere debeant judicia sensus communis(l). Prob.min.

I0 Immortalitas ar.imæ fuit constanter et universaliter apud omnes populos admissa,ne exceptis quidem incultis et barbaris gentibus. Quod factum sive mythologia, sive poesis, sive philosophia universaliter testantur.

Certissima est Ægyptiorum fides, quæ in Libro Mortuorum et sepulturis manifestatur ; viguit ab initio apud Grœcos et Romanos ; notissimæ sunt Homeri et Virgilii descriptiones de inferis ; apud Assyrios celebratur descensus Istaris deæ ad inferos (2).

2° Hæc veritas necessaria est ad vitam rationalem rite instituendam ; ruit enim moralitas, nisi homines spe retributionis futuræ ad bonum incitentur et timore pœnæ futuræ a malo deterreantur, ut liquido ex sequenti argumento constabit.

3° Nulla potest assignari erroris causa. Non passiones, nam hic agitur de veritate quadam austera quæ passiones corripit eisque contrariatur ; non fraudes regum vel sacerdotum, nam impossibile est ut aliqui homines totum genus humanum decipiant, et consensum universalem instituant. lnsuper,quæ fiunt ex fraude et violentia cessant desinente causa. Atqui cessarunt gentilium reges et sacerdotes, exulavit idololatria, nec ideo destitit consensus universalis in animæ immortalitatem.

Arg. II ex sanctionis necessitate. Postulat necessario ordo

(1) Gf. *Logic Maf*, p. 350-351.

(2) De generis l umani consensu consuli possunt Fustel de Coulanges, *La cité ant'π* ?, l. I, c. I et c. II ; Vigouboux, *La Bible et les découvertes,* t. Ili, liv. TI, c IV; Henei Mastín, *La vie future.*

moralis ut actibus humanis præstituatur proportionata sanctio vi cujus virtus condignum premium, ct culpa condignam pœnam recipiat ; alioquin homines impune possent malum digere. Atqui, nisi anima sit immortalis, nec virtuti condignum confertur premium, nec infligitur culpæ condigna pœna. Ergo necessario postulat ordo moralis ut anima sit immortalis.

Prob. min. Duplex in hac vita concipi potest sanctio : I0 una interna, scilicet virtutis pulchritudo et pax conscientiae pro bonis ; turpitudo autem vitii ct conscientias remorsus pro malis ; altera externa, ut honor, opes, felicitas temporalis pro justis ; infamia vero, vindicta?, supplicia pro malis. Neutra autem sanctio est condignum premium aut condigna pœna. Primo quidem sanctio interna non est sufficiens. Nam quæ sequuntur virtutem non sunt virtutis premia sed potius proprietates et sequela, et sic ad meritum referuntur. At meritum, non potest respicere pro premio id quod est sibi proprium ut meritum est,secus meritum et premium non discriminarentur. Cæterum, hæc non sunt semper conjuncta cum felicitate ; quin potius arduus est in virtutis exercitio labor. Absonum est autem virtutem sua ipsa difficultate et labore premiari.

Aliunde, si virtus esset sibi sufficiens premium,posset juste virtuti denegari premium; quocirca in república bene instituta auctoritas non teneretur bonos premiari. — Tandem, sanctio interna non semper possibilis est. Quando enim vitam quis ponit pro bono virtutis, pro Dei amore vel patriæ liberatione, non praemiatur, pulchritudo quippe virtutis et.conscientiae gaudium cum vita amittuntur, si anima mortalis est. Repugnat vero tam heroicum virtutis exercitium omni mercede destitui. Ergo sanctio interna non est sufficiens virtutis premium (1).

Eadem ratione evincitur vitii turpitudinem et conscientiæ reatum non esse condignam peccati pœnam. Hæc enim sunt proprietates culpæ, non pœna culpæ. Vitii autem turpitudo, propter pravum habitum,a multis diligitur, nedum odio habea-

(1) « Quelle sera la récompense de rar- sacrifice ? Les vers de terre et les éloges peut-être d'un déclamateur auelconq e. Oh! alors, merci,à un autre les sacrifices et le dévouement, pour mo , je n'en veux pas ! » Cf. Abbé Henri Hugon, *L'indifférence religieuse*^ p. 32. Paris, Maison de la Bonne Presse.

tur ; conscientiæ vero remorsus passionibus et voluptatibus obruitur. Insuper, cur remaneret remorsus, si nihil post vitam esset timendum ?

Aliunde plura peccata, et praesertim suicidium, nulla plecterentur poena ; nec deberet judex homicidis et scelestissimis hominibus supplicium infligere, cum conscientia sufficiens et condignum reputetur supplicium.

2° Sanctio externa insufficiens est. Honor debetur quidem virtuti, sed non semper confertur, vel quia ezt virtus secundum se occulta,vel quia adversarios of/endit c. quibus occultatur et præsertim impugnatur. Culpæ autem sæpius nulla infligitur pœna, vel quia culpa occulta est,vel quia patronos nanciscitur a quibus defenditur et praemiatur. Opes vero et felicitas temporalis bonis et malis communes sunt, imo plerumque iniquis prospera cuncta cedunt,et justis evenit tribulatio.Unde dicit Apostolus, ii *Timoth.* m : *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu persecutionem patientur :* et i ad *Corinih.* xv; *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.*

Confirmatur et urgetur argumentum. Infandum omnino esset peccatorem impune posse Deo resistere et contradicere. At, si anima in ipsa morte, vel aliquando post mortem evanescit,peccator poterit impune Dei violare mandata,sic blasphemando ; Non timeo Dei supplicia, quippe quæ vel locum nullatenus habebunt, vel saltem aliquando post mortem desinent. Ergo ex argumento morali sequitur animam non solum corpori superstitem fore, sed et immortalem et aeternam esse (1).

IV. — Argumentum psychologicum ex desiderio semper vivendi.

Dicuntur argumenta psychologica quæ ex ipsa animæ natura depromuntur, cujusmodi est argumentum ex desiderio semper

(1) Quæ conclusio ad o convincens est ut scripserit J.J. Rousseau : ʊ Quand je n'aurais d'autres preuves de l'immoi Ialite de l'âme que le triomphe du méchant et l'oppression du juste, cela seul m'empêcherait d'on douter. Une si choquante dissonance dans l'harmonie universelle me ferait chercher à la résoudre ; je me dirais : Tout ne finit pas pour nous avec la vie, tout rentre dans l'ordre à la mort. » — Generalis Du Barrail, aliquando Djputatos alloquens, exclamavit: « Si aux hommes de guerre vous enlever la foi dans une autre vie, vous n'avez plus le droit d'exiger d'eux le cacrihce de leur existence. »

vivendi,nam desiderium illud in ipsissima animæ natura fundatur. Quæ probatio non est tantum *a priori,* sed experientia aliquatenus nititur.

Arg.1‖m.Anima *vi notarse suæ* desiderat semper esse.At desiderium naturae non frustratur. Ergo anima semper existet. Probatur major.Unusquisque hujusmodi desiderium in seipso experitur. Id liquido etiam ostendit ratio. Cum enim desiderium in rebus cognoscentibus cognitionem sequatur, unumquodque desiderat osse eo modo quo esse apprehendit. At intellectus apprehendit esse absolute et secundum omne tempus. Ergo omne habens intellectum desiderat esse semper ; habens vero sensum,cum cognoscat esse *ut nunc,* desiderat esse *ut nunc,* non autem semper, quia esse sempiternum non apprehendit(l).

Prob. min., scilicet naturae desiderium non frustrari. Quod est a natura a Deo auctoro procedit.Sod Deus nihil indidit quod debeat esse vanum et incassum, præsertim in homine, qui inter Dei opera eminet (2).

Desiderium naturale est conatus naturae ad aliquid. At natura conatus non est ad impossibilia ; secus Deus sibi contradiceret, naturam inclinando et simul denegando media inclinationem et conatum explendi. Ergo desideria natura semper satiantur, nisi agatur forte de desideriis conditionatis et improprie dictis. Vide infra, n° vin.

V.—Huc accedit argumentum ex finalitate.Est in nobis tum in ordine cognoscitivo tum in ordine appetitivo quædam tendentia et finalitas quæ non potest in rebus sensibilibus expleri : cogitatio, desiderium sciendi, nullatenus in hac vita satiantur : « Supposez que tout se termine au néant ; et notre pensée n'a plus aucun moyen de s'égaler à son objet essentiel. Par là même la tristesse éclôt dans notre cœur et s'y fortifie toujours davantage. Plus nous avons de vigueur de pensée, plus le sentiment de l'universelle vanité nous étreint, plus nous éprouvons de satiété et de dégoût. A mesure que notre raison s'approche de son but qui est la vérité, notre sensibilité s'éloigne du sien qui est le bonheur (3). »

(1) I. P» q. 75, a. 6.

(2) a Tous les êtres atteignent leur fin ; l'homme seul n'atteindrait pas la sienne ! la plus grande des créatures serait la plus maltraitée ! » Cousin, *Cours d'histoire de la philos, moderne,* t. Il, p. 359.

(3) Cl. Piat, *Destinée de l'homme,* pp. 160-161.

In ordine appetitivo,amor et desiderium fruendi non satiantur in hac vita : ergo altera expectanda est. « Le succès et l'insuccès, la possession et la privation, le plaisir et la souffrance nous acculent également à la même constatation finale : il n'y a rien sur la terre où notre volonté puisse s'égalei à elle-même; il n'y a rien dans le monde que notre amour ne dépasse de l'infini. Et ce besoin essentiel de franchir les limites du devenir, cet élan invincible vers l'au-delà, qui part du fond même de notre nature, ce ne sont pas seulement les Augustin, les Gerson, les Pascal qui l'ont mis en lumière. Les penseurs les plus remarquables de notre siècle de positivisme en ont aussi affirmé l'indélébile et vivace réalité... Si tout finit avec le dernier soupir, l'homme est un être manqué : il est tel par nature ; il l'est d'autant plus qu'il touche de plus près à son point de maturité.Or il n'est pas rationnel de croire à une antinomie aussi profonde : on ne peut admettre que cette même finalité qui s'accuse si visiblement dans toutes les espèces inférieures s'arrête brusquement au plus haut degré de la vie, et y fasse à jamais défaut. Si l'amour, qui fait le fond de nos âmes, exige l'existence de l'Absolu, c'est que l'Absolu existe et comme notre fin ; c'est qu'il est à la fois le principe qui nous meut et le terme auquel nous tendons ; c'est que notre être est suspendu tout entier à son être. « Il y a quelque chose en nous oui ne meurt pas (1) », et dont la vie est Dieu lui-même (2). »

VI.—Argumenta motaphysica a priori.

Arg. 1IIIII (3). Intelligibile et intellectus, appetibile et voiuntas sunt ejusdem generis.Atqui intelligibile, in quantum est intelligibile, necessarium est et incorruptibile, et pariter objectum voluntatis est necessarium et incorruptibile.Oportet ergo intellectum et voluntatem incorruptibiles esse. Declaratur maj. Intelligibile est propria perfectio intellectus,et appetibile propria perfectio voluntatis. Sed perfectio et perfectibile sunt unius generis, si quidem ad unum integrandum ordinantur et tendunt, perfectibile quidem ut inchoatio, perfectio vero

(1) Bossuet, *Sermon sur la mort,* Carême du Louvre. Ed. Lebakq. t.IV, p. 175.

(2) Cl. Piat, *La destinée de l'homme,* pp. 188, 193.

(3) II *Contra Gent.* c. 55.

ut complementum. Quod igitur intelligibili in quantum est intelligibile convenit,est etiam intellectui in quantum hujusmodi adscribendum, et pariter quod appetibili ut sic attribuitur est voluntati proprium. Verbo, facultas est objecto mensurata. Ergo objecto incorruptibili proportionatur facultas incorruptibilis (1).

Prob. min. Ea de quibus intellectus habet scientiam sunt universalia et immutabilia, nam contingentium et corruptibilium non paritur proprie scientia nisi sub ratione qua sunt incorruptibilia et universalia. Objectum vero voluntatis est bonum universale, ideoque bonum incorruptibile ; bona enim sensibilia et contingentia nequeunt appetitum rationalem satiare.

Arg. IIum. Illud est ab intrinseco, seu natura sua, incorruptibile quod non potest nec per se nec per accidens corrumpi. Atqui anima humana nec per se nec per accidens corruptioni subjicitur. Ergo est natura sua immortalis. Major constat ex prænotatis η. I. Prob. min. Anima non corrumpitur per se, cum sit partium essentialium expers, nec per accidens, quia spiritualitato gaudet.

In forma. Illud corrumpitur per se quod partibus constat essentialibus quæ dissociari possunt. Atqui anima partibus tum essentialibus tum integrantibus caret. Ergo. — Illud autem corrumpitur per accidens quod perimitur ad destructionem alterius a quo in esse dependcbat.Atqui anima humana habet esse et operari independens a materia. Ergo anima corrumpi nequit per accidens ad corporis destructionem. Liquet argumentum ex articulis II et III. Unde, sicut anima nonnisi creatione oritur, ita nonnisi annihilatione desinere posset (2).

Arg.IIIun,(3). Anima est forma tantum; id est non componitur ex materia et forma. At vero esse est inseparabile a forma. Ergo esse est inseparabile ab anima.Ergo· anima est incorrup-

ti) « L'âme née pour considérer ces vérités et Dieu où se réunit toute vérité, *par là se trouve conforme à ce qui est éternel.* » Bossuet ,*Connaissance de Dieu et de soi-même,* c. V. η. XIV.

(2) « Ainsi,on peut dire que les monades ne sauraient commencer ou finir que tout d'un coup, c'est à dire, elles ne sauraient commencer que par création et finir que par annihilation ; au lieu que ce qui est composé commence et finit par parties. » Leibnitz, *Monadol.* n. 6.

(3) I. P. q. 75, a. 6, et II *Contra Gent.* c. 55.

tibilis. Minor explicata est in tractatu de materia et forrna (1). Breviter resumitur hæc probatio : Esse per se convenit formæ, id est, 1° immédiate, non per aliud, non mediante aliqua forma vel actione agentis, et 2° non per accidens. Nam de ratione formæ est ut sit actus largiens osse ; supposito ergo quod existât, esse ei convenit per se. Atqui quod convenit alicui per se est inseparabile ab illo. Ergo esse est inseparabile a forma. Et revera, ut ibidem notavimus, corruptio fit, non quia esse a forma separatur, sed quia forma separatur a materia. Itaque esse non potest separari nisi separetur forma. Atqui forma, quæ bene separari potest a materia, a seipsa separari nequit. Ergo esse est a forma penitus inseparabile.

Confirmatur. Omnis potentia ad non esse provenit a materia. Ergo quod est forma tantum nullam suscipit potentiam ad non esse. Prob. antecedens. Nulla potentia appetit per se primo non esse, cum nihilum excludat rationem boni. Ergo, si appetit non esse, id fit per accidens, in quantum appetit aliud esse incompossibile cum esse quod actu habet. Atqui appetere aliud esse incompossibile cum esse actuali, convenit soli materiæ primæ, quæ appetit formam novam cum forma actuali incompatibilem.

Forma vero non appetit aliam formam secum ipsa pugnantem, nec aliud esse cum suo ac proprio esse incompatibile, alioquin propriam appeteret desitionem, quod implicat.

Ergo omnis potentia ad non esse provenit a materia prima. Anima ergo, quæ est omnis materiæ expers, nullam habet potentiam intrinsecam ad non esse, atque ideo est incorruptibilis ab intrinseco.

VII.—Demonstratur animami esse immortalem ab extrínseco, id est, neque a causa creata neque ab ipso Creatore annihilari.

Non a causa creata. Cum inter esse et nihilum eadem mediet distantia quæ intercedit inter nihilum et esse, eadem omnino requiritur potentia ad creandum et ad annihilandum. Atqui ad creandum requiritur potentia infinita. Ergo annihilate potentiam exposcit infinitam, quæ sane nulli creaturae competere potest.Insuper, esse proprius est effectus Dei. At

(1) I. P. *Phil. Nat.* Tract. II, q. II, a. II, vol. II, pp. 139-140.

nulla creatura potest impedire proprium Dei effectum. Ergo nulla creatura potest impedire esse, seu annihilare.

— Non a Deo. Deus quidem, sicut potuit omnibus non communicare esse, ita, de sua potentia absoluta, posset cis non influere esse, quæ ita in nihilum deciderent. At de facto quid Deus sit acturus sola ratione possumus ex ipsa natura rerum certo dignoscere. Quod sic ostenditur :

Proprium est naturis intellectualibus ut sint immortales. Atqui « Deus, qui est institutor naturæ, non subtrahit rebus quod est proprium naturis earum (1). » Ergo Deus nunquam subtrahet animabus immortalitatem. Re quidem vera Deus sibi contradiceret, ex una parte proprietatem infundendo perpetuam, et ex altera parte impediendo ne sit perpetua. —An-nihilatio esset miraculum, utpote contra rerum naturam, quæ postulat æternitatem. Atqui certi sumus miraculum illud nunquam esse a Deo inducendum.Ergo nunquam fiet animarum annihilatio. Prob. minor : « Quæ miraculose fiunt ordinantur ad gratiæ manifestationem», nam ordo naturalis non debet immutari nisi propter superiorem ordinem. Atqui « redigere aliquid in nihilum non pertinet ad gratiæ manifestationem, cum magis per hoc divina potentia et bonitas ostendatur, quod res in esse conservet. » Deus ergo debet animas in esse conservare, non quasi aliquid ipsis animabus debeat, sed quia id suæ sapientiæ debet.

Tandem, ratione certo scimus a Deo nunquam aliquid fieri quod suæ sanctitati et justitiæ repugnet. Porro justitia et sanctitas Dei expostulant ut anima perpetuam retineat durationem, sicut concludimus ex argumento morali. Ergo certo scimus, *sola ratione,* nunquam a Deo animas humanas fore annihilandas. Revelatione autem certissimum est a Deo in æternum conservandas esse animas sive justorum sive damnatorum, juxta illud Matth. xxv : *Ibunt hi in supplicium* **æternum,** *justi autem in vitam* **æternam.**

Vili.—**Animadversio in commenta rosminiana.** Licet concedat Rosminius animam non destrui in morte corporis, vult tamen ipsam, attento naturali statu, existere perinde ac si non existeret.Cum enim non possit ullam supra seipsam obire ope-

(1) II. *Coni. Gentes,* c. 55.

rationem, seu reflexionem, aut ullam habere sui conscientiam, ipsius conditio similis dici potest statui tenebrarum perpetuarum et somni sempiterni. Anima tamen credentis trahitur in communicationem cum Humanitate D. N. J. G., et Christus est ei resurrectio, et anima perpetuo vivit, quia non amplius a Christo separatur.

Ex his commentis sequitur fidelium tantum animas vera vita gaudere post mortem, cæteris autem nullam compotere naturalem operationem. Insuper videtur Rosminius attribuere immortalitatem gloriosam soli fidei, cum tamen certum sit gratiam et charitatem ad æternam requiri salutem. Absurdum vero inducit, statuendo animam existere, nec ullam tamen obire operationem. Operari quippe intellectuale sequitur esse intellectuale. Ergo, si anima esse intellectuale retinet, aliquam obit operationem intellectualem, neque ad hoc necessario requiritur corporis consortium aut ministerium, ut dicetur modo in responsione ad secundam objectionem. Igitur tenendum est animam rationalem naturaliter existere et vivere et operari post mortem. Unde merito fuit damnata Rosminii doctrina a S. C. Inquisit. 14 Decembr. 1887 (1).

IX. — **Solvuntur difficultates.** Objectiones plurimas jam praeoccupavimus. Ostendimus animalia non appetere esse sempiternum, sed esse ut *nunc.* Restat tamen difficultas desumpta.ex .desiderio naturali quo appetimus corpori immortalitatem.

1° Sic ergo potest objici : Desiderium immortalitatis corporis est desiderium naturale. Atqui hujusmodi desiderium non impletur. Ergo desideria naturalia possunt esse frustra.

Resp. Dist.maj.: Desiderium immortalitatis corporis est desiderium naturale, *conditionaium,* concedo ; *absolutum,* nego. Distinguo conclusionem : Ergo desideria naturalia *conditionata* possunt esse frustra, transeat ; *absoluta,* quale est desiderium immortalitatis animæ, nego.

Multa sunt quæ natura vellet, si fieri possent ; sed quia natu ra deprehendit illa naturaliter fieri non posse, nec illa appeti

(1) Cf. Denzinger, n. 1758. — De anima separata sermonem hah mus in *Metaphy^Psychol.*

absolute. Vellet quidem corporis immortalitatem ; attamen nequit velle absolute quæ sunt præter naturam. Porro est secundum naturam ut corruptioni subjaceat corpus, quippe quod infirmis constat elementis. Ergo natura non vult absolute immortalitatem corpori. Sed anima appetit sibi esse modo absoluto. Appetit enim et desiderat sibi esse sicut cognoscit. Apprehendit autem esse absolute; ergo desiderat esse absolute. Desideria porro absoluta frustrari nequeunt propter rationes superius allatas. Desideria autem conditionata non tenetur Deus satiare, nisi forte ex quadam congruentia. Hinc congrua, sed non cogens, eruitur ratio pro corporum resurrectione.

2° Anima non potest existere absque operatione intellectuali. Atqui anima, destructo corpore, nullam operationem obit intellectualem. Ergo. Prob. min. Omnis operatio intellectualisrequirit phantasmatis concursum. Sed destructo corpore possibilis non est phantasmatis concursus. Ergo.

Resp.: Nego min.,et ad ejus probationem, distinguo majorem : Operatio intellectualis requirit phantasmatis concursum *ratione status,* concedo ; *essentialiter* et *absolute,* ita ut repugnet fieri aliter, nego ; et nego consequentiam.

Operatio intellectus in eo essentialiter reponitur quod attingat objectum immateriale ; quod.autem rem immaterialem ex phantasmate vel alio modo sibi attrahat intellectus, est quid per accidens et accessorium-Accessorio autem remoto non perimitur quod est eSsentiaie.Inpræsenti quidem fit intellectio per conversionem ad phantasma ; remanent tamen alii modi quibus anima in alio statu potest intelligere. Anima quippe separata potest seipsam immediate intueri, et seipsam per seipsam intelligere ; insuper illas secum retinet species quas in præsenti vita comparavit. Sed præsertim intelligit per species a Deo infusas. Naturale quippe est ut Deus animas separatas regat eo modo quo convenit substantiis separatis ; proprium autem est substantiis separatis ut per infusas species intelligent. Ergo naturale est ut Deus species et lumen peculiare animabus separatis influat.

3° Anima individuatur a corpore. Atqui sublata, causa tollitur effectus. Ergo destructo corpore evanescit individuatio animæet ipsamet anima.

Resp. Dist. maj.: Anima individuatur a corpore *occasionali-*

ler, concedo ; *causaliter* et *efficienter,* nego. Contradist. min. ; Sublata causa *efficiente* quæ influit et conservat esse,tollitur effectus, concedo ; sublata *causa* mere *occasionali,* nego. Solutio explicata est in alia parte, ubi de principio individuationis (1).

4° Supplicium æternum non habet proportionem cum culpa finita. Ergo saltem animæ impiorum annihilabuntur.

Resp. imprimis : Hoc argumentum ad summum evinceret supplicium aliquando cessaturum,non autem ipsam animam. Sed argumentum non tenet. Nam culpa malitiam habet infinitam, ergo punienda est poena quadam ratione infinita, sin minus intensitate, saltem duratione.

Aliunde justitia divina magis manifestatur in animæ conservatione quam annihilatione; oportet enim ut ipsa anima quæ peccavit supplicium in seipsa sentiat et poenas in seipsa luat. Porro si anima aliquando annihilaretur, condignam vindictam non subiret, quia quod non est Dei vindictam non suscipit. Itaque aeternitas poenarum est veritas certissima. Attamen animæ immortalitas ab illo dogmate non dependet (2).

X.— De denionstrabllitate immortalitatis. Quidquid asseverent nonnulli recentiores, tenendum omnino est immortalitatem animæ esse evidenter demonstrabilem.Ad immortalitatem ab intrinseco quod attinet, probationes sunt evidentes et cogentes. Nam Io liquet argumentum morale nullis posse concuti objectionibus : nulla sane remanet sufficiens morum sanctio si anima non est corpori superstes.-2° Argumenta ex desiderio semper vivendi et ex finalitate desumpta nullo valido impugnantur motivo,sed potius omnia evincunt absoluta desideria ab ipso naturæ Conditore indita et finalitatem ultimam

(1) I. P. *Phil. Nat.* Tract. II, q. IV, a, II, vol. II, p. 249.

(2) Consuli possunt S. Thomas, locis citatis ; Cajetanus, *Comment.* in I. P. q. 75 ; Melchior Canus, Bannez, loc. cit; Suarez, *De Anima ;* Joannes a S. Thoma, q. IX ; Bebgier, *Traité historique et dogmatique de la religion,* tom. 3 ; Chateaubriand, *Génie du christianisme,* l. 6, c. 3 ; Auguste Nicolas, *Eludes philosophiques sur le christianisme,* t. I ot. II; Freppel, *Les apologistes chrétiens,* au IIe siècle ; Monsabré, *carême de* 1875, 17·· conférence et *carême* de 1889 ; Bernies, *Spiritualité et hnmo'·taliié;* et scholastici philosophi communiter; ex Patribus S. Augustinus, *De Trinitate,* lib. XIII, c. Vili et IX.

nullatenus posse frustrari. 3° Quæ depromuntur ex parte objecti pari evidentia gaudent. Nam verum universale et appetibile universale => infinitum in durationc, seu incorruptibile. 4° Si constat animam nostram esse a corpore independentem in sua operatione,ipso facto liquet ipsam immortalitate gaudere. Qui negant principium celebratum : *Spirituale = immortale ab intrinseco* non videntur plenam vocabulorum significationem attigisse.Quid est spirituale ? Independens a corporo in esse. Quid est immortale ? Independens a corpore in esse, adeo ut, destructo corpore, ipsum esse permaneat. Adæquatio ergo est certo asserenda inter spirituale et immortale ab intrinseco. Quocirca erit certo demonstrabilis immortalitas si certo demonstratur spiritualitas. Jamvero constat spiritualitatem certo demonstrari. *Ratiocinatio... animæ spiritualitatem cum certitudine probare potest* (1).

Nec ullam rationem contra animæ spiritualitatem præbere valent scientifici, ut jam audivimus a Mosso : « Si l'on demande à un physiologiste une preuve irréfutable de la non-existence, dans le cerveau, d'une force immatérielle, *il ne peut la donner.* »

Si qua ergo esset difficultas, ab extrínseco oriretur. At jam compertum est etiam immortalitatem ab extrínseco esse evidenter demonstrabilem, nam ratio ostendit animam non esse a Deo annihilandam neque naturaliter neque miraculose (Gf. n.VI).

Quod si reponant adversarii argumenta metaphysica ab hodiernis philosophis despici propter Kantiana præjudicia, id sane non efficit rationibus nostris deesse valorem apodicticum, sed potius evincit philosophos illos esse prius,ex principiis sanae critcriologiæ, a vitio criticismi et scepticism! curandos. Hinc, in Formulario a S. Cong. Episc. et Regul. proposito, promisit D. Bautain « de ne jamais enseigner qu'avec la raison toute seule on ne puisse démontrer la spiritualité et *Vimmor' Ialite de Pâme* (2).»

(1) Decretum S. G. Indicis 11 Junii.1855, a. S.S. P. Pio IX, 15 Junii approbatum.

(2) Gf. De Réqny, *Bautain,* pp. 336-338.

ARTICULUS QUINTUS.

2JE origine ANIMARUM HUMANARUM

I. — Referuntur sententiæ. Diversæ sententiae animarum originem spectantes ad quadruplicem formam reducuntur : *emanaiismum, traducianismum, transjormismum,* et *creationismum.* —*Fmanatismus* est antiquissimus error. Primi philosophi, imaginationem transcendere non valentes, nihil praeter corpora esse posuerunt, et ideo Deum dicebant esse quoddam corpus quod esset principium aliorum. Et, quia animam ponebant esse de natura ejus corporis quod est principium, sequebatur animam esse de substantia Dei.Sic Manichaei Deum esse quamdam substantiam corpoream existimantes,quamdam partem illius lucis animam esse posuerunt corpori alligatam (1). Quidam vero aliquid incorporeum apprehenderunt, non tamen a corpore separatum,et sic posuerunt Deum esse animam mundi quæ magno se corpore miscet, animam vero humanam partem esse hujus animæ totalis, sicut homo pars est totius mundi. Hic est error Stoicorum,Varronis, et generatim pantheistarum.—*Traducianismus* asserit animam a parentibus progigni, mediante aliquo semine,vel corporali,vel saltem spirituali.— *Transformismos* vultunam speciem in aliam converti, ac tandem ipsum hominema simio esse ortum.—*Crealionismus* demum docet omnes ac singulas animas immediate a Deo· creari. Et hæc est catholica doctrina.

II. — Confutatur cinanatismus (2).

Arg. Ium. Humana anima est corporis forma. At implicat ut divina substantia vices gerat causæ materialis vel formalis, quia tunc illius limitationis et imperfectionis fieret particeps.

(1) I. P. q. 90, a. 1.
(2) Π *Contra Gent.* c. 85.

Ergo anima non est Dei substantia.

Arg. IIum. Omne illud ex quo fit aliud est in potentia ad id quod fit ex ipso. At substantia Dei non est in potentia ad aliquid, cum sit actus purus. Ergo impossibile est ut ex substantia Dei fiat anima vel aliud quodeumque.

Arg. IIIum. Deus est ens simplicissimum ; at simplex est necessario impartibile. Ergo anima non est pars Dei.

Esset ergo tota substantia divina ; sed substantia divina unica tantum osse potest. Ergo daretur unica anima pro cunctis hominibus ; hinc perimitur individualitas et, consequenter, realitas animæ nostræ,ut acute animadvertit S.Augustinus (1).

III. —Traduciaiiismi divers» form». Parentes dicuntur totum hominem, non partem dumtaxat hominis generare. Ex quo sequi videtur corpus et animam a parentibus traduci. Porro generatio viventium semine peragitur. Anima itaque a parentibus procederet mediante semine ; et juxta modum quo semen in animæ productionem putatur influere, duplex distinguitur traducianimus, *corporeus* nempe et *spiritualis,* qui proprie *generatianismus* dicitur.

Qui traducianismum corporeum tuentur existimant virtutem plasticam quæ est in semine, per necessariam virium naturalium evolutionem, ad ipsam animam humanam pertingere, eo modo quo granum frumenti naturali sua explicatione animam producit vegetativam. Huic sententi® videtur favisse Tertullianus ; adhærent materialist®, sensistæ, et generatine quicumque tenent animam humanam a brutorum animabus essentialiter non discriminari. *Generatianismus* autem, ut animæ spiritualitati consulat, docet semen corporeum non esse propriam et principalem productionis animæ nostræ causam sed, ad summum, instrumentaient! ; animam autem ipsam ab anima generantis directe emanare « tamquam lucerna de lucerna accendatur, et sine detrimento alterius, alter inde ignis existât », ut dicit Augustinus. Igitur, juxta traducianismum spiritualem, anima progignit animam, spiritusque spi ritum, sive mediante aliquo semine incorporeo quod animæ inesset vel in semine corporeo lateret, sive alio modo nobis

(1) Cf. *De Anima et ejus Origine,* lib. I, c. XIX, n. 32 ; *De Genesi ad litteram,* lib. VII, n. ultim.

ignoto. Hunc generatianismum, qui tribuitur Apollinaristis, plures SS. Patres non audebant damnare, eo quod propagationi originalis peccati congruat. Anceps fuit Augustinus.

De traducianismo corporeo hæc habet : « Quo perversius quid dici potest ? » De spirituali vero : « Quarum autem rerum atque causarum consideratione permoveor, ut in neutram assertionem meus inclinetur assensus, sed adhuc inter utramque disputem (1).» Hieronymus tamen et alii Patres communius creationismum propugnabant.

Generatianismum sub nova forma proponunt Frohschammer et Rosminius, de quibus infra.

IV. — Prima conclusio : Tratlucianismus corporeus intrinsece repugnat.

Est doctrina haeretica, utpote adversans animæ spiritualitati et immortalitati, quæ sunt de fide. Ratione vero multipliciter confutatur (2).

Arg. Ium. Res habet esse sicut et operatur, cum unumquodque operetur in quantum est ens. Ergo quorumcumque principiorum operationes non possunt esse sine corpore, nec eorum initium sine corpore esse potest ; et, e contrario quorum operationes sine corpore sunt, eorum generatio non est per generationem corporis. Atqui operatio animæ nutritivas et sensitivas non potest esse sine corpore ; operatio autem animæ intellectivæ est independens a corpore. Ergo anima nutritiva et sensitiva per generationem corporis oriuntur, non autem anima intellectiva. Sed traductio seminis ad corporis generationem ordinatur. Igitur anima nutritiva et sensitiva esse incipiunt per seminis traductionem, non autem intellectiva.

Arg. IIura. Si anima oriretur ex semine, esset forma producta per materiæ transmutationem. Quod autem ex materia transmutata progignitur, de potentia materiae educitur. Ergo anima esset de potentia materiæ educta, quod est spiritualitatem pessumdare.

(1) *Ad Optatum, epist.* 190.— *In Epist. ad Hieronymum* scribit · «Illa de animarum novarum creatione sententia, si hanc fidem (de peccato originali) fundatissimam non oppugnat, sit et mea ; si oppugnat, non sit et tua. » Cap. VIII, n. 25.

(2) II. *Contra Gentes,* c. 85, — Cf. Cooonnier , *Ame humaine,* c. VII

Prob. maj. : Vol anima actu in ipso semine implicatur, vel in seminis virtute continetur. Primum autem est quid absonum, nulla quippe forma continetur actu quasi latitans in materia ; ne ipsæ quidem animæ brutorum resident actu in semine, a fortiori contineri nequit anima humana.Nec fingi potest animam generati ab anima generantis avelli et dividi, sicut separatur semen a corpore. Nam propria, distinctiva ac principalis virtus animæ intellectivæ, est intellectus. At intellectus, cum non sit actus alicujus partis corporeæ, dividi nequit etiam per accidens ad corporis divisionem.

Ergo anima humana non potest esse in semine quasi divisa per accidens ab anima generantis. Restat igitur secunda hypothesis, nempe quod in seminis virtute contineatur. Porro virtus activa qua instruitur semen ad generationem influit movendo et transmutando corpus, virtus enim quæ est materiæ alligata non potest aliter agere nisi materiam transmutando. Ergo anima produceretur per transmutationem materiæ, quod spiritualitati officit.

Arg. IIIum. Nulla virtus activa agit ultra genus suum. Atqui omnis virtus seminis est materialis. Ergo non agit ultra genus materiæ ; ergo non attingit animam spiritualem.

Demum, quum modus inceptionis et modus desitionis sibi respondeant, si generatione corporis oriretur anima, corruptione corporis etiam desineret. Traducianismus itaque immortalitatem evertit.

V. — Secunda conclusio : Gcncratianisinus intrinsecam involvit repugnantiam. Generatianismus nonnisi triplicem hypothesim fingere potest: vel anima emanat a substantia generantis, vel generatur ex semino spirituali, vel a parentibus creatur. Singulæ autem implicant hypotheses. Ergo repugnat generatianismus. Probatur min. per partes.

1° Anima humana non emanat, quippe quæ est omnino impartibilis, tum quia est forma perfectissima, tum quia ejus virtus propria est intellectus, qui nullatenus potest etiam per accidens dividi. Insuper, in hac hypothesi tot anima amitteret partes quot filii generantur ; hinc qui multos progignunt natos animam magis atque magis diminutam haberent, quod ridiculum et absonum est.

2° Non ex semine spirituali. Sic enim, semen spirituale converteretur in animam sicut semen grani transmutatur in plantam.Ergo fieret transmutatio in substantiis spiritualibus.

Atqui ubi datur transmutatio substantialis, intervenit corruptio. Ergo anima corruptioni subjiceretur.

Insuper in hypothosi ista, anima esset composita ex forma et ex illa materia spirituali. Sed anima est forma materiæ corporalis. Ergo idem actus esset simul forma materiae spiritualis et materiæ corporalis.

.Repugnat porro ut idem actus in potentiis diversorum generum recipiatur. Ergo.

Restat itaque tertia hypothesis. Frohschammer, ut generatianismum restauraret et defenderet,docuit a parentibus produci animas filiorum proprie dicta creatione,licet secundaria, per virtutem specialem a Deo genitoribus communicatam in prima rerum origine.At facili negotio confutatur hoc assertum. I0 Gratis asseritur fuisse a Deo parentibus communicatam virtutem creativam : nullibi legitur, nec ulla ratione probatur. 2° Repugnat ut creatura possit creare,sive ut causa principalis, sive ut causa instrumentalis. Ad causalitatem principalem quod attinet nobiscum consentit Frohschammer ; de causalitate autem instrumentali recolantur quæ disseruimus in Cosmologia. Creatio est ex nullo præsupposito. At in omni instrumento præsupponitur aliqua actio propria dispositiva ad effectum causæ principalis. Ergo nulli instrumento potest creatio communicari (1).

VI. — Opinio Rosminii. Docet Rosminius parentes filiis animam transmittere, sed sensitivam tantum,quæ transmutatur, et intellectiva evadit per entis idealis apparitionem.

« Homo ponit animal, Deus creat animam intelligentem in eodem instanti quo animal ponitur ; creat animam eam illuminando splendore vultus sui, ipsi participando aliquid sui, ens ideale, quod est lumen creaturarum intelligentium.» — Similem opinionem refert et refutat Angelicus : « Alii dicunt quod illa eadem anima quæ primo fuit vegetativa tantum, postmodum per actionem virtutis quæ est in semine perducitur ad hoc ut ipsa eadem fiat sensitiva,et tandem ad hoc ut ipsa

(1) I. P. *Phil. Nat.* Tract. I, q. II, a. IV. Tom. II, p. 58-60.

eadem, fiat intellectiva, non quidem per virtutem activam seminis, sed per virtutem superioris agentis, scilicet Dei do foris illustrantis (1). »

VII. — **Rejicitur tradiicianismus rosminiaims.** Non solum philosophiæ, verum etiam doctrinæ catholicæ adversatur. Die enim 14 Decembris 1887,S.Congregatio Inquisitionis damnavit quadraginta Rosminii propositiones, ex quibus hic excribimus vigesimam et vigesimam primam.

Vigesima hæc est : « *Non repugnat ut anima humana generatione multiplicetur, ita ut concipiatur eam ab imperfecto, nempe a gradu sensitivo, ad perfectum, nempe gradum intellectivum, procedere.* »

Vigesima prima : « *Cum sensitivo principio intuibile fit esse, hoc solo tactu, hac sui unione principium illud antea solum sentiens, nunc simul intelligens, ad meliorem statum evehitur,naturam mutai ac fit intelligens, subsistens atque immortale* (2). »

Ratione confutatur. Arg. Ium. Nulla forma substantialis recipit magis et minus ; sed superadditio majoris perfectionis aliam inducit speciem, sicut additio unitatis aliam facit speciem in numeris. Ergo additio perfectionis intellectivae speciem novam in anima sensitiva inducit. Sed impossibile est ut una et eadem numero forma sit diversarum specierum. Ergo impossibile est ut eadem anima sensitiva fiat intellectiva.

Arg. IIum. Mutatio unius in aliud requirit substantiam compositam. Atqui anima sensitiva est substantia simplex. Ergo nequit in animam intellectivam mutari.

Prob. maj. In omni mutatione requiritur 1° subjectum commune, quod aliter se habet posterius ac prius ; 2° terminus *a quo,* seu forma quæ amittitur; 3° terminus *ad quem,* seu forma quæ acquiritur. Ergo id quod transmutatur est ens compositum ex pluribus partibus, quarum una remanet prius et posterius ; alia vero transit, quia amittitur vel acquiritur.

Arg. IIIum (3). Id quod causatur ex actione Dei in anima per apparitionem entis idealis aut est aliquid' subsistens, aut perfectione subsistendi caret.

(1) 1. P. q. 118, a. 2, ad. 2.
(2) Cf. Denzinger, *Enchiridion,* nia 1910-1911.
(3) I. P. q. 118, a. 2. ad. 2.

Si est subsistens, est aliud per essentiam a forma præexistente, quæ non erat subsistens ; nam subsistens et non subsistens differunt per essentiam ; et ita erunt in homine plures animæ por essentiam distinctæ. Si non est subsistens, pendet a corpore in esse et operari, sicut animæ brutorum. Ergo anima intellectiva non erit essentialiter distincta ab anima corruptibili,et extincto corpore evanescet.

VIII. — Solvuntur difficultates. I0 Flamma procedi ta flamma quin liæc dividatur. Ergo similiter una anima potest ab alia procedere, quin hæc sit partibilis et divisibilis.

Resp. : Nego antecedens. Flamma enim est aliquid compositum, quod reapse dividitur. Distinguunt chimici flammam compositam et flammam simplicem. Flamma composita est quæ ex pluribus elementis combustibilibus conflatur : sic est flamma bicarburi hydrogenfl, in qua concurrunt hydrogenium et carbonium ; et hanc esse divisibilem omnino liquet.Flamma vero simplex dicitur quæ ex combustione corporis simplicis resultat, sicut flamma hydrogenii. Licet autem vocetur simplex, reapse compositioni subjacet,sicut ipsum hydrogenium est quid materiale et compositum. Ergo apprime intelligitur quomodo flamma partibilis sit et dividatur. Sed animam humanam partiri vel discerpi nullatenus concipi potest.

2° Generans producit simile sibi in specie. Atqui filius est similis patri in specie secundum animam. Ergo generans producit filium secundum ipsam animam, et animam progignit.

Resp. : Disting. majorem : Generans producit simile sibi in specie, quatenus est causa unionis formæ specific» ad materiam, concedo; quatenus est semper et necessario causa ipsius formæ specificæ, nego. Distinguo conclusionem : Pater producit animam, quatenus est causa unionis animæ ad corpus, concedo ; quatenus est causa ipsius animæ, nego.

Generans progignit simile sibi in specie in quantum generatum per actionem generantis perducitur ad participandam illius speciem : quod quidem fit per hoc quod generatum consequitur formam generanti similem. Id autem contingere potest dupliciter : vel quia pater est causa formæ, vel quia est causa unionis formæ ad materiam. Si forma non sit subsistens, cujus totum esse consistat in unione ad materiam, pater erit simul

causa formæ et causa unionis formæ. Si vero forma est subsistens, ejus esse non reponitur in sola unione ad formam, et « tune sufficit quod generans sit causa unionis talis formæ ad materiam per hoc quod disponit materiam ad formam, nec oportet quod sit causa ipsius formae (1). »

Generans itaque causa est unionis animæ ad corpus, quia per virtutem seminis disponitur materia ad susceptionem talis formæ, et hoc modo progignit pater simile sibi. Quare potest dici pater totius hominis, et quoad corpus et quoad animam, licet propria non sit ipsius animæ causa.

3° Si pater non gignit animam, generatio hominis imperfectior erit generatione animalium, in qua pater geniti animam traducit.

Resp. : Nego consequentiam. Cum enim motus spccificctur ex termino, nobilior est generatio quæ terminum habet nobiliorem. Atqui generatio humana terminum respicit nobiliorem, scilicet naturam humanam et suppositum humanum.

IX. — De transformismo. Ex confutatione traducianismi improbata remanet transformistarum sententia.

Cætorum jam ostendimus I0 vitamrepeti non posse ex materia; 2° unam speciem in aliam non converti (2). Dato vero, non concesso, conversionem specierum fieri, imo corpus belluinum in humanum converti (quæ hypothesis nullo sane fundamento scientifico aut philosophico nititur), adhuc tamen, intrinsece et metaphysice repugnaret animam humanam per transformismum produci. Oriri enim per viam transformismi est fieri ex potentia materiæ ac dependentor a materia.

At anima nostra est perfecte subsistens ac prorsus a materia indepondens in operari, fieri et esse. Repugnat ergo transformismus, saltem respectu animarum intellectivarum.

Nec dicatur Deum materiæ indidisse virtutem qua animam intellectivam produceret,nam implicat virtus materialis continens in potentia substantiam spiritualem, siquidem materiæ attributa et spirituales proprietates c regione opponuntur (3).

(1) Q. Q. *Dispp. De Pot.* q. 3, a. 9, ad. 6.

(2) Cf I. P. *Phil. Nat.* Tract. III. q. III a. II et IL P. *Phil. Nat.* Tract. I,q.II.

(3) Gf. art. III.

X. — **Probatnrcreatiaiiisnius.** Remanet itaque ultima sententia, scilicet creatianismi,quæ docet animas singulas immediate a Deo creari. Quod assertum non est stricte de fide, sed doctrina catholica, cui absque temeritate contradicere fas non est. Hæc enim sunt verba Leonis Papæ IX : « Animam non esse partem Dei, *sed ex nihilo creatam... at* absque baptismate originali peccato obnoxiam, credo et praedico. Hanc fidem Sancta Romana et Apostolica sedes corde credit ad justitiam et ore confitetur ad salutem (1).» Hinc est quod opus Froshchammcr : *Defensio generatianismi* fuerit a S. Indicis Congregatione proscriptum, die 5 martii 1857.

Probatur ratione. Cum fieri sit via ad esse, unumquodque habet fleri sicut ct esse.At quod habet esse per se est compositum vel res subsistens, caetera enim potius insunt quam sunt. Ergo id quod fit per se est compositum vel res subsistens.

Sed anima est forma subsistens. Ergo anima fit per se. Porro id quod fit per se vel creatur vel generatur; non enim datur medium inter fieri ex nihilo et ex aliquo præsupposito educi. Sed jam constat animam non fieri ex aliquo præsupposito sive materiali sive spirituali. Ergo anima ex nihilo creatur,et quidem immediate a Deo, cum creatio sit omnino incommunicabilis.

IX. — Solvuntur difficultates.

I0 Deus dic septimo a creatione requievit.Ergo nihil amplius nec animas nec cætera creat.

Resp.Dist.antecedens: Deus die septimo quievit a creatione novarum specierum, concedo ; ab omni creatione, nego. Distinguo pariter conclusionem : Deus nihil amplius creat, quantum ad novas species, concedo, quantum ad individua cujusdam speciei, nego.

In sex primis diebus (quocumque modo intelligantur) Deus instituit naturas et species rerum; a die vero septimo nullas species novas condidit, qua ratione dicitur a rebus fundandis requievisse. At etiam nunc creare potest et de facto creat individua quarumdam specierum in prima institutione condita-

ti) Labbe, tom. XI, edit. 1730, p. 1346. — Cf. D. Thomas, I. P. q.90, et q. III *De Potentia,* a. 2 : Melchior Ganus, *De locis theologicis,* lib. XII; ZiGLiARA, *Psychol,* lib. I, c. 12, a. III, n° V.

rum. Quo sensu dicit Augustinus : « Hoc et nunc facit, non instituendo quod non erat, sed multiplicando quod orat (1).»

2° Immediatus Dei interventus est miraculum. Ergo, si Deus immediate condit animas, innumera quotidie operatur miracula, quod est inconveniens.

Rcsp. : Non quilibet immediatus Dei interventus reputatur miraculum, sed ille qui est *præter ordinem naturalem,*. Porro secundum ordinem naturalem, anima nata non est fieri ab alia causa quam Deo. Ergo immediata animarum creatio, nedum miraculum sit,imo naturalem, necessariam, ac metaphysicum ordinem sequitur.

3° Si Deus immediate animas creat, immediate fornicatorum peccato cooperatur.

Resp. : Deus solum concurrit actioni physicæ et physiologicae generationis, quæ secundum se bona est, quamvis generantes illa forte abutantur. Exequitur Creator legem naturalem a se constitutam quæ vult ut posito embryoni a parentibus ipse infundat animam rationalem ; abusus autem et peccatum in solam generantium voluntatem refunditur.

(1) *Epist.* 166, al. 28, cap. 5.

ARTICULUS SEXTUS.

EFFORMATUR COMPLETA NOTIO ANIMÆ RATIONALIS.

I.—Definitiones animæ in communi applicantur anima ratlonalLPerfecta animæ definitio expostulat quidem cognitionem eorum quæ spectant ejus unionem cum corpore ejusque facultates ac operationes ; attamen ex hucusque expositis sufficiens et congrua efformari valet notio. Definiri itaque posset anima humana, juxta ea quæ de anima in communi tradidimus : *Actus primus, subsistens, corporis physici potentia vitam habentis* (1).

Verbis istis : *Actus primus corporis physici potentia vitam habentis,* anima nostra tum a formis mineralium tum ab angelis discriminatur et convenit cum anima vegetativa et sensitiva : unde quæ de illis in genere disputavimus ipsi proportionaliter adseribuntur.

Addimus : *subsistens,* id est a materia independons in osse et operari specifico, ut innotescat animam rationalem ab anima vegetativa et sensitiva essentialiter distingui nec esse formam **in** materia immersam.

Altera definitio magis adhuc proprie animæ rationali convenit : *Id quo primo vivimus, senumus et intelligimus* (2).

Discernit animam rationalem a mineralibus, *quo vivimus ;* ab angelis, *quo vivimus et sentimus ;* ab anima vegetativa et sensitiva, *quo intelligimus.* Nam vegetativa est tantum principium vivendi ; sensitiva, principium tantum vivendi et sentiendi ; intellectiva autem est principium simul et vivendi et sentiendi et intelligendi. Quo etiam innuitur animam nostram triplici animæ æquivalere, esse nempe formaliter intellectivam, virtualiter vegetativam et sensitivam.Unica igitur

(1) Cf. IL P. *Phil. Nat.* Tract. I, q. II, a. III, n»· III et IV.
(2) Ibid. n° V.

existons trium formarum munia præstat, est id quo primo vivimus ut vegetativi, sentimus ut animati, intelligimus ut homines.

II. — Definitio animæ secundum quatuor genera causarum. Si quaeratur definitio quæ omnia causarum genera complectatur, haec erit : *Anima rationalis est substantia spiritualis, corporis forma, a Deo creata, ad ejus imaginem, propter beatitudinem æternam.*

I0 *Substantia,* scilicet incompleta in ratione speciei, completa vero in ratione substantialitatis ; 2° *spiritualis,* seu subsistens independenter a corpore, quæ perfectio supponit simplicitatem et importat immortalitatem.

3° *Corporis forma,* hic completur notio causæ formalis et innuitur causa materialis. Anima nostra non habet quidem causam materialem *ex qua* constat vel *ex qua* educitur ; habet tamen causam materialem *in qua* recipitur, scilicet corpus. — 4° *A Deo creata,* causa efficiens juxta ea quæ artic. præcedenti docuimus do animarum origine.

5° *Propter æternam beatitudinem,* causa finalis. Illud enim ad beatitudinem æternam ordinatur quod est immortale et est capax boni infiniti. At anima nostra immortalis est et capax boni infiniti : potest enim universale bonum per intellectum cognoscere et per voluntatem appetere. Insuper, finis creationis est gloria Dei extrinsecajn eo consistens quod Deus a creatura rationali cognoscatur et diligatur. Sed Dei cognitio et amor est ipsa beatitudo creaturæ rationalis. Ergo anima ad beatitudinem nata est et fertur.— 6° *Ad imaginem Dei,* hic indicatur causa exemplaris, de qua nonnulla addenda sunt.

III. — Tria ad rationem imaginis requisita. Primum est ut sit alteri similis, et vi quidem originis seu productionis. Secundum est ut similis sit non quocumque modo, non secundum genus tantum aut secundum accidens commune : quapropter vermes qui in homine quandoque oriuntur, non sunt illius imago, neque etiam id quod fit album ad alterius similitudinem idcirco reputatur imago ; sed ut similis sit alteri secundum speciem,seu naturam specificam, siciit imago regis est in filio ; vel saltem secundum aliquod accidens speciei characteristicum,

V. g., figuram, sicut imago regis est in cupro, vel demum secundum aliquam proprietatem speciei insignem. Tertium est ut sit expressa ex alio,id est producta ad similitudinem et imitationem illius : unde ovum, quantumcumque sit altori ovo simile, quia tamen non est ex illo expressum, non dicitur imago ejus. Æqualitas autem non est de ratione omnis imaginis ; est tamen de ratione imaginis perfectae, quæ referre debet omnia quæ insunt illi ex quo expressa est.

IV. — Imago Dei invenitur in qualibet anima rationali. Observandum est imprimis Dei imaginem non inveniri proprie in creaturis irrationalibus. Imago quippe expostulat assimilationem ad Deum secundum naturam specificam ct differentiam propiiam, quæ est inte lectualitas. Atqui crea luræ irrationales, licet Deo assimilari queant secundum esse vel vivere, nullatenus tamen secundum intelligere. Ergo imago Dei solis creaturis intellectualibus competere potest.

Angeli porro et animæ humanæ triahabent requisita ad imaginis rationem : sunt Deo similes secundum naturam specificam, nam gradu intellectuali gaudent; et a Deo exprimuntur, siquidem ab illo deducuntur sicut exemplata ab exemplari. Cum autem imago Dei principaliter secundum intellectualitatem attendatur et natura intellectualis perfectior in angelis existât quam in nobis, angelus magis proprie est ad imaginem Dei quam homo. Secundario tamen et secundum quid, imago Dei magis reperitur in homine, quia, sicut Deus generat Deum, homo generat hominem ; et, sicut Deus est in toto mundo et in qualibet mundi parte, ita anima est in toto corpore et in qualibet corporis parte.

Quæ divina imago in omnibus hominibus invenitur, quia omnes intellectualem participant naturam. Sed triplex Dei imago in homine considerari potest. Prima, secundum quod homo aptitudinem habet naturalem ad intelligcndum et amandum Deum, et hæc aptitudo consistit in ipsa natura mentis, quæ est cunctis hominibus communis. Secunda, in quantum anima Deum cognoscit et amat per gratiam et charitatem actu vel habitu, imperfecto tamen modo. Tertia, secundum quod Deum actu cognoscit per lumen gloriæ et perfecte amat per charitatem patriæ.

Prima omnibus hominibus et vi quidcm naturæ convenit, unde dictur *imago naturæ* et *creationis.* Secunda propria est justis et eis competit per gratiam, unde dicitur *imago recreationis et gratiae.* Tertia propria est boatis, et dicitur *imago gloriae* et perfectae similitudinis (1).

V. — In anima rationali uniuntur maxime distantia. Duo sunt mundi maxime ab invicem distante» : sensibilis nempe et spiritualis, seu invisibilis ; anima autem nostra utrumque conjungit, quia ex utroque participat. Convenit quidem cum mundo sensibili quia est *oirtualiter* corporea, vegetativa et sensitiva ; convenit vero cum mundo spirituali, Deo scilicet et angelis, quia est *jormaliter* ordinis intellectivi. Facultates suscipit inferiores quæ sibi nuntium referunt mundi sensibilis, ct facultates complectitur intellectivas ratione quarum in mundo spirituali conversatur, in quo est perfecta vita etbeatitudo.

(1) Cf. I. P. q. 95. aa 1-8 ; Bossuet, *Connaissance de Dieu et de soi-même,* ch. IV, VIil, IX, X.

QUÆSTIO SECUNDA.

De unione animæ cum corpore (1)

Hic unionis naturam et modum oportet imprimis investigaro, exponere et vindicare,tum errores confutare, ac demum consectaria, quæ pleniorem compositi humani præbent notio nem, eruere.

ARTICULUS PRIMUS.

DE NATURA UNIONIS ANIMÆ OUM CORPORE.

I.·—**Unio realis et logica.** Unio in genere est conjunctio plurium ad aliquod unum constituendum. Porro unum convertitur cum ente, ens autem ab esse proprie denominatur. Quocirca unio denominanda est ab esse communi quod efformant extrema unibilia. Si duo vel plura copulantur ad esse commune *reale* efficiendum,erit unio *realis,*sicut unio materiæ et formæ ; si vero conjunguntur ad aliquod esse *inteniionale* conflandum, erit unio Zogica, sicut est nexus subjecti et praedicati.

(1) Consuli possunt: S. Thoma, I. P. q. 76 et II. *Coni. Gent.* c. 68; Cajetamus et Bannez, *Comm.* in I. P. q. 76 ; Alamankus, *Phil. Nat. Tertia, Secundae ;* Joannes a S. Thoma, III P. *Phil. Nat.;* Sylv.Maurus,*Queest. Philos.;* Bossuet, *Connaissance de Dieu et de soi-même,* ch. Ili ; Liberatore, *Le composé humain ;* Zigliara, *De mente Concilii Viennensis;* Coconnier, *Ame humaine ;* Mercier, *Psychol. ;* Gardair, *Corps et Ame;* — Lepidi, De Maria, Remer, Schiffini, Lorenzelli, *Psychol.;* Radier, *Psychol.;* Gley. *Etudes de Psychologie physiologique ;* et auctores infra citandi, in decursu art. III.

II.—Unio realis duplex est : aecidentalis et substantialis. Accidentalis ea est ex qua nec nova natura nec unum principium. *quod* operationum resultat, sed aliquod compositum unum per accidens dumtaxat. — Quæ unio tripliciter habetur : vel inter duas substantias completas, ut inter equum et sessorem, vel inter duo accidentia, sicut inter intellectum ct scientiam, vel inter substantiam et accidens, sicut inter animam et intellectum, etc. Ad unionem vero substantialem duo requiruntur : 1° ut partes quæ coeunt sint substantiales; — 2° ut ex illarum copulatione coalescat unum per se. Dicitur itaque substantialis tum ratione extremorum, tum ratione termini ; id est, et extrema quæ conjunguntur sunt substantialia, et terminus qui consequitur est substantialis, nempe compositum substantialiter et per se unum.

III.—Unio substantialis est duplex : personalis et essentialis.— Substantia dupliciter dicitur : uno modo essentia, sive natura ; alio modo suppositum, sive hypostasis, vel persona.

Essentia in genere latius patet quam substantia. Nam substantia opponitur accidenti et designat id quod potest per se subsistere, seu existere in se et non in alio. Essentia autem est id quo aliquid fit id quod est, quo in certa entis specie reponitur, et quo respondetur quæstioni : *quid est res?*—Cum vero accidens sit aliqua res, essenti® nomen et ratio etiam accidenti tribuuntur. In rebus tamen substantialibus essentia idem audit ac substantia; quapropter substantia ipsa definitur : *essentia cui competit esse in se ei non in alio.* Si autem substantia sui juris sit et alteri supposito penitus incommunicabilis, vocatur suppositum vel persona. Constat igitur substantiam et pro essentia et pro persona usurpari.

Pariter unio substantialis duplex est : *personalis* et *essentialis. Personalis,* quum ex duabus substantiis quæ conjunguntur resultat unum suppositum., seu una persona, adeo ut actiones utriusque substantiæ uni et eidem principio *quod* adseribantur. *Essentialis* vero, quum duæ substantiæ habent unum esse essentia?, unam dumtaxat efformant essentiam, unamve naturam specificam.

IV. — **De unione hypostatica.** Potest accipi unio hypostatica sensu communi pro unione personali, et hac ratione quæ-

cumque conjunguntur ad unam personam constituendam, uniri dicuntur hypostatice, etsi persona non sit ante ipsam unionem constituta. Sensu vero stricto et prout ab Ecclesia usurpatur(1),unio hypostatica designat conj unctionem duarum naturarum completarum in una persona quæ præsupponitur constituta ante unionem et unioni prævia.In prima acceptione, naturæ quæ uniuntur sunt incompleta), et persona unioni nec præcxistit nec est superstes,sed ex ipsa unione resultat et cum ipsa desinit. In altera autem hypothesi nempe in casu unionis proprie hypostaticæ utraque natura est completa, et persona, nedum sit unionis offectus,imo unioni præexistit et est perfecte ante unionem constituta.Exemplum unionis hypostaticæ unicum habemus in venerabili mysterio Incarnationis D. N. J. C. Duo extrema, scilicet natura divina et natura humana, sunt substantiæ completæ ; persona Verbi in qua subsistunt unioni præexistit. Quocirca, omnis unio hypostatica est personalis ; at non omnis unio personalis est hypostatica stricto sensu.

V. — Opiniones. — Quæritur utrum unio animæ cum corpore substantialis sit personaliter et essentialiter, an vero tantum accidentalis. —Accidentalem esse tenuerunt, sin minus verbis, saltem re philosophi non pauci, præsertim Pythagorici, Platonici, Neo - Platonici, Cartesiani, Dynamistæ. — Pythagoras et Empedocles asserebant animas in alia vita coelesti præextitisse, et propter scelera quædam fuisse in corpora detrusas : quo fit ut nunc anima corpori alligetur sicut reus carceri. Juxta Platonem anima corpori insidet, sicut nauta» navi, sessor equo, et corpore utitur tantum ut instrumento, eo modo quo musicus lyra.— Neo-Platonici, quos inter eminet Plotinus, tradebant animas, desiderio materiæ captas, in corpora delapsas fuisse, ibique remanere ut in custodia et carcere. Gnostici somniarunt animas esse particulas lucis in corpore seu materia tenebrosa inclusas. Cartesiani reponunt hominis essentiam in eo quod sit ens cogitans (2). Itaque homo per suam animam est substantia completa, et corpus nonnisi ac-

(1) Quamvis hæc consideratio sit proprie theologica, merito hic tangitur, quia notiones philosophica» inde maxime illustrantur.

(2) .. « Je conclus fort bien que mon essence consiste en cela seul que je suis une chose qui pense, ou une substance dont toute la nature ou l'es* sence n'est que de penser. » Descartes, *Princip. de la Philos.* I. P.

cidcntaliter animæ advenit. Accidentalem unionem tuentur Malebranche, Fénelon. Celebris est etiam sententia de Bonald : *Homo est intelligentia utens organis corporeis. Cæteras* opiniones quae propugnant unionem, accidentalem expendemus art. III.

VI. — Prima conclusio : Unio animæ cum corpore est personalis.

Probatur : Ibi unica est persona ubi omnes actiones uni eidemque principio *quod* adseribuntur. Atqui actiones omnes, tum corporis, tum animæ, uni et eidem principio *quod* tribuuntur. Ergo ex anima ct corpore resultat una persona. — Major est notio personae.

Probatur minor. Ille idem omnino est cui tribuitur nasci, nutriri, crescere, sentire, mori ; et cui tribuitur intelligere, velle, Deum diligere ex charitate. Atqui primæ operationes competunt ei ratione corporis, aliæ autem ratione animæ. Ergo omnes operationes tum corporis, tum animæ, uni eidemque principio *quod* adseribuntur. Quæ veritas ne vulgus quidem latet. Non enim dicunt tantum : *Corpus meum dormit, corpus meum nutritur :* sed etiam : *Ego dormio, ego nutrior :* nec : *Anima mea vult,* sed : *Ego polo.* Unum igitur et idem est *ego,* cui tribuunt et nutriri et velle (1).

VII. —Præoccupatur difficultas. — Videtur tamen obstare alius loquendi modus. Corpus enim dicitur instrumentum animæ. At instrumentum accidentaliter advenit, Ergo corpus animæ accidentaliter, non vero personaliter, unitur.

Rcsp. : Dist. maj. : Corpus est animæ instrumentum *conjunctum,* concedo ; *separatum,* nego. Contradist. min. : Instrumentum separatum accidentaliter advenit, concedo ; instrumentum conjunctum, nego, et nego conclusionem. Ut scite animadvertit Angelicus, « non omne quod assumitur ut instrumentum pertinet ad hypostasim assumentis, sicut patet de securi et gladio; nihil tamen prohibet illud quod assumitur ad unitatem hypostasis se habere ut instrumentum, sicut corpus hominis vel membra ejus (2). »

(1) « Le langage témoigne de cette vérité,car le·mot *je* et *moi* nous sert indifféremment pour désigner la partie spirituelle ou la partie matérielle de notre être. Comme on dit : Je pense, je sens, je veux, on dit aussi : je grandis, je marche, je respire. On dit de même indifféremment ♮ je suis souffrant ou : mon corps est souffrant, ♭ Rabibb, 1.1, p. 441

(2) III P. q. 2. a. 6, ad. 4.

Ex quo sic arguimus: cum instrumentum non est hypostatice agenti conjunctum, tunc non omnes instrumenti operationes tribuuntur agenti principali, sed illæ tantum quæ conveniunt instrumento prout movetur ab agente.Sic dici potest : *Penicillus pingit, et ego pingo ; at,* si dicatur : *Penicillus comburitur, penicillus cadit,non* infertur : *Ego comburor, ego cado.* Atqui omnes omnino actiones corporis tribuuntur eidem homini : non solum enim dicitur : *Corpus sentit, ego sentio :* sed etiam : *Corpus comburitur, ego comburor: corpus cadit, ego cado.* Ergo corpus est personaliter homini conjunctum; ergo unio corporis et animæ est personalis.

VIII. — Scciuida conclusio : Unio anima» et corporis est essentialis.

Arg. Ium. Unio essentialis est ex qua coalescit unitas et integritas speciei. Atqui ex unione animæ ad corpus resultat unitas et integritas speciei humanæ. Ergo unio animæ cum corpore est essentialis. Exponitur minor.Nec corpus solum, nec anima sola sunt species unius generis, sed tantum principia ejusdem speciei. Species autem completa est quid ex utroque conflatum. Ex definitione enim cognoscitur species ; porro hæc est hominis definitio : *Animal rationale,* seu compositum ex anima et corpore. Ergo corpus et anima integritatem speciei humanæ complent.

Probatur insuper eadem minor.Non est aliquid completum in sua specie nisi actu explicare possit quidquid in sua virtute continetur. Atqui anima sine corpore non potest explicare actu omnia quæ in sua virtute continentur. Ergo anima non perficit integritatem speciei humanæ nisi corpori uniatur.

Probatur minor subsumpta. Ut tota virtus animæ explicetur, ab ipsa fluant oportet quædam potentiæ quæ sunt actus organorum ; anima quippe intellectiva virtualiter sibi habet omnes potentias animæ sensitivæ. Porro, si anima est sine corpore,ab ipsa fluere nequeunt potentiæ illæ quæ sunt actus organorum corporalium, ut liquet. Ergo nequit anima sine corpore explicare omnia quæ in sua virtute continentur.

Arg. IIum. Impossibile est eorum quæ sunt diversa secundum esse operationem esse unam. Atqui corporis et animæ

communis et una est operatio. Ergo corpus et anima habent unicum esse, unicamque constituunt naturam

Declaratur major. Operatio diversorum potest esse una ex parte termini .nunquam tamen ex parte principii. «Multi enim trahentes navim unam actionem faciunt ex parte operati,quod est unum, sed tamen ex parte trahentium sunt multæ actiones, quia sunt multi impulsus ad trahendum. » Ratio est quia actio consequitur formam et virtutem. Ergo oportet quorum sunt diversæ formæ et virtutes et actiones esse diversas, et quorum operatio est communis et naturam esse unam. Prob. min. : Multæ sunt operationes communes animæ et corpori, «ut timore et irasci, et sentire et hujusmodi ; hæc enim accidunt secundum aliquam transmutationem alicujus determinate partis corporis ; ex quo patet quod simul sunt animæ et corporis operationes (1). »

Arg. IIIum. Operatio intellectus non exercetur ab organo corporali nec in ea communicat corpus, attamen aliqualiter influit in corpus. Ex quo sic arguimus : Si corpus et anima essent duæ substantiæ distincte et complete, operatio *specifica* animæ nihil produceret in corpus, sed ipsa corpori, et corpus ipsi, extranea penitus remanerent. Atqui operatio intellectus, nedum sit corpori extranea, imo multum in corpus influit, et ex ipsa multi resultant in corpore effectus. Ergo corpus et anima non sunt duæ substantiæ complete ; sed unica ex ipsis coalescit essentia.

' Ratio majoris est quia operari sequitur esse : quorum esse extraneum est et independens, et operatio erit extranea, praesertim operatio specifica et propria.

Probatur minor ex physiologia. Quando activitas animæ in intelligendo occupatur, influxus electricus systematis nervei remittitur, et in sua intensitate minuitur, ut observavit du Bois-Reymond. Ex ipsa autem electrici influxus alteratione resultant transformationes chimica) in ipso cerebello et in nervis. Imo, si diu perseveret intellectionis labor,calor naturalis elevatur, cordis pulsus immutatur, cellulæ et texturæ attenuantur, sanguisque ipse debilitatur; hinc famem, lassitudinemve experimur. Et ita ex operatione intellectuali, non

(1) II *Contra Geni.,* c. 57.

solum in cerebello et nervis, sed in ipsa intima totius corporis structura, redundant transformationes chimicæ.

Ergo actiones etiam intellectuales in ipsum influunt corpus.

Influxum illum invicte demonstrant facta physiologica : « Le travail intellectuel accélère le cœur, augmente la pression sanguine dans les artères périphériques, donne lieu à des phénomènes de vaso-constriction périphérique qui modifient la forme du pouls, et augmente le volume du cerveau (phénomène de vaso-dilatation locale). Tous ces phénomènes sont d'autant plus marqués que le travail est plus intense (1). »

IX. — Confirmatio ex doctrina Ecclesiæ. Hæc sententia non est mere philosophica, sed aliquatenus ad fidem refertur. Concilium enim Viennense definit. « Christum Unigenitum Dei Filium assumpsisse *partes nostræ naturæ simul unitas, ex quibus* in se verus Deus existons, fieret *verus homo , humanum* videlicet *corpus* et *animam intellectivam,* seu rationalem (2). »

— Igitur in Christo, corpus non est natura, sed pars naturæ; pariter anima non est natura, sed pars naturæ.At eadem ratio pro cæteris hominibus valet, cum dicat Concilium *partes nostræ naturæ.* Ergo ex unione animæ cum corpore resultat unica natura, atque ideo hæc unio est essentialis.

Hinc, quia homo est unica natura ex duabus, anima nempe et corpore, constans, Christus assumendo animam et corpus *totum* reparavit hominem. Ad rem Tertullianus : « *Venit Filius hominis salvum Jacere quod periit...* De homine agi nulla dubitatio est. *Hic, cum ex duabus substantiis constet,* ex corpore et anima, quærendum est ex qua substantiae specie periisse videatur. Si ex corpore, ergo corpus perierat, anima non. Quod perierat salvum facit Filius hominis : habet igitur caro salutem. Si et anima perierat, animæ perditio saluti destinatur i- caro, quæ non periit, salva est.5i *totus homo perierat ex utroque substantia, totus homo salvus fiat necesse est :* et elisa est sententia haereticorum negantium carnis salutem. Jam et Christus Creatoris confirmatur, qui secundum Creatorem *totius hominis salutem pollicebatur* (3). »

(1) Gley, *Etudes de Psychologie physiologique et pathologique,* p. 94.
(2) Cf. Denzinger. *Enchiridion,* η. 408.
(3) Tebtull. *Adv. Marcir»nem,* lib. IV; c. XXXVII. P. L. II, 452. Cf. S. Augustin. *De Civit Dei,* lib. XIX, c. III, *P. L.* XLI, 625-626.

X. — Au unio animæ et corporis sit etiam hypostatica.

Etsi præfata unio dicatur et sit personalis, non est tamen proprie hypostatica ; desunt quippe ambæ conditiones prius assignat®. Duæ naturæ quæ uniuntur sunt incomplet® ; nec persona est ante unionem constituta,sed potius ex ipsa unione resultat. Neque enim anima neque corpus, sed homo, est persona. Insuper, persona humana non est superstes unioni ; nam corpus mortuum non est persona, neque etiam anima separata rationem retinet personæ, cum sit substantia incompleta in ordine speciei. Igitur unicum unionis proprie hypostaticae exemplum habetur, ut dictum est, in venerabili Incarnationis mysterio.

XI. — Comparatur unio animæ et corporis cum unione duarum animarum ad invicem.

Magis est anima unibilis corpori, ait Angelicus, quam sit una anima unibilis alteri (1). Ratio perspicua est.Duæ animæ sunt entia actu ; ex duobus porro entibus actu non fit unum substantiale. Ergo duæ animæ non sunt unibilos ad unum per se constituendum. At in natura humana corpus est sicut perfectibile et potentiale,anima vero sicut pcrfectivum et actuale. Pronum est autem ut perfectibile et perfectivum, potentia et actus, inchoatio et complementum, in unitatem naturæ et suppositi conjungantur.

Ergo corpus et anima magis sunt unibiles quam duæ animæ, vel duo spiritus, inter se.

Et hæc consideratio est apprime attendenda, quia inde illustratur vera notio humani compositi et eliminatur enor illorum qui unionem substantialem negant eo quod non perspiciant extrema quæ uniuntur debere ab invicem maxime distare.

XII. —Animadversio generalis in sententias quæ tuentur unionem accidentalem.

Illæ sententiœ,sin minus hæresiproximæ,suntsaltem errone®, quia perimunt unitatem substantialem hominis quam Ecclesia toties inculcavit (2).

(1) III. *Sent. Disi.* I. q. 1, ad. 5.
(2) Cf. η IX

Destruunt hominis essentiam, et personalitatem.*Essentiam* quidem,nam ea quæ accidentaliter conjunguntur non habent ad invicem nisi contactum quantitatis vel contactum virtutis. Sed quæ per quantitativum contactum copulantur remanent sibi extranea quantum ad essentiam ; nam contactus quantitative fit solum secundum quantitatis extrema,scilicet puncta, lineas, superficies ; contactus vero virtualis fit secundum similitudinem qualitatis, non secundum identitatem substantiae.Ergo anima et corpus remanerent sibi extranea quoad essentiam, et sic perimeretur hominis natura.

Personalitatem vero, nam tunc corpus compararetur ad animam sicut instrumentum separatum,quod agenti non conjungitur in unitatem suppositi sed ipsi extrinsece advenit, sicut musico lyra. De his iterum art. III.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE MODO UNIONIS, SEU UTRUM CORPUS ET ANIMA UNIANTUR PER MODUM MATERIÆ ET FORMÆ.

I. —Doctrina scholastica. Statuta unitate hominis substantiali, investigandus est modus ipsius unionis. Multi, verbo saltem., unitatem substantialem professi, perperam explicant. Præcipua systemata sunt : *Occasionalismus,* seu systema assistentiæ mutuæ ; *harmonia præstdbilita : influxus physicus,* etc., de quibus infra. Doctrina autem scholastica simul et catholica hæc est : *A nima rationalis, seu intellectiva, est jorma substantialis corporis humani.*

II. Prima demonstratio : Applicantur principia do materia et forma.

Arg. lum. « Ad hoc quod aliquid sit forma substantialis alterius duo requiruntur : quorum unum est ut forma sit principium essendi substantialiter ei cujus est forma. Principium dico non effectivum sed formale quo aliquid est et denominatur ens.Unde sequitur aliud, scilicet quod forma et materia conveniant in uno esse », nempe in uno esse compositi (1). Atqui hæc duo anima rationalis præstat respectu corporis. Ergo anima est substantialis forma corporis humani. Probatur min. Primo quidem, anima est corpori principium essendi essentialiter. Anima quippe est corpori principium essentiale vivendi ; non enim vivit essentialiter corpus nisi per animam ; siquidem ante animam est semen,post animæ separationem est cadaver. Atqui principium vivendi est principium essendi, juxta illud *In viventibus vivere est esse,* prout jam alibi ex-

(1) II *Contra Gent.* c. 6$.

plicavimus (1). Ergo anima est corpori principium essentiale, seu substantiale, essendi. Hinc prima conditio. Secundo, corpus et anima conveniunt in uno esse. Quæ enim in unam Eoeunt personam et unam essentiam, et in uno esso conveniunt. Atqui ostensum est animam et corpus conjungi unione tum personali tum essentiali.Ergo anima et corpus in uno esso conveniunt : altera conditio.

— Si quid vero obstaret ne anima sit principium essendi corpori,id esset quia substantia intellectualis nequit suum esse materiæ corporali communicare. Sed hæc ratio nulla est. Ergo.

Declaratur minor. Obstaculum foret, si illud esse eodem modo adseriberetur et materiæ et substantiæ intellectuali, adeo ut esse materiæ adaequaret esse substantiæ rationalis. Res vero non ita se habet. Esse enim non eodem modo convenit, siquidem materiæ competit ut *recipienti* et *subjecto* ad aliquid altius elevato ; substantiæ autem intellectuali ut *principio* et secundum propriæ naturæ congruentiam. Aliunde nec corpus nec corporis esse adæquant esse animæ, sed anima in immensum excedit materiæ corporalis conditionem,nec habet esse a materia comprehensum aut ei immersum, sicut aliæ formæ materiales. Vide infra, n° VIII, Io.

Arg. IIun'. Illud quo primo aliquid operatur est forma ejus •cui operatio tribuitur. Atqui.anima est illud quo primo corpus operatur, cum ipsa sit principium primum quo nutrimur, et sentimus, et movemur secundum locum. Ergo anima est corporis forma. Ratio majoris est quia unumquodque agit in quantum est actu. Atqui est actu per formam. Ergo illud quo primo aliquid agit est forma. Cæterum, cum operari sequatur •esse, primum principium operandi debet esse primum principium essendi. Sed primum essendi principium dicitur forma. Ergo primum principium operandi est forma ejus cui operatio tribuitur.

Arg. IIIum. Unumquodque sortitur speciem per propriam formam. Atqui illud quo homo sortitur speciem suam et a cæteris discriminatur est anima intellectiva. Ergo anima intellectiva est forma hominis.

(1) II. P. *Phil. Nat.* Tract. I, q. IL a. III.

III. — **Secunda demonstratio ex unitate substantiæ et unitate actionis in homine** (1). Debet assignari modus quo explicentur unitas substantiæ et unitas actionis in homine.Atqui impossibile est unitatem substantiæ et unitatem actionis explicaro, nisi admittatur corpus et animam uniri per modum materiæ et formæ. Ergo. Prob. minor per partes.

I0 *Quoad unitatem substantiæ.* Ex duobus fieri potest unum tripliciter : I0 ex duobus perfectis actu remanentibus ; 2° cx duobus perfectis, sed invicem transmutatis, ut fit in mixtione, seu combinatione ; 3° cx duobus imperfectis quæ se habent ad invicem per modum potentiæ et actus (2).Atqui duo priores modi explicare nequeunt unitatem substantialem qualis in homine ex corpore et anima exsurgit. Remanet ergo tertius, qui est ipsa unio materiæ et formæ.

Primus quidem modus rejicitur, nam ex duobus entibus actu non fit unum per se, sed per accidens dumtaxat. Cæterum, jam probavimus animam et corpus non esse duas substantias perfectas. — Secundus modus est etiam ineptus. Quæ enim transmutantur ad invicem alterabilia et corruptibilia sunt. Sed anima est cujusvis corruptionis incapax. Repugnat ergo animam et corpus invicem misceri et transmutari.— Insuper, quæ miscentur, mixtione jam facta, non actu sed virtute tantum remanent. Hinc absurdum illud consequeretur animam non esse in corpore actu.

Restat ergo animam et corpus ad invicem se habere per modum actus substantialis et potentiæ substantialis. Habitudo autem actus substantialis et potentiæ substantialis in compositis naturalibus est relatio materiæ et formæ (3). Unitas ergo substantiæ arguit unionem materiæ et formæ.

2° *Quoad unitatem actionis.* Explicari nequit unitas actionis in homine nisi concedatur animam intellectivam esse partem hominis intrinsecam et constitutivam. Sed pars hominis intrinseca et constitutiva est forma substantialis. Ergo unitas

(1) Unitatem illam adeo manifestam non possunt non profiteri scientifici : « Cette indicible et mystérieuse union est la condition de toute uni té et de toute substance.... *L'unité vivante se substantialise jusque dans les profondeurs inaccessibles de l'organisation...* » Chauffard, *La Vie,* pp. 59-fiO.

(2) III P. q. 2, a. 1.

(3) Cf. vol. II, p. 113,1,117, V.

actionis exposcit ut anima sit forma substantialis in homine.

Probatur major (1). Cum unusquisque experiatur se ipsum esse qui intelligit, oportet ut actio animæ intellectivae, nempe intellectio, homini tribuatur. Porro concipitur tripliciter posse Socrati intellectionem tribui : I0 vel secundum se totum, hoc sensu quod principium intellectivum sit tota essentia Socratis; 2° vel secundum partem, hoc sensu quod principium intellectivum sit aliqua pars Socratis ; 3° vel per accidens, sicut medicus per accidens cantat, quia accidit cantori esse medicum. Atqui 1° intelligere non attribuitur Socrati per accidens dumtaxat : attribuitur enim ipsi in quantum est homo, est autem homo per se et essentialiter : attribuitur itaque essentialiter et non per accidens. 2° Non attribuitur ei secundum se totum. Nam idem est homo qui percipit se intelligere et sentire. At sentire non est sine corpore. Ergo intellectus absque corpore non est tota essentia Socratis. Remanet itaque tertia hypothesis, ut intellectio attribuatur ei secundum partem, id est ut intellectus sit pars Socratis.

Jam vero vel hæc pars est secundum esse distincta a Socrate, sive ut intellectus separatus, sive ut motor extrinsecus ; vel est intrinseca et constitutiva Socratis. Primum porro est prorsus impossibile. Ergo anima intellectiva est pars constitutiva et intrinseca Socratis, seu forma substantialis.

Probatur subsumptum, nempe impossibile est principium intellectivum esse partem distinctam ab homine secundum esse. Nam, eo ipso quod duæ partes ponantur secundum esse divisae, implicat ut una dicatur operari propter ea quod altera operetur ; jam enim desinerent esse divisæ. Ergo, si intellectus esset pars distincta a Socrate,non posset intellectio tribui Socrati.

Averroes posuit intellectum esse distinctum et separatum a Socrate, intellectionem tamen tribui Socrati quia in ipso sunt phantasmata intellectioni necessaria. Sed hoc vanum est. Nam species phantasmatum sc habent ad intellectum sicut colores ad visum. Porro ex hoc quod colores sint in pariete, non propterea dicimus quod paries videat, sed magis quod videatur. Ergo ex eo quod phantasmata sint in Socrate non

(1) Hic evolvimus argumentum S. Thomæ, q. 76, a. 1.

sequitur quod Secrates intelligat, sed quod ipse vel ejus phantasmata intelligantur. — « Quidam autem dicere voluerunt quod intellectus unitur corpori ut motor, et sic ex intellectu et corpore fit unum, ut actio intellectus toti attribui possit. Sed hoc est multipliciter vanum. » — Primo, anima movet corpus per appetitum et voluntatem. Atqui motus voluntatis præsupponit operationem intellectus, sicut motus sensitivus expostulat cognitionem sensitivam. Ergo prius est intelligere quam movere. Non ergo quia movetur Socrates ab intellectu, ideo intelligit, sed c contra, quia intelligit, ideo movetur. — Secundo, intellectio est operatio immanens, motus vero operatio transiens. Ergo Socrates non potest dici intelligere propter hoc quod sit motus ab intellectu.— Tertio, operatio motoris non attribuitur moto nisi ut instrumento. Atqui intelligere non est communicabile instrumento, est enim actio independens in qua instrumentum corporeum nullatenus communicat. Ergo intellectio non potest tribui Socrati ex eo quod moveatur ab intellectu. Quarto, aut Socrates est tantum pars corporea compositi quod resultat ex motore et mobili, pars quidem distincta ab intellectu, vel est totum compositum. Si est pars distincta ab intellectu, intellectio non potest ei attribui, nam actio partis non adseribitur alteri parti nisi per accidens, sicut operatio oculi non tribuitur manui. — Si est totum, non est ens simpliciter. Nam ex motore et mobili non fit nisi unum secundum quid. Atqui unum et ens convertuntur. Ergo, si Socrates est totum compositum ex motore et mobili, non est ens simpliciter.

Restat ergo ut anima intellectiva sit pars constitutiva, seu forma substantialis, Socratis.

IV.—Ánima nostra est forma corporis ut intellectiva, seu ratione gradus quem tenet In intellectualitate.

Anima nostra, licet ordinis sit spiritualis et intellectivi, ut jam ostensum est, infimum tamen immaterialitatis et intellectualitatis gradum obtinet.Atqui quod est infimum in intellectualitate non suscipit totam perfectionem suæ operationis absque adminiculo sensibilium ; in quo distinguitur a substantiis intellectualibus perfectis, qua? totam perfectionem absque ullo ordine ad sensibilia adipiscuntur. Ergo anima nostra non

consequitur totam suae operationis perfectionem absque adminiculo sensibilium. Sed perfectio operationis animæ est cognitio. Ergo anima perfectam non habet cognitionem nisi ope sensibilium. Natura autem non deest in necessariis. Ergo oportuit ut anima non solum haberet virtutem intelligendi, sed etiam virtutem sentiendi. Porro sensatio pro subjecto habet organismum, seu compositum ex corpore ut materia, et anima ut principio formali.Ergo gradus intellectualitatis quem habet anima nostra exigit ut corpori uniatur tamquam forma substantialis ut inde perfectionem consequatur.

Unde quod anima nostra possit esse forma corporis provenit ex perfectione annexam habente imperfectionem. Propter suam quidem perfectionem præstat eminenter gradum corporeitatis, gradumque vegetativum et sensitivum ; et idcirco non est in materia immersa,sed supra materiam elevata remanet. Quia autem perfectio hæc imperfectione admixta est, non potest anima absque ordino ad materiam concipi, nec suam virtutem explicat nisi cum corpore coeat.

V. — Confirmatur thesis ex doctrina Ecclesiæ.

Primum documentum: *Definitio Concilii Viennensis.* « Porro doctrinam omnem seu positionem temere asserentem aut vertentem in dubium quod substantia animæ rationalis, seu intellectivæ, vere ac per se humani corporis non sit forma,vclut erroneam ac veritati catholicæ inimicam fidei, prædicto sacro approbante Concilio reprobamus : diffinientes ut cunctis nota sit fidei sinceræ veritas ac præcludatur universis erroribus aditus, ne subintrent, quod *quidquis deinceps asserere, defendere, seu tenere pertinaciter præsumpserit quod* **anima rationalis, seu intellectiva,** *non sit forma corporis humani per se ct essentialiter, tanquam hsereticus sit censendus* (1). » Quam definitionem confirmavit Concilium Later. V, sub Leone X (2).

— **Secundum documentum** : *Litleræ apostólicas Pii IX,* 1857, *ad Card. Geissél, Archiep.Colon,* contra libros Guntheri : « Noscimus iisdem libris lædi catholicam sententiam ac doctrinam de homine, *qui corpore et anima ita absolvitur, ut anima*

(1) Cf. **Denzinger**, *Enchiridion,* n. 181.
(2) Id. n. 738.

eaque rationalis sit oera, per se, atque immediate corporis forma (1). »

— **Tertium documentum** : *Litteræ apostohcæ ad Doctorem Travagiini, fundatorem Societatis philosophico-medicæ Bononiensis,* «Libentius etiam videmus vos proposito vostro fideles, cos tantum sodales vobis adsciscere constituisse, qui teneant et propugnaturi sint doctrinas a sacris Conciliis et hac Sancta Sede propositas,ac *nominatini Angelici Doctoris principia de animae intellectivae unione cum corpore humano deque substantiali forma et materia prima.* » Quo documento sane abuti non licet ad damnandos adversarios ; quis tamen inficiari potest his verbis contineri egregium doctrinae thomisticæ encomium?

VI.—**Explicantur praefata documenta.** In illis documen tis asseritur : 1° animam esse *vere* formam corporis, id est non sensu metaphorico vol analogico, sicut dicitur de forma sacramentorum, sed sensu proprio, prout tunc adhibebatur. Sane Patres Concilii imprudenter egissent definitionis verba usurpando in sensu peregrino et metaphorico, qui fuisset errorum occasio, nec scopum attigissent. Si verba philosophorum sumenda sunt formaliter, ut ait Porrecta, multo magis utique sacrorum Conciliorum dogmata formaliter intelligere quisquis tenetur. Hinc est quod nullus scholasticorum dubitaverit verba definitionis proprie ac stricte intelligenda esse. Scotistse ipsi, licet formam corporeitatis adstruant, non inficiantur tamen ex Concilii definitione animam esse veram corporis formam. Si autem Patres alium sensum intendissent, non deerant alia vnrba, quibus res fuisset et aptius et clarius, expressa.

— 2° *Per* se,id est non *per accidens,* quemadmodum ponunt qui autumant unionem animæ cum corporo esse accidentalem ; nec *per aliud,*puta mediante aliqua potentia, vel actione, vel aliquo modo intermedio ab anima distincto ; sed *immediate* per suam substantiam. Hunc esse germanum conceptum apparet ex ipsis verbis Concilii,ubi damnantur temere asserentes aut in dubium vertentes « quod *substantia* animæ rationalis, seu intellectivae, vere ac per se humani corporis non sit forma. » Apparet ex interpretatione Pii IX, juxta quem anima est *vera, per se* atque *immediate corporis forma.*

(I) Cf. Denzingeu. n. 1G55.

Cæterum, probavimus in cosmologia materiam et formam immediato et per se uniri absque nexu intermedio (1).

Hinc refutatur opinio Rosminii asserentis animam rationalem conjungi corpori ope actus cnjusdam *intellectualis percipientis sensationem perpetuam et fundamentalem qua anima sensitiva proprium corpus sentire dicitur.* Esset tantum assimilatio quæ est inter cognoscentem et cognitum, ideoque unio intentionalis, non physica.

Inde etiam refellitur error Spiritistarum, qui somniant animam intellectivam, seu spiritum, in vagina quadam, seu involucro subtilissimo, vulgo *périsprit,* includi, illoque mediante corpori communicari. Ex una quippe parte constat animam esse perfecte subsistentem, seu spiritualem (2), omnis materiæ etiam tenuissimae penitus expertem ; aliunde certum est ipsam esse corporis formam immediatam et illi absque ullo intermedio per suam substantiam conjungi. Ergu fidili um ct absurdum est receptaculum illud quod *périsprit* vocant.

Eadem animadversio valet contra Platonicos qui putarunt animam in quodam corpore subtili involvi. «Quidam dixerunt quod anima intellectiva habet corpus incorruptibile sibi naturaliter unitum, a quo nunquam separatur, et eo mediante unitur corpori hominis corruptibili. Quidam vero dixerunt quod unitur corpori mediante spiritu corporeo. Alii vero dixerunt quod unitur corpori mediante luce, quam dicunt esse corpus et de natura quintæ essentiæ (3). »

— Dicitur 3° *essentialiter.* Quod potest referri vel ad essentiam animæ vel ad essentiam corporis.In prima acceptione, sensus est animam *per suam essentiam* esse corporis formam, qui sensus continetur jam in particula *per* se.In secunda acceptione sensus est animam esse *de essentia corporis humani.*

VII. —Ex his Concilii verbis habetur animam qua rationalem esse corporis formam substantialem. Quod enim alicui convenit per se ct essentialiter convenit ei in quantum est tale.Atqui, juxta Concilium,convenit animæ rationali perse et essentialiter esse formam corporis. Ergo in quantum talis, sci-

ti) Cf. I. P. *Phil. flat.* Tract II, q. II, a. Ill, n° II, vol.II, p. 150
(2) Supra q. I, a. III.
(3) S. Thom., I. P. q. 76, a. 7.

licet rationalis, est corporis forma.Mens Concilii fuit damnare Petrum Olivi. Iste porro auctor, ut demonstrat card. Zigliara ex ejus codice manuscripto (1), asserebat animam rationalem non esse per suam essentiam et immediate corporis formam, sed tantum mediate ct per partem sensitivam. Ergo contradictoria vera est : Animam etiam intellectivam esse- formam corporis.

Concilium non adhibuit verbum : *substantialis ;* quaeritur itaque utrum ex definitione Concilii sequatur animam esse formam corporis substantialem.

— Resp. : Quanquam verbum non sit in definitione expressum, res tamen æquivalenter innuitur. Etenim, juxta Concilium ipsa *substantia* animae est immediata forma corporis. Atqui substantia quæ immediate actuat materiam largitur ei esse substantiale. Sed forma quæ influit esse substantiale est forma substantialis. Ergo Concilium formam substantialem intendit.

Insuper, teste Card. Waldimiro Czacki, in epistola quam scripsit de mandato Pii IX, hæc documenta pertinent ad docendam *unitatem substantialem humanae naturæ.* Atqui ex forma accidentali et corpore non potest resultare unitas substantialis. Ergo.

Tandem Concilium damnans Petrum Olivi, verba eo sensu debuit usurpare quo praedictus auctor negabat animam esse formam corporis. At Olivi intendebat formam substantialem, quam definit : *Id per quod materia iit in actu} ita ut ex unione materiæ constituatur tertia natura.* Ergo Concilii verba formam spectant substantialem. Hæc fuit communis Scholasticorum interpretatio, nec facile quisquam ex veteribus citaretur qui definitionem illam de forma accidentali intellexerit.

VIII.—Solvuntur difficultates.—I0 Esse formam corporis est largiri esse materiæ. Atqui substantia spiritualis non potest largiri esse materiæ. Ergo substantia animæ spiritualis non potest esse corporis forma.

Resp. : Distinguo minorem : Substantia spiritualis non po-

li) Zigliara. *De mente Concilii Viennensis.* Cf. Jansen, Grcgorianum.

test largiri materiæ esse dependens a materia et immersum in materia, concedo ; esse superexcedens. materiam, nego.

Distinguo conclusionem : Ergo anima non est forma corporis immersa in materia, concedo ; forma excedens materiam, nego. Liquet responsio ex praedictis.

— *Instabis* : Atqui esse corporis est materiale. Ergo, si anima est forma corporis, confert ei esse materiale et immersum in materia.

Resp. : Distinguo conseq. i Si anima est forma corporis, largitur corpori aliquod esse materiale quod non adæquat totum esse animæ, concedo ; esse materiale quod adæquat totam virtutem et totum esse animae, nego.

— Corpus ut corpus habet esse materiale, ex qua parte aliquod esse quod profluit ab anima ordinis est materialis. At hujusmodi esse minime adaequat animae virtutem. Largitur quidem anima corpori quidquid in esse materiali perfectionis est ; at ipsius esse substantiale inde non exhauritur, nec ullatenus adæquatur a materia.Ergo esse substantiale quod anima corpori largitur remanet supra materiam elevatum.

— *Repones :* Nihil dat quod non habet. Atqui anima non habet esse materiale. Ergo nullum esse materiale largiri potest.

Resp. Dist. min. : Anima non habet esse materiale ad modum formæ materialis, concedo ; eminenter, nego ; et nego consequentiam. Sicut hexagono continetur tetragonum, ita forma vegetativa continet in virtute et modo nobiliori corpoream ; forma vero sensitiva perfectiori modo et corpoream et vegetativam, anima demum intellectiva excellentiori adhuc ratione continet et corpoream et vegetativam et sensitivam.

—*Inferes-.* Ergo anima est *eminenter* tantum forma corporis, non proprie et formaliter.— Respondeo: Anima est eminenter et non formaliter tantum forma *corporea* corporis, concedo ; anima non est formaliter forma *vera* corporis, nego.

— Admittimus animam non esse formaliter ctper essentiam materialem, ideoque non esse *formaliter* formam *corpoream.* At vero ut aliquid sit formaliter *vera* corporis forma, non expostulatur ut sit formaliter corporeum : requiritur et sufficit ut actuet corpus eique largiatur esse substantiale. Sic, anima vegetativa est formaliter forma pintee, quamvis non sit forma-

liter mineralis. Similiter, anima rationalis est formaliter forma corporis humani utpote largiens ei esse substantiale, quamvis non sit formaliter corporea.

2° Quod advenit esse completo advenit accidentali ter. Atqui corpus advenit esse completo animæ. Ergo corpus accidentaliter unitur animæ.

Resp. : Licet habeat anima esse completum, « non tamen sequitur quod corpus ei accidentaliter uniatur ; tum quia illud idem esse, quod est animæ, communicat corpori, ut sit unum esse totius compositi ; tum etiam quia, etsi possit per se subsistere, non tamen habet speciem completam, sed corpus advenit ei ad complementum speciei (1). »

In forma : Dist. maj.: Quod advenit esse completo, ut forma quæ recipitur in subjecto habenti esse primum et substantiale, accidentaliter advenit, concedo ; quod advenit ut subjectum recipiens formam habentem esse completum, subdistinguo: si forma habet esse completum et in ratione substantialitatis et in ratione speciei, accidentaliter advenit, concedo ; si forma habet esse completum in ratione substantiæ, incompletum vero in ratione speciei,accidentaliter advenit, nego, quia tunc ei unitur ad complementum speciei completæ.

Contradist. min. : Corpus advenit ut forma, nego ; ut subjectum, subdistinguo : advenit esse animæ completo in ratione substantialitatis, concedo ; completo in ratione speciei, nego, et nego conseq. — Responsio ex omnibus hucusque dictis patescit (2).

3° Actus et potentia, forma et materia, sunt in eodem genere. Atqui corpus et anima non sunt in eodem genere. Ergo anima non est forma et actus corporis.

Resp. : Dieting, maj. : Actus et potentia, forma et materia sunt in eodem genere, ut principia ejusdem speciei concedo ; ut species unius generis, nego.— Contradistinguo min.: Anima et corpus non sunt in eodem genere, id est non sunt species completæ unius, generis, concedo : non sunt principia constituentia unam speciem completam, quæ continetur sub uno genere, nego, et nego conclusionem.

(1) **Q. Q.** *Dispp. De Anima,* **a. 1, ad. 1.**

(2) Gf. etiam q. I, a. I n° III.

Forma et materia non sunt in genere nisi reductive: compositum quidem est proprie in genere, forma vero et materia sunt in genere, in quantum sunt partes ejusdem compositi specifici. — Sensus vero axiomatis: *Actus et potentia sunt in eodem genere,* est : Si potentia sit in genere substantiæ, actus erit in genere substantiæ et vice versa. Porro anima et corpus, sunt in eodem genere supremo substantiæ ; utrumque enim est principium substantiale compositi substantialis.

4° Intellectus qui est potentia animæ nequit esse forma corporis. Atqui eadem est ratio pro ipsa anima. Ergo.

Resp. Nego min. Ratio cur intellectus non possit esse forma corporis non provenit ex eo præcise quod intellectus sit spiritualis, sed ex eo quod sit spiritualis simul et forma accidentalis. Cum enim forma accidentalis supponat esse primum subjecti, pendet a subjecto quod informat; quare non potest concipi accidens quod sit corporis forma et tamen a corpore independens. At, cum forma substantialis conferat subjecto esse primum, subjectum ab ipsa,non ipsa a subjecto essentialiter dependet.Potest ergo dari forma substantialis quæ corpus informet et tamen a corpore nullatenus dependeat. Ergo non eadem militat ratio pro facultate animæ et pro ipsa anima.

IX.— Solvitur specialis difficultas, ot ostenditur statum separationis non esse proprie violentum. Si anima est forma corporis, status unionis cum corpore est naturalis, et status separationis violentus. Atqui naturale diutius permanere debet quam violentum. Ergo, si anima est forma corporis, status unionis debet diutius durare quam status separationis, et ita vel mors nunquam debet accidero, vel saltem resurrectio erit necessaria, cum tamen constet et mortem naturalem et resurrectionem gratuitam et miraculosam esse.

Resp. : Statum separationis non esse connaturalem animæ, nec tamen omnino violentum, sed præternaturalom. Non esse connaturalem ostendit objectio. Cum anima sit secundum essentiam forma, connaturalis actus est informare, ideoque solus status conjunctionis est proprie naturalis. At vero statum separationis esse tantum præternaturalem, non autem violentum, hoc pacto evincitur. Violentum dicitur quod fit a principio

extrínseco, passo non conferente vim, id est passo nullatenus cooperante ad effectum violentum, neque actione, neque inclinatione, imo resistente quantum potest. Atqui anima habet principium intrinsecum subsistendi extra corpus, nec illi fit vis, sed juxta propria principia illum statum sustinet. Ergo status separationis non est illi omnino violentus. Dicitur tamen praeternaturalis, quia non oritur per se et connaturaliter ex ipsa anima, vel ex modo quo anima conditur a Deo, sed ipsi ut accidens extraneum provenit, supposita actione corruptiva corporis. Aliqua ratione dici potest naturalis, quia anima illum vi propriæ natures et absque principio extrínseco sustinet. Duplex itaque competit animæ modus existendi : unus, quatenus est forma informans, et hic est simpliciter naturalis, alter quatenus est substantia immaterialis accedens ad substantias separatas et vi cujus potest vi propria statum separationis sustinere, et hic est aliqua ratione naturalis, quia animæ natura illum compatitur, sed aliunde est praeternaturalis, utpote contrarius naturali inclinationi qua anima fertur ad corpus.

— Ad minorem : Naturale debet diutius permanere quam violentum, posset responderi: *transeat,* et negari consequentia, cum teneamus statum separationis non esse violentum.

Sed urget adversarius : Naturale diutius debet permanere quam præternaturale. Ergo redit tota difficultas.

— Distinguo igitur : Naturale debet diutius r,ermanere quam violentum vel præternaturale, saltem *aptiïjidine,* concedo; *actu,* subdistinguo : secundum se, concedo; per accidens et ratione alicujus adjuncu, nego et nego consequentiam.

— Naturale semper remanet idem saltem aptitudine, sicut leve semper aptitudinem habet ut sit sursum; et, pariter, anima semper remanet aptitudine forma corporis et semper retinet inclinationem et ordinem transcendentalem ad corpus.

—Insuper, naturale appetit esse semper *tale actu, quantum est de se,* sicut leve secundum se appetit esse sursum etiam actu : at possunt impedire adjuncta extrínseca ne aliquod leve de facto sursum ascendat. Anima etiamsecundum se semper esset actu in corpore, nisi obstaret conditio materiae. Materia porro hominis est corpus tale ad quod sequitur ex necessitate corruptibilitas, et quantum ad hoc mors est homini naturalis. Exem-

pío res patescit.Quod serra sit ferrea (exemplumest D.Thomae) competit formæ et actioni ejus, ut per duritiem sit apta ad secandum ; sed quod sit potens rubiginem contrahere, consequitur ex necessitate talis materiæ. Pariter quod anima actu informet corpus et ei largiatur vitam, provenit ex ejus virtute; sed quod separetur resultat ex conditione materiæ, quæ ex contrariis coalescit elementis. Ex hac autem naturali conditione naturaliter sequitur formam in perpetuum separari a materia.

Cæterum, posset hæc ratio solidum præhere argumentum congruentiae ad probandam corporum resurrectionem, ut autumat ipse D. Thomas (1).

Imo quidam auctores inferunt resurrectionem esse aliquatenus necessariam. Quanquam admittimus resurrectionem gratuitam esse, fatemur tamen summopere decere divinam bonitatem ut anima non remaneat perpetuo a corpore sejuncta. Undo etiam in statu naturæ puræ, ut videtur,Deus ex quadam congrua liberalitáte hominem resuscitasset.

(1) II *Contra Cent.* c. 79.

ARTICULUS TERTIUS.

CONFUTANTUR SENTENTJÆ OPPOSITE.

I. — Occasionalismus, seu systema mutuæ assistentia». Principia hucusque exposita et vindicata eliminant omnes sententias quæ unionem mere accidentalem tuentur (a. I, n.XII) vel unionem per modum materiæ et formæ inficiantur. Præstat tamen singulas opiniones expendere. Cartesio solemne erat istud principium : Unice per creationem ideoque sola virtute infinita fieri potest quidquid actu antea non erat. Ex quo intulit Malebranchius : Ergo omnis actio creaturarum, qua fit aliquid quod actu antea non erat, est per infinitam Dei virtutem, ac proinde non ipsæ creaturæ agunt, sed Deus, occasione creaturarum, offectum producit. Hoc pacto explicatur mutuus influxus animam inter et corpus : Occasione perceptionum et volitionum animi, Deus motiones respondentes in corpore excitat, et occasione impressionum quæ corpori accidunt, Deus similes in animas producit affectiones; et hinc resultat mira inter utramque substantiam concordia, atque in tali concordia consistit unio animæ et corporis (1).

II. — Systema harmonise præstabilîtæ.

Leibnitzius rem explicat per harmoniam, seu corrcspondentiam, ab æterno præstabilitam inter totam seriem actionum animæ et totam seriem actionum corporis. Quilibet motus corporis

(1) Cf. Malebranche, *Traité de morale»* 1re partie, c. X. — Fénelon similem tenet opinionem : « L*union du corps et de l'âme ne consistant que dans un concert ou rapport mutuel entre les pensées do l'une et les mouvements de l'autre, il est facile de voir ce que la cessation de ce concert doit opérer. Ce concert n'est point naturel à ces deux êtres si dissemblables et si indépendants l'un de l'autre, v *Lettre sur la Métaphysique»* c. II.

consequitur immediate ex antecedenti motione ; posita quippe prima motione a Deo, secunda necessario consequitur et e secunda tertia, ita ut omnes modificationes, a nativitate usque ad mortem corporis, seriem efforment, seu successionem continuam, quadam quasi mechanica lege seso evolventem. Pariter quaelibet affectio animæ habet rationem sui sufficientem in praecedenti affectione, et ita, a nativitate ad mortem, omnes animi affectiones seriem, seu successionem, continuam progignunt. Deus autem ab aeterno praevidit series motuum corporum et series affectionum animarum seu monadum, ct res ita disposuit ut inter has series esset correspondentia et consensio. Hanc monadem, haneve animam, huic corpori destinavit, quia praescivit futuram esse consensionem inter seriem actionum unius et seriem actionum alterius : quemadmodum, si artifex duo adaptaret horologia quorum utrumque haberet mechanismum independentem, ita tamen perfecte ordinatum ut motus unius ad amussim concordaret cum alterius motu, perinde ac si uni' mechanismo subjicerentur (1). Adversarios nactus est Leibnitzius Newtonum, Glarkium, etc. (2).

III. — Conclusio : Systemata assistcntlæ niutuæ, et harmonisa præstabilltæ, sanæ philosophiae adversantur.

Arg. I™. Certum est vigere in homine unitatem personæ et unitatem naturæ. Utramque autem unitatem evertunt prædicta systemata. Ergo.

Minor ostenditur. In utroque systemate anima et corpus finguntur ut substantiae omnino completæ, sicut duo horologia independentia. At duo horologia efformant duas naturas, duoque supposita ; nec ideo resultat unum suppositum, quia motus unius cum alterius motu perfecte concordat. Hæc enim harmonia inter horologia non impedit quominus duplex sit principium *quod* operationum. Ergo in illa theoria essent in homine duæ naturæ, duoque principia operationum, seu duæ personæ.

Arg. IIum. Constat corpus speciem ex anima desumere, cum nonnisi per animam dicatur et sit humanum. Atqui admissa

(1) Leibnitz, *Théodicée,* I. P. n° 62 ; *Monadologie,* η'' 78 otseqq.

(2) Cf. Newton, *Lettre à M. l'Abbé Conti ;* Clabke, *Cinquième réplique.*

mutua assistentia, vel harmonia præstabilita, anima nequit conferre speciem corpori, sicut nec unum horologium speciem dat alteri.Largiri enim speciem alicui est tribuere ipsi proprium esse substantiale. Sed in utroque systemate, anima non largitur corpori esse substantiale, cum et anima et corpus independentiam ab invicem retineant. Ergo.

Arg. Unumquodque systema soorsim inspectum speciales præ se fert repugnantias. Contra Malebranchium recurrunt omnia argumenta quibus in Mctaphysica refellitur occasionalismus.

Evertit animæ activitatem et libertatem, ponendo omnem actum etiam liberum, bonum aut malum, a solo Deo produci. Rationem nullam affert cur perturbentur aliquando istæ leges inter affectiones et motiones corporis et perceptiones animi ; unionem non explicat, nam concordia unionem supponit, non constituit.

Arg. IVum.ContraLeibnitzium. Praeter alia argumenta valida quæ afferri possunt, hæc duo animadvertimus : 1° harmonia præstabilita non explicari unionem, 2° destrui libertatem.

Imprimis, consonantia et concordia actionum oritur, ut dictum est, ex unione ut effectus, non autem illam constituit. Ergo harmonia præstabilita unionem nullatenus explicat, sed supponit. Insuper, illa correspondentia inter series actionum corporis et series actionum animæ ab aeterno praevisa, vel habetur necessario et vi essentiae rerum, vel aliunde. Si vi essentiae rerum, jam animæ essentia concipi nequit sine istis actionibus, quod experientiæ repugnat, quæ testatur actiones esse contingentes ; nec potuisset Deus alium ordinem instituere, quod divinam libertatem et omnipotentiam graviter impetit. Si aliunde quam ab anima et corpore, explicandum est unde proveniat, et tunc ruit præcipuum opinionis Leibnitzianæ fundamentum.

Secundo, de ratione libertatis est ut anima possit actionem non ponere et actionem suspendere. At, si vera est harmonia præstabilita, anima non potest actionem non ponere vel actionem suspendere, siquidem, posita prima motione, tota series necessario consequitur lege quasi mechanica. Ergo evertitur libertas.

IV. — **Influxus physicus, seu mutua causalitas.** Explicat unionem per mutuam actionem animæ in corpus et corporis in animam. Sensationes seu motiones ab objectis externis in sensu impress», nervorum ope. usque ad sensorium commune propagantur. Porro, juxta illos auctores, anima in sensorio communi residet. Sic ergo res externa menti objicitur et repraesentatur. Anima autem propria virtute excitat in se ideam objecti, et ita illud percipit. Vicissim, advoluntatem animi, excitatur fluidum cerebri, quod in nervos et musculos influit, extensione vero vel expansione nervorum et musculorum producitur motus desideratus membrorum. Et hac ratione anima movet membra et corpus.

Hoc systema prius fuit a Lockio et Lockianis propugnatum ; at postea innumeros alios nactum est patronos, generatila omnes qui, ex una parte doctrinæ scholasticae infensi, non audebant aliunde occasionalismo et harmonise præstabilitæ fidere.

V. — Conclusio : Influxus physicus multa gratuita et repugnantia in mediuni profort.

Primo, gratuito ponit residere animam in determinata corporis parte, cum tamen invicte probetur animam esse totam in toto corpore et totam in qualibet corporis parte.

Secundo, gratuito asserit dari fluidum subtilissimum quod omni animæ obsequatur imperio. Gratuito pariter adstruit pro voluntatis libitu nervos ac musculos intendi et remitti.

— Plura vero repugnantia ponit. Corpus enim agit in animam vel per contactum quantitatis, vel per contactum virtutis. Contactus porro quantitatis, cum fiat secundum superficiem extensam, supponit duas substantias corporeas. Ergo anima esset corporea. Si autem corpus in animam influit per contactum virtutis, idem absurdum consequitur. Virtus enim corporea corpoream quidem substantiam attingere potest, non autem spiritualem. Ergo, si corpus animam directe per contactum virtutis tangit, anima spiritualitate caret.

— Insuper, si corpus et anima adunantur tantum per influxum, seu contactum virtutis, erit solum unio agentis et patientis, motoris et mobilis. Atqui conjunctio motoris et mobilis est tantum accidentalis. Ergo iterum incidimus in senten-

t. am Platonicorum, ct obtrudimus in homine duas substantias independentes, duoque supposita. Porro ubi duo sunt supposita, duæve naturæ, nulla est operatio communis. Ergo anima et corpus nullam communem haberent actionem, quod experientiæ et conscientiæ manifestissime adversatur.

VI. — **Systema mediatoris plastici.** Cudworth, ad explicandas materiæ operationes, mediam inter Deum et corpora posuit quamdam naturam genetricem, seu plasticam, quæ esset per omnes ros diffusa. Joannes autem Clericus, iisdem placitis imbutus, finxit animam corpori uniri mediante quadam natura spirituali simul et corporea, inconscia tamen, quæ posset utrumque extremum optimo conjungere, utpote utriusque extremi naturam participans. Quæ substantia *mediator plasticus* vocatur et officio nuntii fungitur: animæ refert quidquid accidit corpori, et in corpore jussa animæ exequitur.

VII. — **Critica- —** At vero imaginatione, non ratione, utitur hoc in puncto Joannes Clericus. Quo pacto probatur dari hanc substantiam corpoream et spiritualem ? Repugnat ut aliqua substantia sit spiritualis et tamen inconscia. Cæterum, hic mediator corpori unitur vel accidentaliter vel substantialiter. Utraque autem hypothesis substantialem pessumdat hominis unitatem. Si enim medium ipsum habet unionem accidentalem, anima quæ per medium corpori conjungitur, nonnisi accidentaliter unietur, ct hinc, nedum sit in homine unica substantia, erunt tres substantiæ accidentaliter conjunctæ : corpus, mediator plasticus, et anima.Si autem mediator plasticus copulatur corpori substantialiter, erit substantialis actus corporis. Sed solus actus primus qui advenit materiæ est substantialis, cæteri vero qui subsequentur sunt accidentales. Ergo anima, quæ mediatori plastico superveniet, accidentaliter corpori unietur.

VIII. — Systema Rosmini «anum etcætera systemata qua» reponunt unionem in quadam perceptione. Rosmini unionem animæ cum corpore in perceptione quadam immanenti reponit, seu in actu percipiente sensationem perpetuam et fundamentalem qua anima sensit ⁻ proprium corpus sentire dici-

tur. Docet insuper formam substantialem corporis non esse animam, sed potius animæ effectum.

In qua opinione plura congeruntur erronea. Supponit errorem de anima, quæ ex sensitiva fit intellectiva per apparitionem entis idealis (1). Supponit prius cognosci essentiam sensibilium quam existentiam ; quod est falsissimum. Præterea, ut articulo præcedenti animadvertimus, unio quæ fît mediante perceptione est unio cognoscentis et cogniti. Sed unio cognoscentis et cogniti est intentionalis dumtaxat, nullatenus physica. Ergo corpus et anima conjunguntur modo intentional! dumtaxat. Quocirca non major viget unio animam inter et corpus humanum quam inter animam et corpora externa quæ cognoscuntur, quæque animæ intentionaliter assimilantur. Quod vero addit, formam substantialem esse effectum animæ, inauditum est et paradoxum. Forma quippe substantialis corporis designat id quo corpus est formaliter vivens et formaliter humanum. Ergo, si non ipsa anima, sed animæ effectus, est corporis forma, corpus non erit formaliter vivens et formaliter humanum per animam: quid ergo anima corpori præstabit? Si non est ejus causa formalis, eritne fortasse causa efficiens ? Absurdissime porro diceretur corpus efficienter ab anima produci. Merito igitur sententia Rosminiana fuit ab Ecclesia damnata 14 dec. 1887 (2).

Argumenta nostra eodem jure militant contra Kantium, Jouffroy, et alios qui unionem substantialem inficiantur et reponunt hominis essentiam in sola suarum actionum conscientia vel in cogitatione, ut Cartesiani.

H. Bergson reponit unionem in quadam perceptione temporis et præteriti : materia exhibet praeteritum, mens illud imaginatur, et sic constituitur unio. « La distinction du corps et de l'esprit ne doit pas s'établir en fonction de l'espace, mais du temps... Il faut que le passé soit *joué* par la matière, *imaginé* par l'esprit (3). » — Unio quæ secundum conscientiam, memoriam, vel perceptionem quamcumque, attenditur est accidentalis et intentionalis, nullatenus realis et physica.

(1) Supra q. I, a. V. η|· IV et V.

(2) Cf. Dbnzingeb, *Enchiridion,* n. 1759.

(3) Bergson, *Matière et Mémoire,* pp. 246-249.

IX. — Systema commixtionis virium. — Docet Tongiorgi conjunctionem substantialem animæ cum corpore consistere in commixtione virium utriusque. Animanempe et corpus proprias habent vires, sed anima vires suas viribus corporis associat et admiscet, et per hanc commixtionem constituitur utriusque unio. Cui sententi® nonnulli etiam adhæserc. Sed, inquirimus, quomodo substantia spiritualis et substantia materialis possint se invicem contingere et suas miscere vires ? Recurrunt hic argumenta quæ adversus physicum influxum attulimus. Cæterum, ut res uno verbo conficiatur, commixtio virium est copulatio accidentium ; sed accidentium aggregatio nullatenus valet unitatem substantialem, qualis inter animam et corpus viget, præstituere.

X. — Corollarium. Ergo restat sola doctrina scholastica et catholica de unione per modum materiæ et form®. Hoc pacto omnia rite explicantur. Anima et corpus unum esse et suppositi et compositi habent. Omnes quidem facultates in animæ essentia radicantur ; potenti® tamen vegetativæ et sensitivæ immediate in organismo, seu composito, exercentur. Quoad istas ergo operationes, corpus et anima possunt in se invicem mutuo influere; quoad cæteras vero, cum omnium facultatum eadem sit radix, nempe animæ essentia, facile concipitur potentias sensitivas et intellectivas in se invicem agere. « Ex viribus superioribus fit redundantia in inferiores ; ut cum ad motum voluntatis intensum sequitur passio in sensuali appetitu, et ex intensa contemplatione retrahuntur vel impediuntur vires animales a suis actibus : et e converso ex viribus inferioribus fit redundantia in superiores, ut cum ex vehementia passionum in sensuali appetitu existentium obtenebratur ratio, ut judicet quasi simpliciter bonum id circa quod homines per passionem afficiuntur (1). »

XI. — De quibusdam loquendi modis. Bossuetius, Janet, et alii, dicunt unionem corporis et animæ cam esse ex qua resultat *unum totum naturale.* « En un mot, l'âme et le corps ne font ensemble qu'lit *tout naturel,* et il y a entre les parties une

(1) *De Veritate,* q. 26, a. 10.

parfaite et nécessaire communication (1). » Qui loquendi mo dus rectus est, dummodo intelligatur de unione materiæ et formæ. Ideo erit homo unum totum naturale, ideo omnes partes perfecta et necessaria sibi adhærebunt communicatione, si est anima actus et forma largiens omnibus esse.

Fr. Bouillier (2) tueri quidem vult unitatem substantialem, attamen duplicem adstruit unionem substantialem : alteram animæ, alteram molecularum materialium. Gum autem unie utriusque sit solum ordo, inde sequitur conjunctionem esse accidentalem.

Alii, ut Van Heimont, unionem illam vocant *unitatem conjugalem :* qui loquendi modus dualitatem non excludit, nam conjugum unio ex se accidentalis est.

Lordat unionem vocat *hypostaticam,* qui loquendi modus non est proprius, ut jam monuimus (3).

(1) *Connaissance de Dieu et de soi-même,* c. III.
(2) *De principe vital et l'âme pensante.*
(3) Supra, a. I, n° X, pp. 134-135.

ARTICULUS QUARTUS.

DE COMPOSITO HUMANO.

I.—Expenduntur vari® hominis d.efinitiowes.CeIeberrima est definitio platonica : *Homo est anima rationalis mentis particeps et corpore utens.* Cui omnino concordat definitio quam tradit de Bonald: *Homo est intelligentia organis utens.* Utraque perimit unitatem substantialem hominis, qui non est anima vel. spiritus, sed compositum ex anima rationali et corpore, ut constat ex art. I.

Eodem vitio laborat definitio Cartesianorum : *Homo est ens cogitans, et* definitio quam tradunt recentiores : *Homo est natura sui conscia :* neque enim cogitatio neque sui conscientia constituunt integram hominis essentiam ; quinimo arguunt essentiam jam constitutam.

— Vitio materialismi e contra laborant sequentes definitiones: *Homo est organismus perfectissimus; homo est animal bipesr implume, habens caput erectum; homo est animal bipes, bimanum, coquens cibos.* Abstrahunt omnes a principio essentiali, differential! et constitutivo hominis, scilicet rationalitate. Alii definiunt : *Homo est animal capax locutionis, capax subjiciendi sibi naturam opera et labore, capax acquirendi notiones civiles, politicas, morales et religiosas.* Falsa quidem non est definitio, hominem enim a cæteris sufficienter distinguit ; sed est solum descriptiva, procedens per proprietates et abstrahens a differentia essentiali in qua tales proprietates fundantur. Idem valet de alia definitione : *Homo est rex universi :* descriptiva est, non essentialis.

Rosminius ita definit : *Homo est subjectum quoddam animalitatis simul et intelligentiæ principium.* Animalitas porro designare potest vel naturam animalem, et tunc homo non est principium animalitatis, sed potius subjectum

quod habet animalitatem ; vel facultatem et operationem animalem, et tunc principium animalitatis non est præcise homo, sed anima, quæ dicitur : *Principium radicale nutriendi, augendi, et generandi.* Pariter intelligentia accipi potest vel pro facultate et operatione intellectiva, et jam principium intelligentiæ non est ipse homo, sed anima : vel pro esse intellectuali, et tunc principium et subjectum intelligentiæ est, non homo, sed anima. Multiplici ergo vitio laborat rosminiana de'fmitio.

Neque definiendus· est homo : *Creatura rationalis,* quia vox *creatura* non assignat genus proximum, sed nimis patet.

II. — Vera hominis definitio. Usu probata est hæc definitio: *Homo est animal rationale.* Optima est definitio quæ traditur per genus proximum et differentiam essentialem. Porro in præfata definitione genus proximum exhibetur hoc verbo : *Animal :* differentia autem essentialis isto : *Rationale.* Ergo. — *Animal* significat id quod habet naturam sensitivam, unde in ipso includuntlirprædicatum substantiæ, prædicatum corporis, prædicatum viventis, et id quo natura sensitiva distinguitur a vivente in communi et convenit cum homine. *Animal* igitur est genus proximum. *Rationale* imponitur quidem a ratione, non tamen accipitur in præsenti pro facultate ratiocinandi, sed pro esse rationali, et consequenter innuit aliquid essentiale quod potest esse differentia constitutiva. Differentia enim hominis debet distinguere et a brutis et ab angelis ; rationale porro discernit a brutis, ut patet, et etiam ab angelis, qui sunt proprie intellectivi, discursu non indigentes, sed intuitu simplici intus legentes. Non est ergo definiendus homo : *Animal intellectivum,* sed : *Animal rationale.*

« Animal significat id quod habet naturam sensitivam ; rationale vero quod habet naturam intellectivam ; homo vero quod habet utrumque (1). »

flue redeunt quædam definitiones ab Augustino traditae : *Homo est animal rationale mortale* (2). Indicatur hic aliquid quod est omnibus manifestum, scilicet mortalitas ; superfluit

(1) I. P. q. 85, a. 5, ad. 3.

(2) *De Civit. Dei,* lib. IX, c. XIII, n, 36.

tamen *mortale,* nain *animal,* utpote contrariis elementis constans, corruptioni necessario subjacet.

— *Homo est substantia quædam rationis particeps regendo corpori accommodata* (1).

Intelligitur regimen, non illud quod ab extrínseco gubernatore imprimitur, sed illud quo anima per intrinsecam informationem corpori præstat : tenet enim Augustinus unionem esse substantialem, hominemque esse animam et corpus (2).

Sensus ergo est hominem esse substantiam constitutam ex corpore, tanquam passivo et subjecto, et anima spirituali, tanquam actu et forma intrinsece gubernante.

Substantia hujusmodi importat sane *animal* et *rationale.*

Legitima igitur est definitio, licet oratoria, quæ genus et differentiam non directe exprimit, sed æquivalenter.

III. — **Natura hominis.** Definitur: *Compositum humanum, ut est principium* **quo** *actionum et passionum.* Sicut nempe natura compositi naturalis resultat ex unione materiæ et formæ. ita natura hominis est compositum ex corpore et anima.

Insuper *natura* designat principium intrinsecum actionum et passionum. In homine porro quædam actiones subjectantur in composito, quædam vero in sola anima ; omnes sunt ab anima tanquam a primo et radicali principio ; omnibus tamen concurrit corpus, etiam spiritualibus, saltem *extrinsece,* et tanquam instrumentum animæ conjunctum. Recte igitur natura dicitur principium omnium operationum ; principium tamen *quo,* ut distinguatur a persona, principio *quod,* ut statini declarabitur.

IV. — Persona hominis. Definitur: *Substantia humana completa. sui juris, et alteri supposito incommunicabilis, principium* **quod** *operationum* (3). Includit igitur compositum seu naturam, eique plura addit, nempe esse, accidentia, etc. Dicit naturam completam in ratione speciei et in ratione substantialitatis, et importat incommunicabilitatem alteri suppósto (quocirca natura humana in Christo non potest esse per-

ii) *De Quantitate Animée,* c. XIII. n 22.
(2) *De Civit. Dei,* lib. XIII, c. XXIV, n 2.
(3) Notio peraonæ plene exponitur in *Metaphys. Ont.* Tract. III.

sona). Tandem vocatur principium *quod* operationum. Id enim *quod* agit est totum, partes vero et formas et potentias sunt id *quo* aliquid agit. Sed suppositum, seu persona, est totum, natura vero est pars: Socrates quippe praeter humanam naturam alia suscipit. Ergo persona est id *quod* agit, natura vero id *quo* aliquid agit.

Persona porro humana semper identica sibi remanet. Res facile intelligitur ex parte animæ,quæ invariabilis est, sed quomodo id effici possit ex parte materiæ, quæ in perpetuo est fluxu ? Recolantur dicta de individuationis principio (1). Materia, seu corpus, individuatur per ordinem transcendentalem ad quantitatem signatam. Ordo vero transcendentalis ad quantitatem signatam est plane invariabilis et indestructibilis. Nihil itaque ex parte corporis officit identitati personæ. Separatione autem animæ a corpore peracta, non amplius remanet homo ; attamen anima et corpus eumdem retinent ordinem transcendentalem ad invicem; unde,facta iterum unione per resurrectionem, eadem omnino erit persona quæ fuit in prima unione.

V. — Esse compositi Immani. Quæ alibi diximus de existentia compositi naturalis hic commode applicari possunt. Unica existentia afficiens partes et compositum facit omnia existere (2).

Totum esse hominis formaliter consideratum *primo* convenit composito, quod est totum in specie constitutum. At, sul) alio respectu, *primo* convenit animæ. Ipsa enim est primum principium quod largitur esse, et primum subjectum in quo esse recipitur. Esse nempe per se convenit animæ et mediante anima convenit corpori et composito, sicut generatim omne esse per se competit formæ, et mediante forma cæteris tribuitur (3).

Animadvertendum est autem in homine posse considerari esse ut rationale, et esse compositi seu animalis rationalis. Esse quidem rationale proprium est animæ, nec ullatenus corpori communicatur, ac proinde semper remanet incorruptum et incomiptibile. Esse vero animalis rationalis provenit quidem ab anima, sed communicatur composito et ita fit composito

(1) I. P. *Phil. Nat.* Tract. II, q. IV, aa. I et II ; vol. II, pp. 236, 248.
(2) Cf. I. P. *Phil. Nat.* Tract. II, q. II, a. Il1 ; n° IV, vol. II, p. 149.
(3) Ibid. a. II, n° IV, p. 139.

proprium, ut quando illud esse corrumpi dicitur, non ipsa anima vel esse animæ sed ipsum compositum corrumpatur, sicut ipsum compositum dicitur esse proprie in genere vel in specie ; hinc axioma *'Generatio et corruptio directe afficiunt compositum, non materiam vel formam.* Separata anima retinet idem esse : esse quidem rationale et incommunicabile eodem modo persistit ; osse vero communicabile non est simpliciter eodem modo, quia non jam communicatur actu ; sed in potentia et virtute perseverat, et iterum de facto communicabitur si fiat iterata unio. Igitur potentiæ vegetativæ et sensitivse in anima separata virtualiter remanent.

VI.—Be mutuo Influxu corporis et animæ in composito humano.

Animam inter et corpus viget ille influxus qui est inter materiam et formam. Porro influxus materiæ et formæ consistit in immediata et mutua propriæ entitatis communicatione. Igitur anima et corpus sibi invicem communicant propriam realitatem : hinc resultat aliquod esse commune, quod est esse compositi. Hinc etiam quædam profluunt potentiæ quæ sunt toti composito communes, animæ nempe et corpori simul, scilicet potentiæ organicæ. Pronum est ergo, ratione hujusmodi potentiarum, quamdam fleri redundantiam ex corpore in animam et ex anima in corpus. Remanent quidem aliquod esse et aliquæ ricultates quæ corpori nullatenus communicantur, scilicet intellectus et voluntas, attamen recipiuntur in eadem essentia in qua et facultates inferiores radicantur. Essentia porro animæ, cum sit finita, finitam suis facultatibus largitur virtutem; unde, si unius facultatis virtus et operatio nimis intenditur, id in aliarum detrimentum vergit, seu, ut ait Angelicus, una operatio, cum fuerit intensa, impedit aliam. Cum ergo et inferiores ct superiores facultates in eadem radicentur essentia, naturale est ut inferiores.redundent in superiores, ut cum appetitus impedit et obtenebrat rationem ; et ut superiores redundent in inferiores, ut cum ad imperium voluntatis potentiæ sensitivæ moventur, vel cum intensa contemplatio actionem impedit virium animalium (1)

(1) QQ. *Dispp.* q. 26 *de Veritate,* a. 10.

VII. — Do origine compositi humani. Jam. scimus (1) animam humanam a solo Deo per creationem produci ; difficultas est de corpore. Absolute non repugnat Deum potuisse ex corpore belluino humanum corpus efformare, nempe taliter immutando materiam belluinam, ut apta fieret animæ rationali recipiendae. Repugnat autem ut corpus humanum a belluino producatur absque speciali Dei interventu. Nam impossibile est formam unius speciei informare materiam alterius speciei. Atqui anima rationalis est forma alterius speciei ab anima belluina. Ergo impossibile est animam rationalem informare corpus belluinum, nisi Deus speciali interventu materiam belluinam disponat in ordine ad animam rationalem. Igitur origo hominis a simio, qualem propugnant evolutionistæ, est metaphysice impossibilis quoad animam, ut constat ex praecedenti quaestione ; quoad corpus vero est metaphysice possibilis, physice tamen, seu naturaliter, impossibilis. Scimus vero ex physiologia irreductibiles esse hominis et simii characteres. Primo quidem, differunt homo et simius quoad structuram et positionem corporis. *Quoad, structuram* quidem, nam crura, suræ, musculi genuum, manus, pedes, non eamdem formationem exhibent. *Quoad dispositionem* vero, nam in homine organa ita disponuntur. ut homo sit animal incedens, in simio vero ut sit animal scandens. Repugnat autem animal incedens ab animali scandenti procedere, ait de Quatrefages : « Un animal marcheur ne peut pas descendre d'un animal grimpeur. » Secunda differentia in capite utriusque attenditur. Hominis cranium est facie majus, simii vero facies est cranio æqualis vel major. Tertio, angulus facialis quam maxime differt : in homine est septuaginta vel octoginta quinque graduum, in simio triginta vel triginta quinque (2). Demum cerebrum nimis differt.

Cseterum, origo hominis a simio facta fuisset vel per conti-

ti) Supra, q. I, a. V, n° p. 121.

(2) Contenderunt quidam scientifici post Camper angulum facialem in simiis attingere vel etiam excedere 60 gradus. Sed id merito negatur: « Les différences avec la tête humaine sont tout autres que celles dont Camper avait établi les chiffres, puisque l'angle facial de l'orang noir ou du chimpanzé le plus favorisé de la nature ne dépasse pas 30 et 35 degrés au plus. De ce chiffre aux 70 degrés du nègre et du kalmouk, il y a trop loin pour que la série imaginée par Camper demeure admissible. » Db Gobineau, *Essai sur l'inégalité des races humaines,* p. 110.

nuam evolutionem, vel per saltum, seu per abruptam transformationem. Primæ hypothesi contradicunt facta, cum nullum reperiatur animal intermedium simium inter et hominem ; utrique autem hypothesi repugnat principium causalitatis : species nobilior non potest ab inferiori naturaliter causari. Restat ergo ut corpus humanum in prima sui origine fuerit immediate a Deo productum, id est per specialem Dei interventum.

VIII.—**De unitate speciei humanæ.** Monogenistæ dicuntur qui speciei humanæ unitatem propugnant ; polygenistæ vero qui specierum pluritatem defendunt, inter quos Virey, Bory de Saint-Vincent, Gerdy, Broca, Morton, Nott, Gliddon, etc. Nomine *speciei* impræsentiarum intelligitur complexus individuorum eosdem distinctives et essentiales characteres habentium simulque facultatem sese indefinite reproducendi. *Varietas* est collectio individuorum ejusdem speciei quæ tamen a typo communi, secundum quasdam differentias et modificationes accidentales, recedunt. Cum vero characteres isti accidentales qui varietatem inducunt fiunt per generationem fixi, constantes ac permanentes, constituitur *stirps (race).*

Jam vero diversas esse hominum varietates et stirpes inficiatur nemo ; at unam esse speciem humanam constabit si omnia individua humana eosdem distinctivos et essentiales characteres præ se ferant et possint cum hujusmodi characteribus indefinite propagari. Atqui omnia individua humana possunt indefinite propagari cum iisdem distinctivis et essentialibus characteribus. Ergo unica est species humana. Major constat ex ipsa speciei notione. Probatur minor. Characteres hominis distinctivi et essentiales sunt intellectus, voluntas, sensus interni et externi, organa vegetalia. Atqui omnia humana individua habent intellectum et voluntatem ejusdem rationis, siquidem omnibus inest cognitio veri, honesti, et appetitus boni, etc.; sensus internos et externos ejusdem naturæ, organa vegetalia quæ similes eliciunt actiones, similibusquo subjiciuntur conditionibus sive quoad conservationem, sive 'quoad morbos et mortem. Praeterea, humana individua indefinite propagantur cum hujusmodi characteribus, ut apparet ex multis conjugiis inter diversas hominum stirpes, quæ tamen connubia non sterilitate laborant, sed mira quandoque gaudent fecunditate.

Argumenta adversariorum ex triplici præcipue capite desumuntur : ex colore, ex statura, ex angulo faciali.

At color non est signum distinctivnm et specificum. Post Malpighi inventa cutis coloratio haud ægre explicatur. Derma inter et epiderma reperitur corpus quoddam mucosum, cujus cellulæ elaborant liquidum quod *pigmentum* vocant, et cui coloralo cutis tribuitur. In quibusdam hominum stirpibus, propter majorem solis influentiam, abundantior est pigmenti secretio, et hinc major cutis coloratio. Hæc differentia igitur est mere accidentalis.

Pariter capillorum forma et color est signum mere secundarium, quod ex circumstantiis externis resultat.

Diversitas vero staturæ etiam ex diversitate conditionum externarum, seu ex *mediorum* influentia, explicatur. Sicut enim plantæ et animalia ejusdem speciei accidentales in sua constitutione organica modificationes suscipiunt propter externa adjuncta, ita homines ex diversa mediorum influentia, diversa regione, diversa temperie, etc., accidentales in sua organica constitutione subire possunt modificationes, quamvis specifice immutati remaneant.

Angulus demum facialis in quibusdam hominibus est septuaginta graduum, in aliis vero octoginta quinque. Sed hæc differentia accidentalis est, et provenit ex diversa capitis et frontis conformatione, quæ quidem ex diversitate externarum circumstantiarum et mediorum, ut dictum est de statura, repetitur.

IX. — **De unitate originis hominum.** Quæstio est utrum homines non solum sint unius speciei, sed etiam eamdem ab uno conjugio originem trahant. Negarunt imprimis Præadamitæ, (duce La Peyrere, qui postea errorem retractavit) docentes ante Adamum extitisse homines ; negant Goadamitæ, qui dicunt ab uno homine ante Adamum descendere Gentiles, ab Adamo vero descendere Hebræos.

Scriptura Sacra porro et Traditio clare testantur omnes homines ab uno conjugio, Adami et Evae, ortos esse. Quid autem ratio et scientia hoc in puncto præstare valeant? Evincunt rem esse possibilem et probabilem. Cum enim omnes homines sint ejusdem speciei, nihil obstat omnes ab uno conjugio derivari.

Constat ex dictis hominem in prima origine esse immediate a Deo productum quoad corpus et quoad animam. Porro nulla erat ratio ut Deus, qui nihil facit frustra, plures homines simul vel successive conderet, cum per unum conjugium potuerit genus humanum sufficienter propagari. Spatium annorum qui ab Adamo effluxerunt sufficiens prorsus est ut species humana fuerit in varietates et stirpes diversificata ; aliunde non deerant media ut familiæ humanæ per varias orbis partes disseminarentur.

Probabilitas augetur ex consideratione linguarum. Diversæ linguæ ad tres classes seu familias revocantur : linguas nempe semíticas, aryanas, et touranianas. Ostendit autem philologia affinitates non paucas vigere inter semíticas et aryanas linguas ; radices sat multæ sunt utrique familiæ communes. Toiiranianæ linguæ alienæ profecto videbantur; hodie tamen comparatio quædam reputatur possibilis, licet non certa.

Tabulæ enim cuneiformes Ninive repertæ duabus nonnunquam sunt linguis conscriptæ, assyriaca nempe et sumeriana, seu accadiana lingua. Porro accadiana lingua ad touranianam familiam refertur, et communes tamen radices habet cum lingua *sanscrit,* quæ est aryana. Sic *mori* dicitur *bai* in accadiana lingua, *badh* in sanscrit. Probabilis igitur reputatur origo communis linguarum, quæ probabilem innuit unitatem originis hominum. Inficiandum tamen non est rationis argumentis necessitatem et evidentiam nullatenus pari.

Quæ hic de polygenismo et monogenismo traduntur insufficientia quidem essent ad quæstionem plene solvendam, sed nostrum non est rem illam versare. Ad propositum nostrum sufficiebat philosophica principia breviter recolere; quoad caetera vero consulantur philologi et scientifici (1).

(1) H. Deschamps, *Etudes des races humaines;* De Quatrefages, *L'espèce humaine, Histoire générale des races humaines ;* Vigouroux, *Les livres saints et la critique rationaliste,* t. III ; De Kirwan, *L'homme et l'animal,* ap. *Congrès scientifique international.* 1894, sect. Anthropologie* p. 31 et seqq.

QUÆSTIO TERTIA

De unitate animæ (1).

Tria hic solvenda occurrunt : An multiplicentur animæ secundum multiplicationem corporum ; an in uno homine sint plures animæ ; an in uno homine sint plures formæ substantiales.

ARTICULUS PRIMUS

AN MULTIPLICENTUR ANIMÆ SECUNDUM MULTIPLICATIONEM CORPORUM.

I. — Panthcismus psychologicus. Duplicem habet formam : *Aoerroisticam* et *idealisticam.* Averroes docuit unum esse intellectum pro cunctis hominibus, separatum secundum esse a corporibus hominum, quod tamen nobis conjungeretur per imaginationis phantasmata, et, quia diversa sunt in nobis phantasmata, hinc sunt diversae in diversis hominibus intellectiones. Pantheistæ vero idealistici, Fichte, Schelling, Hegel, unicam adstruunt animam, ponendo *τό Ego* purum, *τό* Absolutum, ac identitatem inter subjectum cogitans et objectum cogitatum.

(1) Cf. S. Thomas, I. P. q. 76, II *Contra Gentiles,* cc. 58, 62 ; Farges, *La oie et révolution,* HI, IV; De Labouillerie, *L'homme·,* Mercier *Psychol.,* nis 234 et seqq. ; Albert, *La Psychologie thomiste et les théories modernes,* Psychol. ration, ch. II ; et auctores jam citati pro quæst. IL

Huic errori ansam præbent qui admittunt *rationem impersonale™, (ï).*

Error Averroisticus, hodie obsoletus, adeo late serpebat tempore Leonis X, ut Concilium Lateranense V necessarium judicaverit definire quod anima « immortalis et pro corporum quibus infunditur multitudine singulariter multiplicabilis, et multiplicata, et multiplicanda sit (2). »

— Contra utrumque pantheismum sit

II. — **Conclusio : Intrinsece implicat unam esse animam pro cunctis hominibus.**

Arg. Ium. Cum unum et ens convertantur, ab eodem aliquid habet esse et unitatem. Sed unumquodque habet esse per suam formam. Ergo habet unitatem per suam formam. Ergo quot sunt individua tot sunt formæ. Impossibile est igitur diversorum hominum esse unicam formam, sed ut multiplicentur individua, debent multiplicari formæ individuales. Atqui forma hominis est anima intellectiva. Ergo impossibile est diversorum hominum esse unicam animam.

Arg. IIunx. Impossibile est unius virtutis simul et semel esse plures actiones respectu ejusdem objecti.

Atqui constat esse plures intellectiones respectu ejusdem, nam contingit plures homines simul et semel unum et idem intelligibile intelligere. Ergo impossibile est esse unam animam intellectivam, sed, si singuli homines intelligunt per unum intellectum, una et eadem numero erit intellectio, sicut si duo homines viderent uno oculo, oadem esset visio utriusque.

Nec responderi potest : Intellectionem specificari per phantasmata : nam phantasma non est objectum, sed materia unde eruitur objectum intellectus; ideoque est aliquid intellectuali operationi extrinsecum. Sed quod est alicui extrinsecum non potest illud specificare.

Ergo diversitas phantasmatum non potest intellectionem diversificare.

Evertit ergo hic error spiritualitatem et immortalitatem am-

(1) Cf. Cousin, *Du Vrai, du Beau et du Bien,* lec. 5 ; F. Bouillieji, *Théorie de la raison impersonnelle.*

(2) Cf. Denzingeb, *Enchiridion,* n. 73S.

mæ ac personalitatem humanam, cum nihil sit permanens nisi intellectus ille communis.

Tandem, omnia argumenta quibus monismum et pantheismum profligavimus contra praesentem errorem militant (1).

III. — Multiplicatio animarum est secundum, multiplicationem corporum. Multiplicato individuationis principio multiplicatur forma. Sed principium individuationis animæ est corpus, seu ordo transcendentalis ad corpus. Ergo multiplicatis corporibus multiplicantur animæ. Recolatur tamen animæ esse et individuationem a corpore pendere solum occasionaliter (2). Cessante autem occasione non ideo desinit effectus. Destructo itaque corpore remanet anima intellectualis in suo esse ; et eadem ratione multitudo animarum est secundum multitudinem corporum ; et tamen destructis corporibus remanent animæ in suo esse multiplicatæ (3), quia non sunt a corpore efficienter. Hinc confutatur sententia Rosminii, qui putat animarum multiplicationem ex divisione materiæ generantis provenire. Supponit animam esse prius sensitivam ac deinde intellectivam evadere per apparitionem entis idealis. Insuperbì anima multiplicatur ad divisionem materiæ sicut forma ligni ad ligni partitionem, jam animæ adseribitur divisibilités, et ab ipsa removetur spiritualitas. Quapropter damnata fuithæc propositio: *«Non repugnat ut anima humana generatione multiplicetur,* ita ut concipiatur eam ab imperfecto, nempe a gradu sensitivo, ad perfectum, nempe ad gradum intellectivum, procedere (4). »

IV.— Solvitur difficultas-Si animæ multiplicantur ad multiplicationem corporum, intellectus erit singularis. Atqui singularitas impedit cognitionem universalium. Ergo impossibile erit universalia cognoscere.

Resp. Dist. : mi j. : Intellectus erit singularis singularitate spirituali, concedo ; singularitate materiæ, nego. — Contra-

fi) I. P. *Phil. Nal.* Tract. I, q. I, vol. II, pp. 8, 26seqq.

(2) Ibid. Tract. Il, q. IV, a. II, vol. II., p. 248-249.

(3) I. P. q. 76, a. 2, ad. 2. Gf etiam Q. disp. *De Anima,* a. 3, II *Coni. Gent.* c. 62, opuse. *De unilate intellectus.*

(4) Denzieger, ɳ. 1910.

dist. min.: Singularitas materiæ impedit cognitionem, concedo; singularitas spiritualis, nego et nego conseq.

Id quod cognitioni universali officit est matérialités cognoscentis et speciei per quam fit cognitio : « Si ergo forma per quam fit cognitio sit materialis, non abstracta a conditionibus materiæ, erit similitudo naturæ speciei aut generis secundum quod est distincta et multiplicata per principia individuantia ; et ita non poterit cognosci natura rei in siia communitate. Si vero species sit abstracta a conditionibus materiæ individualis, erit similitudo naturæ absque iis quæ ipsam distinguunt et multiplicant : et ita cognoscetur universale (1). r

V. — **De metempsychosi** (2). Doctrina catholicae de multiplicatione animarum ad multiplicationem corporum opponitur error Pythagoricorum, quem renovant moderni Spiritista, scilicet metempsychosis,seu transmigratio animarum de uno corpore in aliud, sive humanum sive belluinum. Vix refutatione indiget tanta insania. Si anima de uno corpore humano in aliud humanum transmigraret, oblivisceretur omnia, nullo excepto, ut profitentur hujus sententia fautores. Atqui oblivisci omnia totaliter, nullo excepto, est fieri quasi fatuum. Ergo quasi consopita et fatua fieret anima, quod absonum est. Nec dicatur animam hæc omnia in poenam vitæ præteritæ pati, nam inconvenienter quis punitur pro peccatis quorum nullam conscientiam habet. Porro anima nullam conscientiam retinet culparum in alia vita admissarum.

Insuper, sicut materia signata est capax hujus quantitatis ut non sit capax illius,-sic anima individuata ita huic corpori aptatur ut non sit capax alterius : per individuationem quippe intrinsece suo corpori proportionatur et commensuratur (3). Ergo impossibile est animam unius hominis in alterius corpus transmigrare, sicut impossibile est mensuram unius rei esse mensuram alterius. — Igitur repugnat metempsychosis etiam intra eamdem naturæ humanæ speciem.

i) I. P. q. 76, a. 2, ad 3.

(2) Gf. S. Augustinus, lib. VII. *De Genesi ad litteram, c. X ; 9.* Thomas, II *Contra Gent. c.* 73.

(3) Gf. vol. II, pp. 243, 248, 249.

A fortiori implicat transmigratio animarum intellectivarum in corpora belluina. Forma unius speciei non potest actuare materiam alterius speciei: id importat propria ratio formæ.

Ergo forma humanae speciei,seu anima, non potest actua:e corpora belluina, quæ sunt alterius speciei. Insuper, cum unio sit propter bonum ipsius formæ, oportet ut corpus sit instrumentum congruum operationum animæ intellectivae. Corpus autem equinum vel caninum minime possunt operationibus humanis et intellectivis inservire.

Dices : Anima humana potest uniri saltem accidentaliter alteri corpori ut motor mobili. Ergo post mortem potest assumere aliud corpus.

Resp. : Si anima separata posset movere aliquod corpus, id certe præstaret respectu proprii corporis cui commensuratur. Constat vero animam post mortem non posse proprium corpus movere ; a fortiori nec cætera (1); saltem non valet illa informare.

VI.— Hatlo cur anima intellectiva nonnisi tali corpori uniatur quale est corpus humanum.

Anima nostra unitur corpori ratione gradus quem tenet in intellectualitate, nempe ut acquirat cognitionem intellectualem ex sensibilibus. « Unde oportuit quod anima intellectiva non solum haberet virtutem intelligendi, sed etiam virtutem sentiendi. Actio autem sensus non fit sine corporeo instrumento. Oportuit igitur animam intellectivam corpori uniri quod possit esse conveniens organum sensus. Omnes autem alii sensus fundantur supra tactum. Ad organum autem tactus requiritur quod sit medium inter contraria, quæ sunt calidum et frigidum, humidum et siccum, et similia, quorum est tactus apprehensivus. Sic enim est in potentia ad contraria, et potest ea sentire. Unde quanto organum tactus fuerit magis reductum ad æqualitatem complexionis, tanto perceptibilior erit tactus. Anima autem intellectiva habet completissime virtutem sensitivam ; quia quod est inferioris præexistit perfectius in superiori, ut dicit Dionysius,*De div.* no/n.Unde oportuit corpus cui unitur anima intellectiva esse corpus mixtum, et inter omnia alia magis reductum ad æqualitatem complexionis. Et

(1) Cf. S. Thom., I. P, q. 117, a. 4.

propter hoc homo inter omnia animalia melioris est tactus ; et inter ipsos homines, qui sunt melioris tactus sunt melioris intellectus ; cujus signum est quod molles carne bene aptos mente videmus, ut dicitur in II de Anima (1). » Igitur impossibile est animam intellectivam corpori minerali, vel plantæ, vel bruti, substantialiter uniri.

(1)1. P. q. 76, a. 5.

ARTICULUS SECUNDUS.

VTRUM IN HOMINE SINT ALIÆ ANIMÆ PRÆTER ANIMAM INTELLECTIVAM.

I. — Opiniones. Ratio dubitandi in promptu est : Anima dicitur principium operationis vitalis ; sed in homine est triplex genus operationum vitalium ; videntur ergo tres esse in homine animæ, seu tria vitæ principia. Doctrina porro quæ plures in homine reponit animas dicitur *vitalismos.*

Plato posuit diversas animas esseinuno corpore etiam secundum organa distinctas, dicens vim nutritivam esse in hepate, concupiscibilem in corde, cognoscitivam in cerebro. Opinantur tamen quidam recentiores tria illa principia ex mente Platonis non esse tres animas secundum essentiam distinctas, sed tria munia seu tres· facultates ejusdem animæ.

Manichæi inhomine animas duas,bonam scilicet abono principio, malam autem a malo principio, adstruebant. Clemens Alexandrinus videtur duas homini concedere animas : unam carnalem et sensibilem, alteram rationalem et dirigentem, quæ non est cum corpore creata (1). Celeberrimus etiam est error Apollinaris docentis hominem tribus constare, *corpore, anima,* et *ratione.* Stoici octo ponebant animas; Bernardin de St-Pierre, quinque. Communiter tamen opiniones omnes reducuntur ad *trichotomiam,* seu tridynamismum et *dichotomiam,* seu duodynamismum.Trichotomia est opinio historica, quæ fere nullos hodie retinet patronos ; vitalismus autem, seu duodynamismus, non paucos nactus est defensores.

Okam, post Guillelmum Lamarrensem, affirmavit, præter animam intellectivam, esse in corpore animam sensitivam et animalem.

(1) Cf, Clem. Alexandb., *Stromal.,* VI, 6,16, G, P. IX, 273, 360.

Montispessulani schola, duce Barthez, sensationem et intellectionem ab anima intellectiva repetit, operationes vero vegetativas ab anima quadam inferiori realiter a principio intellectivo distincta, quam principium *psycho-electricum* vel vim nerveam vocant materialistæ.

Vitalismo adhaerent Buffon, qui duplicem in unoquoque individuo humano agnoscit hominem, Maine de Biran, Jouffroy, qui dicit : « *Nous sommes donc deux dans l'homme :* moi et ce principe inconnu, associés, dépendants peut-être, mais différents». Gunther vero finxit hominem esse synthesim cujusdam antithesis, compositum nempe ex spiritu et *physi,* id est, corpore organico, vita sensitiva prædito, independenter ab anima intellectiva (1). — Baltzer negat vitam, saltem sensitivam, ab anima intellectiva procedere.

Doctrina vero *animismi* est sententia certa et catholica, cui communior philosophorum pars consentit ; quam defendendam aggredimur. Unde sit

II. — **Conclusio: In homine non est nisi unica anima, intellectiva scilicet, quæ omnia vitæ munia præstat.**

Arg. Ium. Quidquid alicui advenit post esse completum advenit ei accidcntaliter, quia supponit in illo esse primum et substantiale. Sed quælibet forma substantialis facit esse completum, hæc est enim ratio propria formæ substantialis.

Ergo quod advenit post ipsam tribuit osse accidentale. Atqui, si anima vegetativa, vel anima sensitiva est distincta ab intellectiva, erit forma substantialis ante adventum animæ rationalis. Ergo anima intellectiva accidcntaliter unietur et hinc homo desinet esse unus simpliciter.

Arg. IIum. Si essent in homine plures animæ distinctæ, operationes ipsarum independentes forent, utpote procedentes a diversa essentia. Atqui hujusmodi est, e contra, operationum vitalium ab invicem dependentia, ut, cum operatio unius fuerit intensa, impediat aliam, vel saltem minuat. Sic operatio vitæ vegetativœ vel sensitivæ intensa minuit vel impedit ope-

(1) De theoria Gunthebi cf. Gonzalez, *Histoire de la Philosophie* t. IV, pp. 358,359.

rationem vitæ intellectivæ, et vice versa (1). Ergo non sunt plures animæ essentialiter distinctæ.

Arg. Ex modo prædicationis. Animal prædicatur de homine non per accidens, vel secundario, sed in primo modo praedicandi per se. Atqui, si anima a qua homo dicitur animal essentialiter differt ab ea aqua dicitur homo, animal prædicabitur de homine vel per accidens, vel in secundo modo prædicandi per se. Ergo eadem est anima qua homo constituitur animal et qua dicitur homo. Ergo non sunt plures animæ in homine.

Explicatur major. Aliquid prædicatur per accidens, cum non convenit necessario subjecto ; prædicatur vero per se in primo modo, cum prædicatum est de definitione subjecti, vel tanquam tota definitio, vel tanquam essentialis pars definitionis ; est autem in secundo modo prædicandi per se, cum subjectum ponitur in definitione prædicati, et ipsum prædicatum non est de essentia subjecti, sed tantum ejus proprietas. Jam vero animal non prædicatur de homine per accidens, cum illi necessario conveniat ; nec in secundo modo, quia subjectum *homo* non ponitur in definitione prædicati *animalis,* sed e converso *animal* ponitur in definitione hominis. Ergo animal prædicatur de homine per se in primo modo.

Probatur minor. Si anima qua homo dicitur animal et anima qua dicitur homo sunt essentialiter distinctæ, vel nullatenus ordinem habent ad invicem, vel ita subordinantur ut una sit præambula ad alteram. At, si nullum ordinem retinent ad invicem, erit tantum praedicatio per accidens ; si vero una sit præambula ad alteram, sicut superficies est præambula ad colorem, erit praedicatio in secundo modo per se. Ergo, si præfatæ animæ sunt essentialiter distinctæ, hæc prædicatio : *homo est animal, veì* est per accidens, vel solum in secundo modo per se, sicut hæc prædicatio : *Corpus superficiatum est coloratum,* est in secundo modo per se (2).

Arg. IVum. In rebus subordinatis superius continet info-

fl) « Le travail intellectuel accélère le cœur, augmente la pression sanguine dans les artères périphériques.... Tous ces phénomènes sont d'autant plus marqués que le travail est plus intense. » Gley, *Etudes de Psychol, physiol, et pathol.* p. 94.

(2) I. P. q. 76, a. 3.

rius, sicut hexagonum continet tetragonum et numerus senarius binarium. Ergo anima superior, intellectiva scilicet, continet inferiores, sensitivam nempe et vegetativam. Sicut ergo superficies quæ habet figuram pentagonam non per aliam figuram est tetragona et per aliam pentagona (quia superflueret figura tetragona, ex quo in pentagona continetur) ; ita nec per aliam animam Socrates est homo, per aliam animal,sed per unam et eamdem (1).

III. — Confirmatio ex doctrina Ecclesiae.

Concilium VIII œcumenicum canonem hunc habet : « In tantum impietatis quidam, malorum inventionibus dantes operam, devenerunt ut duas hominem habere animas impudenter dogmatizare et quibusdam irrationalibus conatibus per sapientiam, quæ stulta facta est, propriam hæresim confirmare pertentent. Itaque sancta hæc et universalis Synodus... talis impietatis inventores et patratores et his similia sentientes magna voce anathematizat (2). »

Igitur de fide est saltem non esse in homine duas animas rationales. Estne vero de fide non esse plures animas, unam rationalem, alias vero ordinis sensitivi vel vegetativi? non omnino liquet. Eruitur quidem ex mente Concilii, non videtur tamen formaliter definitum. Tridynamismus tamen et duodynamismus, si non sunt doctrinæ hæreticæ, ad minus sunt errores in fide. Et hæc est interpretatio Pii IX, ad Episcopum Wratislaviensem, 1860, contra Baltzer : « Considerantes hanc sententiam, quæ unum in homine ponit vitæ principium, animam scilicet rationalem, a quo corpus quoque et motum et vitam omnem et sensum accipiat, in Dei Ecclesia esse communissimam, atque Doctoribus plerisque et probatissimis quidem maxime, *cum Ecclesiæ dogmate ita videri conjunctam ui hujus sit legitima solaque vera interpretatio, nec proinde sine errore in Fide possit negari.* »

IV. —An saltem admitti possint duo principia vitalia : unum pro actionibus inconsciis et involuntariis, alterum pro consciis et voluntariis.— Hæc est nova forma vitalis-

ti) Ibid.

(2) Cf. Denzingeb, *Enchiridion,* n. 338.

mum proponendi, quæ tamen ex prioribus argumentis confutata remanet. Si duo illa principia sunt essentialiter distincta, actum est de unitate substantiali humanæ naturae. — Insuper, advertatur actiones quæ prius erant inconsciæ fieri posse conscias et vice versa. Ergo modo erunt unius animæ, modo alterius, quod asserere insulsum est. Pariter, actiones nonnullae ratione habitus, ætatis, temperamenti, possunt fieri vicissim voluntariæ et involuntariae. Sic respiratio potest per actum voluntatis accelerari vel retardari, motus ipse cordis plus minusve potest ex vehementi voluntate retardari. E converso, quidam membrorum motus qui in principio voluntarii prorsus erant paulatim, generato habitu, inconscii et involuntarii evadunt. Ergo concludere fas erit praefatas actiones modo unius modo alterius esse animæ, quod nonnisi irrationabiliter concedi potest. Ergo non sunt duo principia, alterum pro consciis, alterum vero pro inconsciis actionibus.

V. — De opinione Stahl. Igitur anima rationalis unica existons omnia vitæ munia praestat.

Cavendum est aliunde ab errore Stahl, qui existimat animam nostram quatenus rationalem esse principium vitale cui adscribuntur phaenomena vitæ etiam nutritivas. Quæ theoria hodie obsoleta est. Si actiones illae ab anima quatenus rationali procederent, jam forent intellectivae, voluntariæ, humanæ, atque ideo nobis imputarentur.

Tenendum est ergo illas esse ah anima quatenus est virtualiter vegetativa. Cf. art. III, n° III.

VI. — Solvuntur difficultates.

I0 Physiologia ostendit vitam et intelligentiam a diverso principio esse. Etenim, ablatis hemisphæris cerebri, amittuntur conscientia et usus facultatum superiorum, et tamen re manet vita. Ergo vita et facultates inferiores sunt a diverso principio.

Resp. : Admitto facta physiologica, et nego consequentiam quam inferunt adversarii. Prædicta phaenomena quæ in animalibus experti sunt physiologi, ostendunt *distinctionem organorum,* et *etiam facultatum,*^ nullatenus evincunt diver-, sas facultates ab una et eadem essentia non procedere.

2° Homo est essentialiter animal.Atqui forma animalis est essentialiter irrationalis. Ergo homo præter animam intellectivam, habeat oportet aliam animam quæ sit essentialiter irrationalis.

Resp. : Nego minorem. Sicut animai, in quantum animal, neque est rationale neque irrationale, ita anima sensitiva in quantum hujusmodi neque rationalis est neque irrationalis, sed ipsa anima sensibilis in homine est rationalis, in brutis vero irrationalis.

3° Si tres animæ essent eadem, ubicumque est una, forent aliae. Atqui id patet esse falsum, nam in ossibus est vegetativa, non sensitiva, in oculo est sensitiva, non intellectiva. Ergo sunt tres distinctae animæ.

Resp.: Dist. maj.: Ubi una est forent aliæ, secundum essentiam, concedo, secundum operationem, nego. Contradist. min. et nego conseq.

Cum tres animæ eamdem habeant essentiam, sunt in toto corpore et qualibet corporis parte per essentiam ; cum vero importent facultates et operationes diversas, non sunt omnes simul in eadem parte secundum operationem. Cæterum, si valeret objectio tot essent animæ sensitivae, quot fiunt sensationes diversae : sic esset una anima sensitiva in oculo, alia in aure, etc.

4° Idem non potest pugnare contra idem. Atqui animæ inferiores pugnant contra intellectivam. Ergo non sunt idem cum ipsa.

Resp.: Dist. maj.: Idem non pugnat contra idem secundum idem, concedo ; secundum diversas potentias, nego. — Contradist. min. : Animæ inferiores pugnant contra superiorem, ratione subjecti radicalis, nego ; ratione operationum, concedo. Ergo non sunt idem secundum operationes, concedo ; secundum essentiam, nego.

Notandum est insuper hanc pugnam non esse physicam, sed potius moralem,ratione objecti,quatenus sensitiva anima appetit bonum sensibile quod bono spirituali rationis contrariâtur (1).

(1) Cf. Frédavlt, *Traité d'anthropologie,* lib. II; Coconnier et Faroes, opp C't.

ARTICULUS TERTIUS.

UTRUM SIT IN HOMINE ALIA FORMA SUBSTANTIALIS PRAETER ANIMAM INTELLECTIVAM.

I. — Sententiae. Ut breviter indicavimus in Cosmologia (1), triplex hac de re traditur sententia. Prima tenet dari plures formas substantiales in eodem corpore, essentialiter tamen subordinatas per modum inferioris et superioris ; secunda vult esse plures formas accidentaliter subordinatas, per modum dispositionis ad formam principalem. Tertia sententia, D. Thomæ et multorum Scholasticorum tum ex veteribus tum ex recentioribus, negat posse in eodem subjecto suscipi plures formas substantiales (2).

Quaestio hæc, quam in Cosmologia tetigimus, uberius nunc, propter ejus momentum ac celebritatem, est expendenda.

Henricus Gandavensis admittebat, non quidem in mineralibus, sed in viventibus, duplicem formam : priorem qua corpus constituitur in esse corporis, alteram vero qua corpus reponitur in esse viventis. Quam sententiam fecit suam Scotus. Posuit enim in corpore formam corporcitatis, quæ corpus constituit in esse corporis, quæ tamen imperfecta est, et corpori confert tantum esse genericum quod ad animam tamquam ad ultimam perfectionem ordinatur. Juxta ipsum, anima humana non recipitur immediate in materia prima, sed in corpore organizato per formam corporeitatis, et corpori largitur esse vivens, esse humanum, non vero esse corporeum. Cum ergo anima, per mortem, e corpore recedit, perdurat prior forma qua res corpus est. — Plures moderni statuunt animam esse

(1) I. P. *Phil. Nat.* Tract. II, q. II, a. II, η» VIII, vol. II, pp. 141-142.

(2) Cf. P. Coconnier, qui quaïstionem istam egregie versavit, *Arne humaine,* c. V,

quidem formam hominis primariam et principalem, at praeter ipsam dari etiam formas substantiales elementorum chimicorum. Pluralitatem illam formarum tuentur Tongiorgi, Palmiei i, Ramière, Bottalla, Frédault (1).

II. — Conclusio : In homine non est alia forma substantialis quam anima intellectiva, et per eam homo non scium est homo, sed et animal, et vivum et corpus, et substantia et ens (2).

Arg Ium. — Ex pluribus entibus actu non potest fieri unum simpliciter. Atqui, si præter animam intellectivam esset in homine alia forma substantialis, plura essent in homine entia actu. Ergo homo non esset unum simpliciter.

Major est quasi axioma. Duo quippe entia actu habent esse seorsum ; uniri quidem possunt ad efformandam unitatem aggregationis vel ordinis; sed ut constituant unum simpliciter, debent se habere ad invicem per modum potenti® et actus, non autem per modum actus et actus. Igitur repugnat actui accidero actum.

Prob. minor.— Quælibet forma substantialis, cum sit a^tus primus, facit rem esse actu. Ergo, si corpus jam suscipit aliam formam substantialem anima priorem, erit ens actu ante animæ adventum. Ergo corpus et anima erunt duo entia actu.

Nec responderi potest hominem fieri unum eo quod istæ formæ sint subordinatæ, nam unitas ordinis est accidentalis tantum.

Arg. IIum.— Hæc est differentia inter formam substantialem et formam accidentalem, quod prima tribuat esse simpliciter, altera vero esse tale. Ergo, si præter animam intellectivam est alia forma, hæc largietur corpori esse simpliciter. Sed quidquid advenit post esse simpliciter, accidentaÚter advenit, ut sæpe dictum est. Ergo anima quæ adveniet priori formæ substantiali, accidcntaliter conjungetur, et ita erit accidentalis forma corporis.

(1) Gf. Frédault, *Traité d'Anthropologie,* liv. II, c. I.

(2) S. Thomas, QQ. *Dispp. De Spiritual, creat,* a. 3 — Gf. etiam *q.De Anima,* a. 9; q. 8 *De Potent,* a. 4, ad. 2; *De Veritate,* q. 10, a. 1, ad. 2 ; I. P. q. 76, a. 4, II. *Cont. Gent, c.* 58, et IV. *Coni. Gent.* 2. 80 ; *Quodlib.* 1, a. 4, et *Quodlib.* 3, a. 5. — B. Albertus Magnus eamdem tenet sententiam et ex eo probat « *quia aliter horno.... esset unum et multa, » De natura et origine animee,* Tract. I, C. IV.

Arg. IIIum. — Juxta omnes, anima confert corpori esse viventis. Atqui in viventibus vivere est esse. Ergo anima largitur corpori non solum vitam, sed ipsum esse corporeum, ideoque superfluit forma corporeitatis.— Vivens enim non habet duas essentias, sed per eamdem essentiam est corpus et vivens,secus vivens corporeum non esset per se unum. Atqui essentia per formam constituitur. Ergo per eamdem formam est corpus et vivens.

Arg. IVum. — Si vera est sententia adversariorum, in infusione animae non erit generatio simpliciter, cum tamen ipsi profiteantur fieri generationem substantialem.

Etenim generatio substantialis est transitus de non ente substantiali ad esse substantiale. Atqui, si corpus habet jam esse substantiale per formam corporeitatis,in infusione animæ non erit transitus de non esse substantiali ad esse substantiale, sed transitus de esse substantiali ad esse secundum quid.

Quod reponit Scotus, corpus per formam corporeitatis •constitui in esse generico tantum, absonum est ; quidquid enim existit est in specie determinatum.

III.— Quomodo omnes gradus possint in una forma contineri· Ut anima intellectiva sit sola anima solaque fqrma hominis, debet gradum formæ corporeæ, vegetativæ et sensitivæ in se continere. Qua ratione id efficiat ? Sciendum est unum in alio contineri quadruplici ratione : formaliter tantum, virtualiter tantum, formaliter-eminenter ac virtualitcr-eminenter. *Formdlìter* tantum, cum res contenta est in continente secundum propriam rationem qua est in seipsa, sive quoad perfectionem, sive quoad imperfectionem. Calidum continet formaliter calorem, et album albedinem. *Virtualiter* tantum quando in se præstat solum virtutem a qua procedere potest illa forma, seu ille effectus, non autem illam formam vel illum effectum habet secundum propriam rationem : hoc modo vinum continet calorem et semen fructum.

Formaliter-eminenter, cum gerit 'illam perfectionem secundum rationem propriam et formalem, sine tamen illius restrictione et imperfectione, sed altiori modo. Id contingit quando perfectio, licet restricta in quibusdam subjectis, nullam tamen in suo conceptu involvit imperfectionem. Sic vita,

intelligentia, sunt quidem rcstrictœ in creaturis, sed nullam in suo conceptu imperfectionem includunt, ufide adscribuntuv Deo formaliter, seu secundum suam rationem formalem, ct eminenter, id est altiori modo quam sunt in creaturis. *Virtualiter—eminenter,* cum habetur illa perfectio, non secundum propriam et formalem rationem, quæ imperfectionem et limitationem importat, sed superiori modo.Sic ratio invenitur inDeo, non formaliter, sed virtualiter-eminenter. — Anima porro intellectiva præstat gradus inferiores formaliter-eminentcr, sicut figura perfectior imperfectiorem ; sic figura hexagoni continet formaliter-eminenter tetragonum, et numerus major minorem, V. g., senarius binarium. Anima quippe intellectiva est principium constitutivum et formale totius compositi humani et omnium quæ in illo sunt. Atqui principium constitutivum et formale imbibit in se formaliter ea omnia quorum est principium formale. Ergo anima intellectiva debet continere formaliter omnes gradus qui in composito humano vigent. Non vero formaliter tantum, quia non habet restrictiones et imperfectiones quæ sunt in gradibus inferioribus, sicut numerus senarius non suscipit restrictiones binarii. Ergo illos continet formaliter-eminenter.

IV.—An vegetativum et sensitivum in homine specie differant a vegetativo plantee et sensitivo bruti.

Gradus vegetativus et sensitivus ex sua conjunctione ad animam intellectivam intrinsece in sua propria ratione perficiuntur, quia per formam superiorem contrahuntur, actuantur et elevantur ad aliquid altius ; sic vegetativum ex conjunctione ad animam intellectivam producit aliquid nobilius quam in plantis, v. g. sanguinem, carnem, ossa ; et sensitivum aliquid altius quam in bruto. Atqui diversus modus contrahendi, actuandi,elevandi diversam inducit speciem. Ergo vegetativum et sensitivum hominis specie differunt a vegetativo plantas et sensitivo bruti. Quocirca anima rationalis, quæ continet formaliter-eminenter vegetativum et sensitivum, secundum quod sunt gradus in communi, non continet formaliter-eminenter, sed solum virtualiter, vegetativum specificum quod est in planta, et sensitivum specificum quod est in bruto. Una enim species, propter suam limitationem et op-

positionem quam habet respectu alterius speciei, non potest alias continere formaliter-eminenter, sed solum virtualiter. Ergo vegetativum et sensitivum considerata præcise ut species non continentur in anima intellectiva formaliter-eminenter, sed virtualiter-eminenter quatenus anima intellectiva exercet nobiliori modo quidquid praestant anima vegetativa plantæ et sensitiva bruti. Ita ex Bannez, Joanne a S.Thoma et aliis Thomistis (1).

V. — Qua ratione concedi possit animam intellectivam esse coloream. Anima intellectiva dici potest corporea *ut quo,* licet entitative et *ut quod* neque corporea, neque vegetativa, sed spiritualis sit. Quod enim rem corpoream constituit est corporeum ui *quo,* seu est principium formale quo res constituitur in esse corporeo. Atqui anima intellectiva constituit rem corpoream et largitur esse corporeum. Ergo est corporea *ut quo.* — Confirmatur : Principium formale compositi habet *ut quo* id quod ipsum compositum habet *ut quod.* Ergo anima intellectiva, principium formale hominis, habet *ut quo* id quod compositum habet *ut quod.* Sed compositum est corporeum *ut quod.* Ergo anima est corporea *ut quo,* non quidem formaliter, sed eminenter.

VI. —Non dantur formæ substantiales partiales, sed omnes partes intégrales unica forma totius Informantur.

Si partes integrales proprias susciperent formas, anima rationalis adveniret entibus jam actu constitutis. Sed ex pluribus entibus actu non fit unum per se. Ergo compositum humanum non esset per se unum, sed aggregatum quoddam ex pluribus entibus actu specieque distinctis. Res iterum probabitur infra, ubi ostendemus animam esse in toto corpore et in qualibet corporis parte.

VII. — Quomodo anima tribuat diversos gradus singulis partibus. Quia omnes illi gradus realiter identificantur, cum sint una et eadem anima ut communicata, ubi

(1) Cf. Bannez, *Comm.* in I. P. q. 76, Joannes a S. Thoma, III P. *Phil. Nat.* q. I, a. V.

reperitur unus, reperiuntur omnes quoad substantiam, licet non quoad facultates omnes aut operationes, quæ non habent in singulis partibus organa et dispositiones requisitas. Unde anima non sentit vel intelligit in toto corpore, quia vel non sunt organa et potentiae elicitivæ harum operationum, vel non concurrunt omnia ad operationem requisita.

Unaquaeque autem pars debet esse certae et determinatae speciei. Ergo debet participare formam, non solum secundum aliquem gradum superiorem, sed etiam atomum. Undo omnes partes hominis sunt ejusdem speciei rationalis substantialiter ; et differunt tantum specie accidentali ob diversas dispositiones et accidentia aut proprietates (1).

VIII.— Utrum partes liquidae corporis informentur anima totius. Sunt multa fluida quæ per corpus transeunt, sive ad corpus alendum, sive ad organismum depurandum ; illis quidem anima utitur ut instrumentis iliaque regit, sed illa non informat ; sunt quidem in vivente, sed non sunt partes viventes nec partes viventis.

Si qua vero sunt liquida quæ ad integritatem naturæ humanae pertineant, informari debent forma totius.

Difficultas praecipue circa sanguinem versatur inter Scholasticos, in ordine praesertim ad Theologiam, nam constat sanguinem hypostatice unitum fuisse Verbo divino, et in Eucharistia vi verborum poni sanguinem Christi. Conimbricenses, Sylvester Maurus, et alii negant sanguinem anima totius informari, eo quod sanguis non sit continuatus cæteris partibus. Cajetanus vero et multi Thomistæ autumant sanguinem esse forma totius informatum, cum sit pars integralis humanae naturæ. Res obscuritate non caret, facta tamen physiologica evincere videntur sanguinem anima totius esse informatum. Etenim omnis substantia organizata procedit a principio vitæ, cum proprium vitæ sit facere organizationem. Atqui sanguis est substantia organizata. Ergo sanguis procedit a principio vitæ. Sed in homine unicum vitæ principium est anima totius. Ergo sanguis procedit ab anima totius eaque informatur.

(1) P. Mailhat, O. P. *Phys.* P. IV, disp. II, sect. I.

Sanguinem porro esse substantiam organizatam nemo hodie in dubium vertit. Sanguis enim definitur ab histologie : *Textura constans cellulis quæ habent substantiam intercellularem liquidam, — un tissu formé de cellules avec substance intercellulaire liquide.* Globuli sanguinis sunt organizati, quippe qui sunt parvulæ massæ protoplasmatis. Insuper, globuli ordinantur ad bonum totius organismi,nam *leucocyti,* seu globuli albi, organismum defendunt contra microbiorum insultus. Hæc porro tendentia ad finem et bonum totius innuit sanguinem forma totius informari. Negari autem potest adversariorum assertum, sanguinem scilicet cæteris partibus non continuari, nam cellulas et fibras habet quibus mediantibus toto organismo connecti tùr.

Sententia Thomistarum est etiam theologice verior. Nam sanguis fuit Verbo hypostatice unitus : « *Dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo* (1). » — « Gutta sanguinis modica *propter unionem ad Verbum pro* redemptione totius humani generis suffecisset (2). » — Concilium Tridentinum declarat in altaris mysterio Christi corpus sub specie vini et sanguinem sub panis poni *vi naturalis* illius connexionis et concernitantiæ qua *partes* Christi Domini inter se copulantur (3). Igitur sanguis est assumptus a Verbo et est pars naturæ humanae. Atqui Verbum assumit partes corporis et ipsum corpus mediante anima, seu ratione animæ (4); cæterum, aliquid non est pars naturæ humanæ nisi informetur principio specificativo humanæ naturæ. Ergo sanguis anima informatur.

Dentes, qui veram exhibent organizationem, pili, capilli, qui sunt naturæ epithelialis, etc., vitæ principio, ideoque forma totius, informantur.

IX. — Quomodo possit anima exercere informationem non obstantibus partibus non informatis. — Admisimus partes quasdam fluidas anima totius non informari. Si illca quidem partes partibus compositi interponerentur, ita ut fieret interruptio et intervallum inter unam partem corporis rfc

(Î) *Apocal.* 1,5.
(2) Clemens VI, Extravag. *Unigenitus,* De poenitentia et remissione.
(3) Sess. XIII- cap. 3.
(4) S. Thomas, III P. q. 6.

aliam, impossibilis foret animæ informatio, quæ sane per intervalla vel media extranea transilire nequit. At res non ita se habet. Omnes partes corporis aliqua saltem ex parte se contingunt, et veri nominis continuum efformant ; elementa autem diversa quæ corporis constitutionem ingrediuntur non ibi remanent actu, sed proprias formas amittunt, et toti corpori per veram continuitatem copulantur. Recolantur dicta de permanentia elementorum in composito (1). Cum ergo omnes compositi partes sint continuæ, haud aegre intclligitur animæ informationem in omnibus exerceri ; partes vero extraneae quæ non informantur sunt partibus informatis contiguae, atque ideo interruptionem et intervallum non faciunt, sed extrinsecus adjiciuntur, sicut vestis applicatur corpori, vel sicut aqua transit per tubum quin tubi continuitati officiat.

X. — Solvuntur difficultates.

1° Si anima est forma corporis, erit pars intrinseca corporis. Atqui pars intrinseca corporis est corporea. Ergo anima erit corporea.

Resp.: Dist. maj.: Erit corporis pars intrinseca formalis, concedo ; pars intrinseca materialis, nego. Contradist. min.: Pars intrinseca corporis est corporea, pars materialis, concedo ; pars formalis, subdistinguo : est corporea saltem eminenter, concedo ; formaliter tantum, nego.

Nomine *corporis* intelligi potest vel materia prima, quæ actuatur ab anima, vel compositum ex materia prima et forma. Si primo sensu accipitur, liquet animam non esse aliquid corporis, quippe quæ non est pars materiæ primæ. Si altero sensu intelligitur, anima est quidem pars corporis, scilicet compositi humani, sed pars formalis, parsque perfectiva, seu principium activum. Pars autem formalis et perfectiva materiæ non est necessario corporea. Dantur quippe gradus in formis : alise sunt immersæ in materia, et hæ sunt corporeae ; aliæ vero habent in virtute quidquid præstat forma corporea, at retinent esse supra materiam elevatum. Sunt itaque corporeæ eminenter, non formaliter. Hujusmodi esse animam jam ostensum est.

(1) 1. P. *Phil. Nat.* Tract. II, q. II, a. IV. vol. II, pp. 157 etseqq.

2° Si anima esset pars intrinseca corporis, seu compositi, anima poneretur vi illius vi cujus ponitur corpus. Atqui vi verborum in Eucharistia ponitur corpus Christi, non autem, anima. Ergo.

Resp.: Dist. major.: Poneretur anima ut forma tribuens esse corporeum, concedo ; reduplicative ut anima dans esse animatum, nego.

Contradist. min. : In Eucharistia vi verborum non ponitur anima ut tribuens esse animatum, concedo ; ut dans esse corporeum, nego et nego conseq.

Concilium Tridentinum sblum definivit animam formaliter ut animam, seu ut dans esse vivum, non poni vi verborum ; utrum vero animant forma ponatur vi verborum, an alio modo, non expressit Concilium. Ex hac parte nihil sententi® nostræ officit. Sed de his Theologi (1).

3° Si non datur forma corporeitatis, corpora Sanctorum honorem non merentur, quia non remanent amplius eadem.

Resp. : Non remanent eadem specie, concedo ; non remanent eadem identitate materiae, nec retinent eumdem ordinem ad animam, cui sunt iterum unienda, nego.

Corpora hominum non esse eadem specie post mortem etiam adversarii fateri coguntur, nam corpus vivens et corpus mortuum specio sane differunt. Attamen corpora Sanctorum sunt veneratione digna, quia retinent eamdem materiam quæ fuit animæ unita, et animæ iterato unietur; quia fuerunt templa et organa Spiritus sancti in eis habitantis et operantis, et quia sunt corpori Christi configuranda per gloriosam resurrectionem.

Imo, in adversariorum sententia minorem honorem merentur corpora Sanctorum. Admissa enim forma corporeitatis, corpus est substantialiter constitutum ante animæ informationem, ideoque accidentaliter dumtaxat animæ conjungitur ; in nostra vero sententia unitur intrinsece et substantialiter, iterumque essentialiter conjungetur. Atqui corpus unitum et uniendum substantialiter majorem sane meretur honorem quam corpus unitum et uniendum accidentaliter, sicut mobile motori. Ergo.

(1) Difficultatem illam plene prosequitur et solvit Card. Zigliara, *Psychol,* lib. II, c. II, a. II, n° XI. Cf. etiam D. Th. III P. q. 75, a. 6, ad 2.

XI. — De forma cadaverica. Horrescunt adversarii admittere formam, cadavericam animæ rationali succedentem, cum nulla, aiunt, assignari possit causa quæ illam producat. — Respondetur: Illa omnia quæ mortem inferunt causant formam cadavericam, sicut generatim dispositiones quæ corruptionem prioris formæ efficiunt generationem novæ producunt, juxta effatum : *Corruptio unius est generatio alterius,*

Cæterum, necesse non est ponere unicam formam cadavericam totum cadaver informantem. In morte enim divers® cellulæ, quæ per animam rationalem in unum adigebantur, pauiatim ordinem et dependentiam amittunt ab invicem, quo fit ut singulæ propriam et individualem vitam vivant et propria actuentur forma. Mox cellulae quæ jam erant ab invicem disgregai^, impares fiunt vitæ phenomenis elaborandis, et hinc resolvuntur in moléculas inorganicas, quoadusque deveniant in hunc statum « qui n'a plus de nom dans aucune langue (1). »

(1) Quoad cæteras difficultates cf. Fabges, *La Vie et l'évolution, Nlïl ;* Coconnier, *L'âme humaine,* c. V.Cf. Theses Λ. S. Cong. Studiorum appio* batas. Act. Apost. Sedis, VI, 383, ss.

QUÆSTIO QUARTA

De sode animæ (1).

Exponendum restat quomodo et quando anima sedem habeat in corpore, seu quomodo sit anima in corpore, et quo tempore corpori infundatur.

ARTICULUS PRIMUS

QUOMODO ANIMA SII IN CORPORE.

I.—**Sententi®.** Hæc quæstio intime pendet a doctrina quam statuimus circa unionem animæ cum corpore. Si enim admittitur animam esse formam corporis substantialem unicam, ct totum corpus ac omnes ejus partes suscipere esse substantiale et specificum ab anima, illico fluit animam esse in toto corpore et in qualibet ejus parte. Si, e contra, anima est tantum motor corporis, necesse non est ut tota sit in qualibet corporis parte. Hinc duplex opinionum classis. Quidam philosophi animam determinat» corporis parti affigunt. ; alii autem totam in toto et totam in qualibet parte reponunt : Plato quidem et Democritus in toto capite, teste Plutarcho; Strabo vero in superciliorum intercapedine ; Parmenides in toto corpore ;

(1) Consuli possunt S. Thomas, I P. q. 76. a. 8, II *Coni. Geni.* c. 72, Q.Q. *Dispp. De Anima,* a. 10, *de Spiritualibus creaturis,* a. 4; Frédault, *Anthropologie,* et Scholastici prius citati.

Empedocles in sanguine; Epicurus et Stoici in universo corde aut cordis spiritu ; Pythagoras animam sensitivam circa cor, rationem et mentem circa caput. Moderni nonnulli similia docent : Cartesius animam collocat in glandula pineali ; Malebranchius in ipso cerebro ; alii demum in medulla oblongata.

Post Aristotelem vero, Ecclesiæ Patres et omnes Scholastici unanimi ore pronuntiant animam totam in toto et totam in singulis partibus residere.

II.—**Diversa ratio essondi in loco.** Duplex est modus generalis essendi in loco : *Circumscriptive ei definitive. Circumscriptive,* quando aliquid ita applicatur loco ut totum locatum toti loco, et partes locati partibus loci correspondeant. Duo requiruntur ut aliquid sit hac ratione in loco : I0) ut habeat dimensiones, quarum defectu substantiæ spirituales non sunt in loco circumscriptive ; 2°) ut comparetur ad locum mediantibus propriis dimensionibus. Defectu hujus conditionis corpus Christi in Eucharistia non est in loco circumscriptive: licet enim habeat quantitatem dimensivam, non tamen est ibi secundum commensurationem propriæ quantitatis, sed dimensiones ejus comparantur ad locum mediante substantia.

Aliquid est *definitive* in loco, quando ita conjungitur uni loco ut non possit in alio consistere ; ejus quippe virtus ita definitur et limitatur in uno loco ut non possit abbi applicari. Ad hoc ut aliquid sit in loco definitive, duo etiam requiruntur, teste S. Thoma (1). Primum est ut ei competat ibi esse, quia quod non est in aliquo loco non potest loco illo definiri. Secundum est ut sit ibi sicut in loco commensurato aliquo modo suæ quantitati vel virtuti. Et ideo omne quod habet virtutem vel quantitatem finitam est definitive in loco.

Nonnulli opponunt praesentiam definitivam præsentiæ circumscriptivæ, quasi aliquid quod est in loco circumscriptive non possit esse ibi definitive et vice versa. Illæ tamen præsentiæ non necessario opponuntur. Sic aqua est in vase circumscriptive, quia comparatur ad locum per proprias dimensiones, et definitive, quia ita in vase restringitur ut non sit alibi. Anima

(1) IV *Sent.,* disi. 10, q. 1, a. 3, 2

vero et angelus sunt in loco definitive, quia, dum reperiuntur in uno loco adæquato, non possunt esse alibi; non tamen circumscriptive, cum non suscipiant dimensiones. Aliquid vero potest esse alicubi circumscriptive et tamen non definitive : sic corpus bicubitale, ut exemplo utar D. Thomæ, non definitur loco unius cubiti, et tamen est circumscriptive, seu secundum dimensiones. Aliquid demum potest esse in loco nec definitive nec circumscriptive : sic anima non est in manu circumscriptive, nec etiam definitive, cum possit esse alibi. Id contingit quando agitur de loco inadæquato, qui non respondet toti virtuti locati ; at, quia omnis creatura suscipit virtutem finitam, sive angelus, sive anima habent aliquem locum adæquatum extra quem virtutem suam extendere nequeunt. Hinc diximus animam et angelum esse *definitive* **in** suo loco adæquato.

III. — Triplex totalitas. Insuper, ut recte intelligatur quid sit animam esse *totam* in toto, distinguenda est, ex D. Thoma, triplex totalitas : secundum quantitatem, secundum essentiam, secundum virtutem (1).

Prima est secundum quam totum quantum dicitur, quod natum est dividi in partes quantitatis, sicut linea vel numerus.Cum autem forma non sit per se quanta nec pe'r se divisibilis, hæc totalitas competit formis per accidens, sicut albedo per accidens dividitur divisione superficiei; non tamen competit, etiam per accidens,omnibus formis, sed illis solum quæ coextenduntur quantitati, et quæ habent materiam similem et in toto et in parte. Anima porro humana et anima brutorum perfectorum magnam requirunt in partibus dissimilitudinem, et id* circo non competit illis totalitas quantitativa.

Altera totalitas attenditur secundum perfectionem essentiæ, cui totalitati respondent partes essentiales. Porro hujusmodi partes vel sunt *physicæ,* ut in compositis ex materia et forma, vel saltem *logicæ,* nam omnis essentia creata ex genere et differentia constat.

Tertia attenditur secundum virtutem, et ipsi respondent partes potestativae, facultates, seu potenti®.

Cum autem animæ non competat totalitas quantitatis, quæ-

(1) Q. *De spiritual, creat,* a. 4.

ritur solum utrum anima sit in qualibet parte corporis per totalitatem essentiæ et per totalitatem virtutis.

IV. Conclusio : Anima est tota In toto corporo et tota in qualibet corporis parte per totalitatem essentiæ, non autem per totalitatem virtutis.

Prob. Ia pars. Arg. I|™. Oportet unumquemque actum, seu formam, esse in proprio perfectibili. Atqui anima est actus, seu forma, corporis organici, non unius organi tantum. Ergo est in toto corpore et non in una parte tantum. Sed anima est forma secundum suam essentiam. Ergo est in toto corpore secundum suam essentiam.

Subsumo : Atqui anima ita est forma totius corporis ut sit etiam forma singularum partium. Ergo anima est in singulis partibus secundum suam essentiam. Porro essentia animæ simplex est, ubi est tota est. Ergo anima est per totalitatem essentiæ et in toto corpore et in singulis partibus (1).

Animam esse formam totius corporis et singularum partium, jam ostensum est, quæ probatio breviter resumitur : Quod est forma totius et non singularum partium est forma accidentalis tantum, sicut forma domus, quæ est forma totius et non partium est ordinis accidentalis.Ergo,si anima esset forma totius et non partium, esset forma accidentalis dumtaxat. Insuper, cum forma largiatur speciem, illud est forma substantialis totius et partium a quo totum et partes sortiuntur speciem. Atqui ab anima intellectiva totum et partes speciem sortiuntur, nam anima abscedente neque totum neque partes remanent ejusdem speciei : oculus enim mortui et caro ejus non dicuntur nisi æquivoce. Ergo anima intellectiva est forma substantialis et totius et singularum partium.

Confirmatur. Si anima esset in una parte tantum, reliquæ partes essent perfectae per alias formas substantiales. Sed ubicumque adsunt plures formæ substantiales, compositum non est simpliciter unum.Ergo homo desineret esse unum per se (2).

(1) Veritatem istam agnoscunt recentiores scientifici: « Cette âme,cette vie n'occupe pas seulement une partie de l'organisme, elle le pénètre jusqu'aux derniers atomes. » Chauffard, *La Vie,* p. 59.

(2) « D'où il résulte que l'âme doit lui être *unie en son tout,* parce qu'elle lui est unie comme à un seul organe, parfait dans sa totalité. » Bossuet, *Connaissance de Dieu etde soi-même,* ch. III, η. I.

Arg. IIum. Anima tota simul sentit in singulis partibus : cum enim quid dolet in pede, advertit oculus, loquitur lingua, admovetur manus, ut dicit Augustinus (1). Atqui non tota sentiret nisi ibi tota esset, ut perspicuum est. Ergo anima est tota simul in singulis partibus.

Prob. IIa pars. Anima est quidem in toto corpore per aliquam suam virtutem, nam et totum corpus vivificat ; et in singulis partibus, nam in singulis aliquod esse vel aliquam virtutem influit. Sed nec in toto, nec in partibus est per totalitatem virtutis.

Probatur. Quia anima excedit corporis capacitatem, conservat aliquam virtutem ad eliciendum operationes quasdam sine corporis consortio, sicut intelligere et velle. Ex quo sic arguitur : Illa forma non est per totalitatem virtutis in corpore si retinet aliqdam virtutem quæ nullatenus est in corpore. At qui anima conservat aliquam virtutem quæ nulla ratione corpori communicatur, scilicet intellectum et voluntatem.Ergo non est in corpore per totalitatem virtutis.« Quantum vero ad alias operationes quas exercet per organa corporalia, tota virtus et potestas ejus est in toto corpore, non autem in qualibet parte corporis, quia diversae partes corporis sunt proportionate ad diversas operationes animæ. Unde secundum illam potentiam tantum est in aliqua parte, quæ respicit operationem quæ per illam partem corporis exercetur (2).

V. — Diversa habitudo animæ ad corpus et ad corporis partes. *Essentia* animæ est tota in toto corpore et tota in singulis partibus. At inter partes aliæ ordinantur ad individui conservationem, sicut cor, pulmo, stomachus, hepar, venter ; aliæ vero ad prosecutionem et locomotionem ; aliæ tandem ad custodiam vel ornamentum eseterarum partium. Primæ sunt de principali intentione naturæ,unde ad illas primo ordinatur essentia animæ, secundo ordinatur ad eas quæ locomotion! inserviunt ; ultimo ordinatur ad eas quæ sunt ad custodiam et ornamentum aliarum, et sunt de secunda intentione natures.

(1) Cf. S.Augustinus, *De immortalitate animæ,* c. 16, *De Trinitate,* lib. ç. c. 5, *Contra epistolam Fundamenti,* c. 16.

(2) Q. *De Anima,* a. 10.

Virtus animæ diversimode ad partes ordinatur. Secundum virtutem quidem vegetativam anima est principalius in corde, secundum virtutem vero sensitivam est principalius in cerebro. Diximus : *principalius,* nam virtus nutritiva est generatila in toto corpore ubi fit nutritio et augmentum, digestiva demum est in systemate sympathico. Pariter, sensatio sensuum externorum fit in propriis organis, sed dependenter a sensu communi, qui residet in cerebro. Appetitus autem sensitivus pendet tum a cerebro, tum a corde, quod in omni passione intentius vel remissius movetur secundum systolen et diastolen.

Secundum *operationem vitalem,* seu vitam in actu secundo, anima est primo in corde, quod dicitur *primum vivens, ultimum moriens,* unde, destructa virtute motiva cordis, suspenditur vita et mors inducitur. Deinde, est in aliis partibus juxta illarum momentum et necessitatem ad vitales operationes: unde, impedita respiratione, et corruptis pulmonibus vel alia parte, operatio animæ in omnibus partibus corporis perit, et per consequens cessat esse ipsarum partium et totius, quod per operationem animæ conservatur (1).

VI. — **Solvuntur difficultates.** Anima ibi solum est ubi sentit. Atqui sentit solum in cerebro. Ergo est solum in cerebro.

Resp. : Disting. maj. : Anima ubi sentit ibi solum est : secundum virtutem sensitivam, concedo ; secundum essentiam et alias virtutes, nego.

Distingui posset consequentia : Anima est in cerebro tantum, quoad virtutem sensitivam, transeat ; quoad essentiam et cæteras virtutes, nego. Sed neque illa consequentia est concedenda. Unde nego minorem et totam conclusionem. Facta enim scientifica evincunt cerebrum osse quidem sensationi necessarium ; at minime inde infertur omr«un sensationem in solo cerebro peragi. Infra porro ostendemus sensationem in respectivis perfici organis (2).

2° Esse in toto corpore est commensurari corpori. Atqui

(1) I. *Sent.,* disi. 8, q. 6, ad. 8.

(2) Tract. III, q III, a. II.

amina, utpote simplex et spiritualis, non potest corpori commensurari. Ergo non est in toto corpore.

Resp. : Disting. maj. : Esse in toto corpore *circumscriptive* est commensurari corpori, concedo ; esse solum *definitive* est commensurari corpori, nego. Concedo minorem, et disting. conclus. : Anima non est in toto corpore circumscriptive, concedo ; definitive, nego.

3° Quod est totum in uno loco non potest esse totum in alio. Ergo, si anima est tota in una parte, nequit in alia esse tota.

Resp. : Quod est totum in uno circumscriptive non potest esse totum in alio, concedo ; quod vero est in loco non circumscriptive non potest esse totum in uno et totum in alio, subdistinguo : si agitur de loco *adæquato,* concedo ; si autem de loco *inadæquatO)* nego et nego consequentiam.

Quælibet corporis pars est locus animæ inadæquatus, unde anima nec circumscriptive, nec definitive est in aliqua parte, et idcirco in alia parte potest esse tota.Totum vero corpus est locus animæ adæquatus ; unde repugnat animam esse totam in suo corpore et simul in extraneo corpore totam.

4° Si anima est in qualibet parte, illa ablata, debet anima auferri vel transfugere ad alias partes, quod absurditatem quamdam redolet.

Resp. : Anima in seipsa nullatenus mutatur, nec aufertur, nec transfugit ; sed pars ablata vel mortua desinit informari et perfici ab anima, sicut arbor in se non mutatur, cum intellectus meus desinit arboris cognitione actuari.

ARTICULUS SECUNDUS.

QUO TEMPORE ANIMA CORPORI INFUNDATUR.

I. — Quid certum, quid vero libere controversum.

Duo hac in parte sedulo sunt distinguenda : an creetur anima ante suam unionem cum corpore ; an corpori infundatur in ipso conceptionis instanti,an vero post certos dies, cum fuerit corpus sufficienter organizatum. Hoc ultimum inter philosophos, sicut inter theologos, libere controvertitur; quoad primum vero certum est, quamvis non directe et formaliter definitum, animam non creari ante suam unionem cum corpore.

II. — **Falsae opiniones** Nota est sententia Platonis et Platonicorum, animas nempe intellectuales ab æterno extitisse et in corpora propter culpam fuisse detrusas. Plotinus putavit animas aliam vitam coelestem degisse, ac postea materiæ desiderio captas corpora fuisse ingressas. Orígenes animas a Deo ante corpora conditas peccasse existimavit, et pro quantitate delicti corporibus nobilioribus vel ignobilioribus unitas esse, quasi quibusdam carceribus inclusas (1).

Huc etiam spectat error metempsychoseos, quem, post Ægyptios, Pythagoricos, etc., propugnant recentiores Spiritistæ. Confutatus est in superiori quæstione.

Posuit vero Lcibnitzius (2) animas fuisse ab initio creatas et inclusas corpusculis quibusdam organicis, quæ, dum decursu temporis evolvuntur, animæ fiunt humanæ ; et ita constituuntur homines.

(1) Cf. Augustinus, lib. III *De Libero Arbitrio,* c. 20. c. 21; *De Civitate Dei,* lib; X, c. 31

(2) Cf. Leibnitz, *Essai de Théodicée,* I. P. n° 94.

III. — Conclusio : Certam est animam non creari priusquam corpori infundatur.

Eruitur ex Concil. Later. V : « *Cum illa* (scilicet anima humana) *non solum vere et per se et essentialiter humani corporis* forma existât..., verum et immortalis et *pro corporum quibus infunditur* multitudine singulariter multiplicabilis et multiplicata et multiplicanda sit (1).» Igitur singulariter multiplicantur, cum infunduntur. Unde axioma scholasticum ex S. Bernardo desumptum: *Deus animam creando infundit et infundendo creat* (2).

Prob. ratione. Arg. Ium. Quæ Deus ipse instituit condere non debet in statu imperfecto et prætcrnaturali. Atqui anima sine corpore est in statu imperfecto et præternaturali, ut constat ex dictis de unione animæ cum corpore (3). Ergo Deus non debet animam ante unionem cum corpore condere.

Aliter : Prius attribuitur unicuique quod convenit ei secundum naturam quam quod ci præter naturam inest. Atqui animæ secundum naturam convenit uniri corpori,præter naturam vero est ut sit a corpore separata. Ergo prius animæ convenit esse unitam corpori quam a corpore sejunctam. Non est ergo creata ante corpus cui unitur. Probatur major: Quod convenit alicui secundum naturam inest ci per se, quod vero convenit præter naturam inest ei per accidens. Atqui quod est per accidens semper posterius concipitur eo quod est per se, quia ad illud reducitur tamquam in causam. Ergo.

Arg. IIum. Omnes aliæ sententiæ erroneo nituntur fundamento, supponendo animam esse substantiam completam in ratione speciei, et *accidentaliter* dumtaxat corpori conjunctam, sicut motorem mobili vel reum carceri. Quæ vero affert Leibnitzius commentitia sunt et repugnantia. Animæ inclusæ in illis corpusculis vel inertes remanent vel evolvuntur. Porro impossibile est animas esse inertes, quia substantia immaterialis activitate immanenti gaudet, et a fortiori repugnat animas evolvi, quod spiritualitati et immortalitati e regione opponitur. Rationes adversariorum late expouit et confutat D.Thomas (4).

(1) Denzinoer. *Enchiridion,* n. 621.
(2) Cf. S. Bernardus, serin. 2, *De nativitale,*
(3) Supra, q. II, a. II, n° IX.
(4) II *Cont. Gent.* cc. 83 et 84.

IV. — **An infundatur anima rationalis in ipso conceptionis momento** (1). Ovulum et spermatozoida in unum coeunt, qua unione peracta, habetur germen fecundatum. Porro conjunctio ovuli et spermatozoidæ non statim fit in ipso generationis actu, sed quandoque post plures horas, imo forte post plures dies. Quæstio igitur non est utrum anima infundatur in ipso coitus momento, sed utrum infundatur in fecundationis instanti. Tres recitantur sententiæ. Prima vult in principio essejanimam vegetativam, deinde, organismo perfectiore existente, animam sensitivam, tandem, cum ad sufficientem organizationem humanam pervenerit corpus, infundi animam rationalem. Hæc est opinio Peripateticorum, D.Thomæ, i^ultorumque Scholasticorum, quam secutus est medicus Craanen secunda medietate saeculi XVII, quamque temporibus nostris defenderunt Liberatore, Cornoldi, Santi, de Maria, Lorenzelli, et plures medici Academiæ S. Thomæ.

Secunda existimat fœtum immediate informari anima rationali. Tribuitur B. Alberto Magno, Vincentio Bellovaccnsi ; illustris præsertim evasit a temporibus Fieni, medici Lovaniensis, qui anno 1620, opusculum hac de re scripsit ; propugnatur a facultatibus Parisiensi, Pragensi, Salmanticensi, et communiter a medicis ct physiologis modernis.

Tertia sententia admittit in principio esse animam vegetativam simul et sensitivam ; postea vero infundi animam rationalem. Ita Manuale Philosophiæ auctoribus Brin, Farges et Barbedette, ita Elie Blanc; etc.

V. — Argumenta primæ sententiæ.

Arg. Ium. Quando anima rationalis suscipitur in corpore, compositum organicum est animal perfectum et humanum. Atqui in prima fecundatione organismus non potest dici animal perfectum et humanum; est enim massa seminalis destituta omni humana similitudine, carensque corde, cerebro, capite, omnibusque organis potentiarum sensitivarum. Ergo anima rationalis non infunditur in prima fecundatione.

(1) Cf. Frédault, *Traité d'Anthropologie,* lìv. 6, c. 1. Card. Gonzal % *Psychol,* sect. II, c. Ill, a. 1 ; Elie Blamo, *Traité de Phil. Nat.,* n° 73 etseqq.; Lobenzblli, *Psychol. Intellect.* P. Ill, lect. III; P. Hilaibp, O. M. C., *L'Animation immédiale réfutée; Dictionnaire de Théologie,* édit. Letouzé, V. *Ame.*

Arg. IIum. Anima est actus corporis, non cujuscumque, sed organizati. Unde, sicut anima vegetativa requirit organizationem vegetativam, animaque sensitiva organizationem animalem, ita anima humana exposcit organizationem humanam, saltem fundamentaliter. Atqui organizatio fœtus in primo instanti nullo pacto est humana. Ergo.

Prob. min. Organizatio humana requirit *actu* organa humana, et non solum virtualiter vel in potentia. Atqui embryo in primo instanti nulla habet organa humana actu, sed solum in potentia et virtualiter, ut ipsi fatentur adversarii. Ergo in primo instanti nulla est organizatio humana.

Arg. IIIum. Si anima infunditur in primo instanti, unitur ut agens patienti organizabili, vel ut artifex materiæ per actionem ipsius animæ traducendæ in esse organicum actu. Atqui hæc omnia repugnant unioni animæ ad corpus, quæ est per modum veræ et propriæ formæ aut causæ formalis. Ergo (1).

Arg. IVum. Invia generationis natura procedit ab imperfecto ad perfectum, ita ut forma perfecta adveniat post imperfectas. Ergo anima intellectiva succedere debet formis imperfectis, vegetativas nempe et sensitivas, non vero ab initio infundi.

VI.—Argumenta secundae sententiae.

Arg. IIIIIIum. Embryo in primo instanti veram vitam vivit, et operationes vitales elicit ; nutritur, non more plantae, ex fluidis inorganicis, sed ex materiis organicis more animalium. Atqui quod est capax operationis vitalis et animalis, est capax recipiendi animam rationalem, in qua operationes inferiores possunt absque operationibus intellectivis fieri. Ergo fœtus est capax recipiendi animam rationalem. Si autem est capax, ergo et illam recipit.

Arg. IIum. Si in principio adest anima vegetativa, nulla potest esse causa producens animam sensitivam : non generator, quia spermatozoida perit peracta fecundatione ; nec etiam Deus, quia inconveniens est Deum immediate intervenire.

Arg. IIIura. Organismus humanus tantæ perfectionis est, ut formæ inferiores incapaces censeantur illum producendi Quænam enim anima sensitiva apta est ad elaborandum ho-

1i) Cf. Lorenzelli, loc. cit.

minis cerebrum aut systema nerveum ? Ergo debet in fœtu esse anima rationalis ab initio, quæ proprium corpus quasi construat et ad debitam organizationem perducat.

Arg. IVum. Admissa animarum successione in embryone, ponuntur successive mortes et corruptiones in eodem subjecto. Atqui dari hujusmodi corruptiones nihil probat ; imo ostendit physiologia eumdem esse organismum qui a prima conceptione usque ad debitum complementum evolvitur. Ergo rejicienda est sententia de successione animarum.

Aliunde naturæ adversatur ut aliquid generetur et statim postmodum corrumpatur.

Arg. Vum. Pius IX, in Gonstit. *Apostolices Sedis,* excommunicatione plectit procurantes abortum, *effectu secuto,* nulla adhibita distinctione inter fœtum animatum vel inanimatum, quæ tamen olim fiebat distinctio. Ergo censet Ecclesia fœtum immediate animari.

Arg. VIum. Si admittitur successio animarum ante animæ rationalis adventum, pari jure erit successio animarum post mortem, quod nemo tamen tuetur.

VII. — ^esponsiones ad argumenta prlmæ sentontiæ. Haud levis certe momenti sunt argumenta prioris opinionis ; illis tamen aliquid objici potest. Ad primum ergo : Quando anima rationalis est in corpore, organismus est animal perfectum et humanum, vel in statu suo *initiali,* vel in statu suo *ultimo,* conceditur ; debet necessario esse animal perfectum et humanum in statu suo *ultimo* et completo, non constat. Fœtus autem in prima fecundatione non est animal perfectum et humanum in *statu ultimo',* dici tamen potest animal perfectum et humanum initiale. Et revera, ille embryo jam nutritur more animalis, nec est quodeumque animal, sed animal perfectum *incipiens.* Ergo dici potest homo initialis.

Ad secundum : Anima humana requirit quamdam organizationem humanam, saltem fundamentaliter et initialiter. Porro organizatio embryonis dici potest humana fundamentaliter et initialiter. Prima enim cellula hominis non est ejusdem naturæ cum prima cellula plantee. Habet jam aliquid humani initiiliter. Cur ergo non posset, dici humana fundamentaliter? Organa humana *actu* pertinent ad organizationem in statu

perfecto ; non constat vero illa ad organizationem initialem pertinere.

Ad tertium : Quamvis unio animæ sit per modum verae formæ aut causæ formalis, non inde anima incapax evadit elaborandi proprium organismum, cum sæpius, durante unione, anima organismum modificet, reparet, etc. Pertinet, e contra, ad formam viventem ut valeat materiam regere, ordinaro, sibi subjicere in ordine ad organismum efformandum ; hinc est quod vita dicatur creatio, in sensu lato, seu effectio organismi.

Cæterum, aliæ animæ unirentur etiam per modum causæ formalis. Ergo non possent embryonem organizare, si valeret argumentum.

Maxime autem decet animam rationalem ab initio effingere suum corpus, non vero a formis inferioribus productum accipere, praesertim cum illae formæ impares videantur tam nobili organismo elaborando.

Ad quartum : Imperfectum praecedit perfectum quando rei natura id postulat, et nihil aliud òbstat. Rationes vero secundae sententiae ostendunt aliquid in praesenti obstare. Cæterum hic etiam servatur progressus de imperfecto ad perfectum, nam in principio anima rationalis munus exercet formæ inferioris, .post modum vero munus formæ perfectae.

VIII.—Kcsponslones ad argumenta secmidæ sententiae. Nec etiam insolubiles videntur rationes alterius opinionis.

Ad primum argumentum dicendum est : Ex eo quod fœtus operationis vitalis et animalis sit capax, non necessario infertur capacitas recipiendi animam rationalem, quæ, cum supremum locum obtineat in nobilitate formarum, expostulat materiam perfecto dispositam. Unde hoc argumentum probabilitatem, non necessitatem præstat.

Ad secundum : Spermatozoida perit quidem actu, sed remanet virtualiter et in effectu. Unde nihil impedit animam sensitivam a generante produci.

Ad tertium : Formæ inferiores incapaces sunt perficiendi et complendi organismum humanum, non vero illud inchoandi, cum naturalis requirat ordo ut formæ inferiores subjectum formæ superioris praeparent ac disponant.

Ad quartum : Ostendit scientia idem subjectum de uno sta-

tu ad alium transire. Utrum vero ille transitus sit substantialis an accidentalis, utrum organismus remaneat idem formaliter an materialiter tantum, non pertinet ad experientiam, sed ad rationem definire. Quamvis ergo experientia generationes non deprehindat, posset tamen metaphysica illarum necessitatem et existentiam probare.

Illæ porro successiones animarum non proprie sunt corruptiones, quia fiunt in melius, nec mortes, quia nullum est instans in quo foetus forma viventi privetur, sed in instanti quo abit prior anima, introducitur altera. — Ad id quod ultimo additur respondet Angelicus : « Non est inconveniens si aliquid *intermedium* generetur et statini postmodum corrumpatur ; quia intermedia non habent speciem completam, sed sunt in via ad speciem; et ideo non generantur ut permaneant, sed ut per eu ad ultimum generatum perveniatur (1). »

Ad quintum: Constitutio *Apostólicas Sedis* a mentione fœtus animati vel inanimati eo consilio abstinuit, ne Ecclesia videretur recentiorum contradicere sententiae, quæ probabilis est, et in praxi, utpote tutior, est sequenda. Ecclesia igitur quaestionem intactam reliquit.

Ad sextum : Admittitur successio animarum ut formæ inferiores disponant ad formam ultimam et perfectam, quæ ratio sane non valet in corruptione et morte.

IX. **— De tertia sententia.** Ex una parte asserit animam rationalem non infundi in primo fecundationis instanti, propter rationes primæ sententiae ; aliunde negat foetum anima mere vegetativa informari, quia scientia ostendit regnum animale vegetali non proprie succedere, sed potius superponi, **et** foetum, ab initio, more animalium, non vegetalium, nutriri.

Insuper, si prima anima esset vegetativa, nulla esset causa animam sensitivam producens. Igitur in prima fecundatione adest anima sensitiva, cui succedit anima rationalis. Sumit itaque hæc opinio argumenta utriusque sententi® validiora, quæ tamen evidentiam non pariunt.

X. — Quid concludendum. Singulæ sententi® sua gaudent probabilitate ; secunda in praxi, et cum agitur de Baptismo con-

fi) II *Coni. Gent.t* c. 89.

ferendo, est sequenda,non ut verior, sed ut tutior. Nihil hucusque a scicntificis inventum est quo evincatur opinionem S. Thomæ, præsertim si modificetur in sensu tertiæ sententiae, esse evidenter antiquatam et scientiis certo et evidenter repugnantem ; nec etiam argumenta metaphysica ostendunt secundam sententiam esse absurdam vel improbabilem, vel rationi minus congruam. Adhuc sub judice lis est, nec illam intendimus dirimere.

Non est tamen inficiandum opinionem quæ vult animam in primo conceptionis instanti per creationem infundi, magis ac magis communem evadere (1).

(lì Ct. **Antonelli,** *Medicina Pastoralis,* c. XIX.

TRACTATUS TERTIUS

DE ANIMA HUMANA SECUNDUM POTENTIAS SEU FACULTATES CONSIDERATA.

Anima humana unita corpori, et prout objectum est Philosophise Naturalis, facultates exposcit et operationes, de quibus nunc est disserendum. Potentiae vero spirituales, cum ordinem sensibilem transgrediantur, pleno jure ad Metaphysicam pertinent. In praesenti ergo tractatu sermo erit de facultatibus et operationibus ordinis sensitivi,tum cognoscitivis, tum appetitivis ; sed in antecessum versantur quaedam de omnibus potentiis in genere.

QUÆSTIO PRIMA.

De potentiis in genere (1).

Quæ hic disserenda veniunt spectant I0 facultatum distinctionem ab essentia ; 2° facultatum specificationem ; 3° facultatum divisionem et subjectum; 4° facultatum ordinem et attributa.

(1) Cf. S.Thomas, I. P. q. 77 ; Q.Q.Dispp. *De Spirit, creat.} De Anima;* Cajetanus, Bannbz, comment, in I. P. q. 77, Joannes a S. Thoma, *Phil. Nat.* Ill P., q. 2.; Alamannus, q. 51 ; Sansevbrino, *Dynami. ;* Pesch, *Psychol..,* tom. II; Gardair, *Corps et Ame,* II P.; Alibert, *La frychologie thomiste et les théories modernes,* I. P. Gredt, ed. tertia. Cf. Theses a S. Gong. Studiorum approbatas. Act. Apost- Sedis, VI, 383 ss.

ARTICULUS PRIMUS.

DE DISTINCTIONE POTENTIARUM a B ESSENTIA.

I.— Notio potentiarum. Facultas, seu potentia, definiri potest: *Principium* **quo** *proximum et immediatum agendi simpli* citer.* Dicitur: *Principium,* id est, causa efficiens a qua prorumpit operatio. Principium guo, ut distinguatur a supposito, principio *quod. Proximum et immediatum,* ut innuatur distinctio a principiis remotis. Principium porro remotum adæquatum est tota natura; principium vero remotum inadæquatum est forma substantialis ; neque enim natura neque forma substantialis sunt immediate oporativæ ; sed agunt mediantibus potentiis, quæ idcirco nuncupantur principia immediata. Tandem principium *agendi simpliciter,* ut innotescat facultatem non esse principium *essendi bene* vel *male,* sicut sunt habitus entitativi, neque etiam *agendi bene* vel *male,* sicut sunt habitus operativi ; sed principium operationis simpliciter sumptæ.

Merito comparantur potenti© arborum ramis, a quibus fructus immediate procedunt, essentia autem trunco, qui ramos sustentat cisque fecunditatem tribuit et mediantibus ramis fructus producit.

Facultates igitur et potentiæ promiscue usurpari possunt, quatenus designant principia proxima agendi simpliciter ; at sub alio respectu et prout a philosophis modernis accipiuntur nonnihil differunt. Potentia est quid generalius et complectitur omnia agendi principia proxima, sive conscienti® et voluntati subsint sive non, et hinc recensentur potentiæ *vegetatile, senoitivæ, intellectivae.* Facultas minus patet, et importat principium factorum conscientiae, quodque rationis imperio aliquatenus subjacet : quo sensu potentiæ sensitivœ et intellectivae, non autem vegetativæ, facultates dicuntur. Vires autem

ct pro potentiis et pro facultatibus accipi possunt. Quia in præsenti principia agendi proxima attendimus, tria illa vocabula indifferenter usurpamus.

II,—Divisio potentiarum in activas et passivas.In genere, potentia activa est principium transmutandi aliud, vel agendi in aliud ; potentia vero passiva est principium transmutationis ab alio, seu principium patiendi ab alio. Quocirca potentia activa non ea præcise reputatur quæ agit, secus omnes forent activæ, cum ex omnibus prorumpant operationes ; sed distinctio in activas et passivas ex ordine ad objectum desumitur. Si facultas ita objectum attingat, ut istud sit patiens et transmutatum, erit potentia activa, sicut sunt vires vegetativæ, quæ objectum, puta alimentum, immutant et transformant. Si vero objectum sit agens et movens, facultas autem mota ab objecto, erit potentia passiva, sicut facultates sensitivæ, et intellectus possibilis (1). Hinc confutatur sententia Galluppi et modernorum, qui potentiam passivam definiunt eam quæ actionem in se recipiendi capax est, et activam eam quæ agere aliquid valet.

III.—Philosophorum opiniones do naturafacnltatnm.Qui propugnant substantiam esse immediate operativam, consequenter docent potentias ab essentia non realiter distingui. Ita Nominales, Okam, Gregorius Ariminiensis ; Cartesiani, qui reponunt animæ essentiam in cogitatione (2) ; multi recentiores, sicut Dynamistæ, qui inducunt vires substantiales immediate operativas ; Atomistæ, qui omnia revocant ad motum7 in eamdem incidunt sententiam ; Positivistæ, Materialistæ» qui autumant animam esse complexum accidentium, seu functionum psychicarum, necessario animam cum facultatibus et operationibus confundunt. Scotistæ animam inter et facultates ponunt famosam illam distinctionem, quæ dicitur *formalisr actualis ex natura rei :* facultates itaque essent formalitates substantiales ex natura rei ab animæ essentia distinctæ.

(1) Cf. Q.Q. *Disp.* q. 16. *De Verit.* a. 1, ad 13.

(2) De qua opinione dicit Bossuetius : « C'est, ce me semble, uneétrange métaphysique que le fond de la substance de l'âme soit seulement pensée ou vouloir. » Cf. *Tradition des nouveaux mystiques,* sect.. VL

Sententia vero quæ distinctionem realem propugnat ab Aristotele, et, post ipsum, ab Ecclesiæ Patribus (1), a S. Anselmos (2), B. Alberto, D. Thoma, et Scholasticis communiter, defenditur.

IV. — Prima conclusio: Facultates inter et essentiam animæ realis viget distinctio.

Arg. Ium. Si essentia animæ esset sua facultas, actus essenti® et actus potenti® essent prorsus identici. Atqui actus essenti® est esse, actus vero potenti® est operari. Ergo operari animæ foret suum esse. Sed in nulla creatura operari est suum esse : id enim solius Dei est proprium, qui est actus purus. Ergo essentia animæ a suis facultatibus discriminatur.

Arg. IIum (Quod est explanatio præcedentis). Actus et potentia ad illum actum essentialiter ordinata sunt in eodem genere entis.

Atqui facultas est potentia ad operationem ceu ad actum et terminum proprium essentialiter ordinata. Ergo est in eodem genere entis cum operatione.Sed omnis operatio in creatis reponitur in genere accidentis. Ergo facultas est pariter in genere accidentis, ac proinde ab essentia, quæ in genere substanti® collocatur, est realiter distinguenda.

Declaratur major. Actus debet potentiam essentialiter complere. At potentia substantialis non potest compleri essentialiter nisi per actum substantialem ; potentia vero accidentalis nonnisi per actum accidentalem completur, quia si actus foret substantialis, jam non foret complementum in eodem ordine, jamque amitteret accidens propriam rationem et in aliam converteretur essentiam. Ergo actus et potentia sunt in eodem genere : si actus est substantialis, potentia quoque substantialis reputatur ; si actus accidentalis est, et potentia ad ordinem refertur accidentis.

— Minor est certa ; de natura enim facultatis est ferri ad operationem ; quocirca facultas absque ordine ad actum nec concipitur nec definitur. Ergo ordinem transcendentalem importat ad operationem tamquam ad suum actum et finem, seu complementum.

(1) Cf Augustinus, *De Orig. Anim.* lib. I, c. 16, *Confess,* lib. X, c. 7.
(2) *De Concord. Grat, et Lib. Arb.* q. 3, C. 11.

Probatur minor subsumpta, scilicet operationem omnem creatam esso de genere accidentis. Id quidem experientia innotescit, nam potest adesse vel abesse operatio salva rei essentia. A priori autem id apodictice demonstratur. Si substantia est ipsa operatio, jam essentia est sua ultima actualitas, si quidem operatio est actus secundus et ultimus. Atqui substantia quæ est sua ultima actualitas est actus irreceptus et irreceptivus,seu actus purus.Ergo substantia creata esset actus purus. Declaratur postrema minor. Esset actus irrceptivus, quia supponitur esse ultima actualitas ; esset actus irreceptus, quia actus receptus exposcit subjectum a se realiter distinctum, in praesenti vero nullum est subjectum hujusmodi, siquidem inducitur perfecta identitas inter substantiam et operationem.

Arg. IIIum. Anima secundum suam essentiam est actus. Ergo si esset principium immediatum operationum, omne habens animam haberet actu vitæ opera , sicut habens semper animam est vivum actu. Atqui omne habens animam non semper est in actu operum vitæ. Ergo anima secundum suam essentiam non est principium operationum immediatum, atque ideo a potentiis, quæ sunt principia immediata, distinguitur.

— Declaratur antecedens. Anima secundum suam essentiam est forma. Forma autem est ultimus generationis terminus. Quo fit ut anima secundum suam essentiam non ordinetur ad ulteriorem actum. Si ergo remanet potentia ad actum quemdam ulteriorem, id non competit sibi secundum suam essentiam, sed secundum suam potentiam. At, si anima est sua potentia, non est ad ulteriorem actum ordinata ; quare omne habens animam haberet actu opera vitæ.

Arg. IVum. Eorum quæ sunt realiter idem, si unum multiplicatur et cætera multiplicanda sunt. Atqui potentiæ animæ multiplicantur juxta multitudinem objectorum formalium, non multiplicata essentia. Ergo essentia et facultates nequeunt identifican.

Arg. Vum. Unum et idem non potest esse actus corporis et separatus nisi secundum diversa. Atqui anima secundum essentiam est actus corporis, secundum vero intellectum et voluntatem est actus separatus. Ergo hujusmodi facultates sunt quid ab animæ essentia realiter diversum. Inter ipsas autem

facultates aliæ sunt form» corporis, ut potenti» organic», ali» non, ut intellectus et voluntas. Si autem omnes forent essentia, æqualiter omnes informarent corpus : qu» enim sunt eadem uni alteri non possunt esse inter se diversa. Ergo non sunt ipsa essentia.

Arg. VIura. In potentiis animæ est aliquis ordo, ea quidem ratione ut una aliam moveat, sicut ratio appetitum irascibilem et concupiscibilem, et intellectus voluntatem. Atqui id esse non potest, nisi potenti» distinguantur ab anima ; nam idem secundum idem non seipsum ciet et movet, nec est simul movens et motum. Ergo.

Pariter, deprehenditur inter facultates pugna et conflictus, v. g., inter sensitivas et intellectivas, imo inter diversas facultates sensitivas. Qui conflictus non exurgeret si omnes facultates ipsi essentiæ identificarentur (1).

Qu» thesis ex sequenti plenius roboratur. Unde sit

V. — Secunda conclusio : Facultates ab essentia distinguuntur, non sicut modus a modificato, sed sicut res a re.

Arg. Ium. Essentia est potentia cujus actus est esse substantiale, facultas autem est potentia cujus actus est operari accidentale. Atqui potentia qu» respicit ceu terminum proprium operari accidentale non potest esse merus modus potenti» illius qu» pro actu sibi vindicat esse substantiale ; immensa namque distantia qu» inter esse substantiale et operari accidentale intercedit nullatenus potest in distinctione pure modali reponi. Ergo facultates inter et essentiam, non pure modalis, sed stricte realis, viget distinctio.

Arg. IIum. Gum pendere intrinsece ab organo et esse ab organo prorsus independens, essentialiter distinguantur, necesse est ut inter facultates organicas a corpore dependentes et facultates pure spirituales, non modale, sed stricte reale intercedat discrimen. Atqui animæ potenti» ali» sunt organic» a corpore dependentes, ali» autem omnino immateriales. Ergo facultates inter se distinctione non modali, sed stricte reali discriminantur. Quod si realiter entitative ab invicem discernantur, eodem jure sunt distinguendæ a sua communi radice,

(1) Cf. Q. *De Anima,* a. 12.

scilicet animæ essentia. Illa enim quæ non sunt eadem inter se nec eadem sunt uni tertio.

— Cum vero dicitur facultates distingui ab essentia sicut rem a re, nonest intelligendum sicut rem ab alia r *i* extranea, vel sicut unum subjectum ab alio subjecto ; sed sicut accidens praedicamentale proprium a substantia in qua radicatur et cujus est inseparabile consecutivum.

V*L —**An et qua ratione facultates ab essenti**v. **profluant.** Quamvis facultates ab essentia discriminentur, ab ipsa tamen dimanant. Etenim subjectum facultatum vel est anima sola vel compositum. In utraque autem hypothesi necesse est ut facultates ab anima profluant. Ergo. Prob. min. Si subjectantur in anima sola, palam est ipsas ab anima dimanare.Quoad alteram vero hypothesim, sic arguitur : Accidens causatur in subjecto secundum quod est actu. Atqui compositum humanum est actu per animam, sicut compositum physicum in actu reponitur per formam. Ergo, etiamsi subjectum sit comporitum, facultates ab anima tanquam a principio profluunt (1).

Difficultas vero est quomodo oriantur : utrum per veram causalitatem, an per solam resultantiam, seu dimanationem. Existimat Suarez substantiam emittere suas proprietates vera et propria actione, quamvis generans, seu producens substantiam, dici possit mediate gignere proprietates (2). At ex hac sententia duo sequuntur incommoda : primum, quod substantia sit immediate operativa ; secundum vero quod aliquid producat effectum in semotipso,etsimul sit agens et patiens, movens et motum. Nec minuitur difficultas si reponatur generans mediate producere proprietates. Nam vel actio generantis aut creantis ad productionem substantial terminatur, et tunc nullatenus transit ad proprietates, et premit iterum praecedens difficultas ; vel terminatur ad productionem proprietatum, et tunc ipsa substantia illas non efficit actione vera et propria, et sic evanescit illa sententia.

Itaque tenemus, cum Thomistis, proprietates ab essentia profluere per dimanationem, seu resultantiam, ita ut actio

(1) 1. P. q. 77, a. 6.

(2) Cf. St ja k jsz, lib. II, *De Anima,* c. III, et *DispAS Metaphys,* sect. 3.

generantis vel creantis attingat simul et substantiam et proprietates vi naturalis connexionis qua cum substantia colligantur, juxta axioma : *Qui dat esse dat consequentia ad esse.* Actio producentis attingit itaque substantiam, et substantia est medium deferens actionem ad proprietates : quocirca proprietates *congenerantur,* si substantia generatur ; vel *concreantur,* si substantia creatur, sicut anima intellectiva (1).

VII. — An facultates ab essentia separentur, vel separari possint. De facto, potentiæ non sunt ab anima separabiles : facultates quidem spirituales in eodem semper esse perseverant, etiam in anima separata ; facultates vero organicæ, cum sint totius conjuncti, non persistunt actu in anima separata, sed remanent virtute sicut in principio, seu radice. An vero divinitus separari possint facultates disputatur inter Scholasticos.Proprietates quidem corporeae possunt are miraculose sejungi, sicut quantitas in Eucharistia avellitur a pane et vino. Verum facultates *vitales* intimius connectuntur substantiæ quam proprietates corporeae suo subjecto. Unde major hic obest difficultas. Operatio quidem intrinsece vitalis non potest esse sine subjecto vitali illam intrinsece eliciente ; quocirca repugnat intellectionem ab intellectu separari. At vero minus pendet intellectus a substantia quam intellectio ab intellectu, et idcirco non constat absolute repugnare intellectum a substantia sejunctum, ut tenent plures Thomistæ. Si autem potentiæ vitales ab anima separentur, existent quidem sine subjecto, sed non operabuntur vitaliter, cum desit primum principium se movens ab intrinseco, scilicet animæ essentia. Quo casu, anima potentiis sensitivis et intellectivis privata diceretur adhuc sensitiva et intellectiva radicaliter, quamvis non formaliter et proxime, sicut aqua calida est radicaliter frigida (2).

Difficultates contra facultatum distinctionem fieri solitas jam in Logica solutas reperies (3).

(1) Cf. I. P. *Phil. Nat.* Tract. II, q. II, a. II, n. X, vol. II, p. 144.

(2) Cf. Bannez, I. P. q. 77, a. 1, dub. 1, ad 4; — Joannes a S.Thoma, *Phil. Nat.* III P. q. IT, a. II, solv. arg., ad. 3.

(3) Tract. III, q. IV, a. III, n. V, pp. 479, seqq.

ARTICULUS SECUNDUS.

-D-E *PRINCIPIO POTENTIARUM SPECIFICATIVO* (1).

I.—**Facultates important respectum ad altorum.** Potentiæ, habitus et actus, ut acute observat Joannes a S. Thoma, sunt quoddam genus entis nec pure absolutum, nec pure relativum, sed habens rationem absoluti cum respectu transcendental! ad alterum.

A natura in ordine ad alterum tribuuntur, qua ex parte non sunt pure absoluta ; aliunde, non deserviunt ad pure recipiendum, sed etiam ad operandum, et ideo non sunt mere relativa. Quia ergo cx proprietate naturæ suæ ordinantur ad alterum, dicuntur ab altero specificati.

II. — Distinguitur duplex specificativum : intrinsecum et cxtrlnsccnm. Specificativum *intrinsecum* est illud quo res formaliter et intrinsece in sua specie constituitur. Porro unumquodque in sua specie reponitur per sua prædicata essentialia. Ergo prædicata essentialia sunt specificativa intrinseca. Id vero quo primario et principaliter res in sua specie collocatur est ultima differentia ; quæ idcirco principatum inter specificativa intrinseca obtinet ; sic rationalitas est intrinsecum hominis specificativum.

Porro omne ens creatum et speciem et essentialia prædicata a causa extrínseca accipit. Quapropter specificari etiam debet a causa illa quæ tribuit ipsi essentiam et speciem. Hoc autem specificativum extrinsecum est prius praedicatis essentialibus, quia ipsa prædicata causât et est id in ordine ad quod prædicata definiuntur et intelliguntur. Quod vero prius est et etiam

(1) Cf. S. Thomas, I. P. q. 77, a. 3 ; Cajbtanus et Bannez in h. L; Joannes a S. Thoma, Idc. cit. a. III ; Sylv. Maubus, lib. III, et lib. IV.

principalius reputatur. Igitur specificativum extrinsecum censetur specificativum principalius, et inter illa specificativa extrínseca illud quod præstat ultimam differentiam magis proprie specificat

III. — Specificativum ita sumptum, licet extrinsecum sit ipsi rei specificatae, intrinsecum tamen est definitioni rei. Res nempe secundum suam essentiam ita commensuratur et proportionatur alicui extrínseco ut nonnisi per ordinem ad illud intelligi et definiri queat. Quibusdam exemplis id patescit. *Vestimenta* hominis nequeunt definiri nisi per ordinem ad corpus humanum ; unde qui cognosceret vestimentum non ordinatum ad corpus hominis, non compararet genuinum humani vestimenti conceptum. *Imago, statua, pictura,* non possunt ab exemplari praescindere ; hinc qui definiret imaginem, statuam, non habito respectu ad exemplar,imaginis vel statuae naturam nullatenus perciperet.Econtra, membra hominis bene definiri possunt.absque ullo ad vestimenta respectu,, et exemplar, v. g., *homo,* apprime dignoscitur absque ordine ad suam imaginem vel statuam. Itaque vestimenta specificantur a membris, imago, statua ab exemplari, membra e contra non specificantur a vestimentis, nec exemplar a statua vel imagine. Hac ratione dicimus per actus et objecta specificari potentias, quatenus potentiae nequeant nisi per transcendontalem ad actus et objecta ordinem definiri.

IV. — **Multiplex objectum.** Recolendae sunt breviter objecti notio et divisio. Objectum *materiale* est illud omne quod facultati subjicitur, sicut corpus est objectum materiale visus. Objectum vero formale est duplex : formale *quod,* seu *ratio quæ,* et formale *quo,* seu ratio *sub qua.* Formale *quod* est id quod primo et per se attingitur in objecto materiali, et ratione cujus caetera percipiuntur. Sic *color* est objectum formale *quod* visus, quia ratione coloris oculus et corpus et ea quae sunt in corpore attingit. Objectum formale gnoest modium quo facultas defertur ad objectum materiale et formale *quod.* Sic *lux* est objectum formale *sub quo* visus, quia per lucem oculus attingit et corpus et colorem.

Objectum autem *adaequatum* dicitur illud quod terminat

potentiam, et complectitur quidquid potest cadere sub facultate et attingi ab illa, sive primario, sive secundario, tum quoad rationem formalem sub qua attingitur tum quoad ^materiale quod attingitur, sive facultas in illud vi propria et naturali tendat, sive etiam supernaturaliter adjuta.

V. — **Prima conclusio : Actus et objecta non sunt** specificativa intrinseca potentiarum. Ratio perspicua est. Specificativa intrinseca sunt prædicata essentialia et differentia ultima. Atqui actus et objecta non sunt ipsa prædicata essentialia aut differentia ultima, ut liquet, sed sunt *extra* ipsam facultatem, ut objecta, vel *post* facultatem, sicut actus. Ergo.

VI. — Secunda conclusio : Actus et objecta sunt specificativa extrínseca, hac tamen ratione ut potentiæ definiri nequeant, nisi per ordinem ad actus et objecta.

Arg. Ium. Quod natura sua destinatur ad alterum non potest nisi per ordinem ad illud definiri. Atqui potentiæ animæ, utpote principia immediate operativa, natura sua ad operationem feruntur (1) ; ideoque et ad objecta, sino quibus non concipitur operatio. Ergo potentiæ animæ non possunt definiri nisi per ordinem ac actus et objecta. Ergo actus et objecta sunt principia definitiva potentiarum. Sed principium definitivum est etiam spccificativum, nam definitio speciem manifestat. Igitur actus et objecta sunt principia potentiarum specificativa.

Confirmatur : Sicut serra ost instrumentum secandi, ita potentiæ sunt instrumenta suarum actionum, licet perfectiori modo. Atqui serra specificatur ab actu secandi. Ergo potentiæ specificantur ab actibus suis, et consequenter ab objectis. Ita Sylv. Maurus.

Arg. IIum, speciale pro facultatibus cognoscitivis. Imago specificatur a suo exemplari, non autem e converso. Atqui omnes cognitiones nostræ imagines sunt suorum objectorum ; nam, ut cognitio peragatur, debet in facultate progigni simi-

li) « L'acte est pour la puissance ce qu'est l'expansion pour la force, le vol pour l'aile de l'oiseau, un perfectionnement virtuel qui la complète et l'achève. » Al ibert, *La Psychologie thomiste et les théories modernes,* p. 27.

litudo objecti. Ergo omnis cognitio specificatili· ab objecto. At rursus ex cognitione specificatur potentia cognoscitiva. Ergo facultas ab objecto demum specificatur.

Actus vero aliarum potentiarum, licet non sint imagines objectorum, ipsis tamen debent commensurari et proportioned, et consequenter ab ipsis specificari.

Inde etiam liquet potentias specificar! *immediate et proxime* ab actibus; *mediale* autem et *ultimate* ex objectis. Actus enim se habent sicut motus quidam. Sed motus specificatur ex termino ; sicut motus calefactionis ex termino qui est calor acquisitus, motus vero infrigidationis ex termino qui est frigus inductum. Ergo actus ex terminis suis spocificantur. Sed termini sunt objecta, quæ dicuntur finis actuum et *ultimum* potentiae. Itaque objectum est ultimum specificativum ; immediate quidem specificai actum, mediante vero actu potentiam.

VII. —Tertia conclusio: Objectum specificativum non est materiale, sed formale tantum. Probatur : Objectum non diversificai et specificai actum vel potentiam secundum quod est in seipso,sed secundum ratio lemqua attingitur a potentia. Sic pomum, ut in seipso est, non specificat visum et odoratum, alioquin ambe· essent una et eadem facultas ; sed diversificat **ex** eo quod ab oculo secundum rationem coloris, ab odoratu vero secundum rationem odoris attingatur. At objectum ut in seipso est objectum materiale, objectum vero secundum rationem qua a potentia attingitur est objectum formale. Ergo objectum quod specificai est objectum formale, non matedale.

Confirmatur. Id quod proprie specificai motum est terminus formaliter sumptus ; quod specificat calefactionem non est aqua ut sic, sed aqua ut calida, seu calor inductus. At terminus formaliter sumptus est objectum formale. Ergo.

VIII. — Solvuntur difficultates. — I0 Distinctio inter objecta formalia est distinctio rationis. Atqui distinctio rationis in objectis non potest distinctionem inducere realem in potentiis. Ergo objecta formalia nequeunt specificare et distinguere potentias.

Reso.: Nego minorem. Sicut una causa, seu virtus, quæ est

entitativc una, producit offectus realiter distinctos, ut patet in virtute divina, ita objectum entitative unum potest diversas inducere specificationes reales, quia virtualitcr multiplex est etæquivalet pluribus realiter distinctis.

2° Causa non specificatur a suo effectu. Atqui actus sunt effectus potentiarum. Ergo potentiæ non spccificantur a suis actibus.

Respondeo cum Thomistis : Dist. maj. : Causa non specificatur ab effectu, ut effectus est a causa producendum, concedo ; ut est finis propter quem causa intenditur et ad quem tota ejus essentia ordinatur, nego. Contradist. min. : Actus sunt effectus potentiarum, effectus simul et finis, concedo, effectus tantum, nego.

Actus, si considerantur in ordine exeeutionis, sunt effectus a potentia dependentes et a potentia producti, qua ratione potentiam non specificant ; attamen diversitas potentiarum ex actuum diversitate manifestatur. In ordine vero intentionis actus sunt finis potentiarum, non enim tribuitur potentia nisi propter actum, juxta axioma : *Quodlibet est propter suam operationem.* Hoc modo actus priores sunt potentiis et ipsas specificant.

3° Quod est in organo specificatur ex organo. Atqui facultates inferiores sunt in organis. Ergo distingui et specificari debent per organa, non voro per objecta.

Resp. : Dist. maj. : Quod est in organo et est propter organum, specificatur ab illo, concedo ; quod est in organo ita ut organum sit propter illud, specificatur ab organo, nego. Contradist. min. : Facultates inferiores sunt in organis, ita ut organa sint propter facultates, concedo ; ita ut facultates sint propter organa, nego, et nego conseq.

Cum facultates se habeant sicut actus, formae et perfectiones organorum, priores sunt organis in naturæ intentione, et natura organa instruit et ordinat ad facultates, sicut intendit materiam propter formam. Quamvis ergo facultates organis indigeant, non idcirco debent ab organis specificari, sicut membra, quamvis vestimentis utantur, non tamen ab illis speciem desumunt.

IX. — Alius respectus in specificatione attendendus. Con-

sideraVimus hucusque potentias formaliter, ut principia operativa ; at rursus spectari possunt reduplicative ut animæ attributa, vel secundum distinctionem suam numericam. Quatenus attributa, ex anima speciem sortiuntur. Proprietates enim, ut sic, capiunt naturam principii a quo dimanant seu resultant ; et hac ratione essentialiter differunt animæ facultates et vires corporum physicæ. Numericam autem unitatem et distinctionem desumunt facultates ex unitate et distinctione numerica subjectorum quibus insunt, sicut generatim accidentia individuantur a subjecto (1).

Quæ de facultatum vitalium specificatione disseruimus valent pro cæteris omnibus potentiis, necnon pro habitibus sive intellectualibus sive moralibus, sive virtutibus, sive vitiis, etc.

(1) I. P. *Phil. Nat.* Tract. IL q. IV, a. II, vol. Π, p. 25Λ

ARTICULUS TERTIUS

DE DIVISIONE ET SUBJECTO POTENTIARUM

I. — BMsio facultatum iu philosophia moderna. De numero et varietate facultatum valde anceps et obscura est opinio veterum, excepto Aristotele, cujus placita amplexati sunt Scholastici. Recentiores autem philosophi, pessumdata vera doctrina de unione animæ et corporis, ad tres classes revocant potentias : *Sensibilitatem, intellectum, voluntatem,* ita Spiritualist», juxta triplicem factorum seriem : intellectivorum, sensitivorum, ac volitivorum (2) ; vel : *Facultates vitæ vegetativas, faculiatesque vitæ sensitivæ, ac facultates vitæ socialis,* ita Positivistæ. — Bain omnia mentis phænomena ad hæc tria reducit : *Affectum,* (feeling, le sentiment); *volitionem,* seu voluntatem ; *cogitationem,* seu intellectum vel cognitionem. Sensationes autem partim ad affectum, partim ad cogitationem referuntur.

Imo nonnulli facultates omnes eliminant, quippe qui nonnisi facta agnoscunt (3). Quare non tres facultates, sed tria genera factorum psychologicorum, ponuntur : facta *affectiva* factaque *intellectiva,* ac facta *voluntaria.*

II. —Animadversio in praefatas divisiones. Non solum ex hoc peccant quod abstrahant a fundamentali specificativo,

(1) Cf. S. Thomas I. P. q.q. 77 et 78, ejusque commentatores supra citati.

(2) « Il y a ni plus ni moins trois classes de faits et de fonctions psychologiques : des faits représentatifs ou faits intellectuels, des faits affectifs ou sensitifs, des faits volitifs ou de volonté. » Rabier, *Psycholog.p.80.*

(3) a Les mots *faculté, capacité, pouvoir,* qui ont joué un si grand rôle en psychologie, ne sont que des noms commodes au moyen desquels nous mettons ensemble dans un compartiment' distinct tous les faits d'une espèce distincte ; ces noms désignent un caractère commun aux faits qu'on a logés sous la même étiquette; ils ne désignent pas une essence mystérieuse et profonde qui dure et se cache sous le Aux des faits passagers, a Taine, *De rIntelligence,* préface, p. 1.

scilicet objecto, sed multis et gravissimis erroribus tanquam fundamentis nituntur. Vel enim negant realitatem accidentium et realitatem potentiae, quam sensus communis et metaphysica invicte demonstrant ; vel confundunt phaenomena et effectus cum causis ct principiis, appetitionem cum cognitione, et cognitionem sensitivam cum intellectiva, ex quo evertitur vera spiritualitatis et moralitatis notio. Vel saltem mancae et inadæquatæ sunt, omittentes facultatem exeeutivam et locomotivam, qua tamen homo carere non potest.

Insuper, falso contendunt illas solum esse animæ potentias quarum habetur conscientia. Licet quippe conscientia necessarium et infallibile criterium sit in suo ordine, non est unicum experientiae medium : sive enim observatione externa sive ratiocinio deprehendi possunt aliæ potentiæ quæ sensui intimo non subjacent, ut potentiæ vegetativae.

Demum, vocabula, in præfatâ divisione, æquivocatione laborant ac nimis patent : nam ad unam facultatem cognoscitivam revocantur facta omnino dissimilia et irreductibilia, ut sunt cognitio empirica et cognitio abstracta, metaphysica, universalium, infiniti, etc.; sensibilitati etiam adseribuntur facta diversi omnino generis, ut sensatio physica et delectationes ac gaudia ordinis moralis ac spiritualis.

III. — **Fundamenta ver» classificationis.** Supponendum est imprimis potentiæ inesse objectivam realitatem, ut ostendemus in Ontologia ; et consequenter facultates esse veras animæ realitates, veraque principia quæ suapte natura ad operationem ordinantur ; secundo, realem vigere distinctionem inter substantiam et accidens, essentiam et facultates ; tertio, principia distinctiva esse objecta formalia. Quibus admissis, sponte fluit naturalis facultatum divisio.

IV. —Conclusio: Quinque sunt genera potentiarumanimæ. Probatur. Potentiæ divcrsificantur per objecta formalia. Sed quinque sunt genera objectorum formalium. Ergo quinque ge nera potentiarum.

Prob. min. Primo, est aliquod objectum restrictum parumque extensum, scilicet solum corpus animæ unitum ; et huic objecto respondet potentia *vegetativa,* quæ non agit ad exte

riora, sed tantum in corpus cui anima conjungitur.— Secundo, est aliud objectum majoris amplitudinis seu extensionis, nempe omne corpus sensibile. — Tertio, est objectum adhuc universalius, scilicet omne ens universaliter. Ista porro objecta, quamvis sint ambo extrínseca animæ, debent tamen ipsi aliquc modo uniri, nam oportet operans aliquo modo conjungi objecto circa quod operatur. Vel ergo conjunctio fit in quantum objectum est per suam similitudinem in anima præsens, vel in quantum ipsa anima tendit ad objectum. In primo casu, conjunctio quidem objecti minus communis, nempe corporis sensibilis, fit per speciem sensibilem, et ad hoc ordinatur potentia *sensitiva ;* conjunctio vero objecti universalissimi fit per speciem universalem et spiritualem, et ad hoc ordinatur potentia *intellectiva.* In altero autem casu, anima tendere potest in objectum inclinatione et affectu, et ad hoc ordinatur potentia *appetitiva.* Sed quandoque objecta utilia distant secundum locum, et nociva sunt nimis propinqua . Ut ergo utilibua fruatur, debet ad illa motu locali tendere, et ut nociva vitet, debet motu locali fugere, et ad hoc ordinatur potentia *locomotiva,* qua anima utilibus uniri et nociva vitaro potest.

Sunt igitur quinque potentiarum genera : *potentia vegetativa, sensitiva, intellectiva, appetitiva, locomotiva* (1).

Notetur oportet *appetitivam* iterum esse dividendam, secundum quod objectum ad quod tendit anima est bonum sensibile aut bonum universale et spirituale. Est igitur *appetitiva sensitiva,* et *appetitiva rationalis,* quæ dicitur voluntas.

V. — Præfata divisio est secundum genus, non secundum differentiam ultimam. Objecta formalia, prout in præfata divisione considerantur, sunt quædam genera quæ per speciales rationes formales adhuc contrahi possunt et sub' quibus contineri possunt plures species ultima). Sic sub genere vegetativi includuntur tres species : *nutritiva, augmentativa, generativa.* Sub genere sensitivi referuntur quinque facultates externæ, quatuor internæ. Sub genere intellectivi plures sunt facultates, intellectus nempe agens et possibilis, ut ostendemus in Psychologia; sub genere appetitivi sensitivi continentur species concupiscibilis et irascibilis.

<1)1. P.q. 78, a. 1.

VI. —Potentiæ vitales confundi non debent cum modis vivendi. Potentiarum genera, ut dictum est, distinguuntur secundum genera objectorum, modi vero vivendi discernuntur secundum gradus viventium. Quaedam enim viventia sunt in quibus est tantum vogetativum, sicut in plantis. Quaedam vero in quibus cum vegetativo est etiam sensitivum, non tamen motivum secundum locum, sicut immobilia animalia, ut conchilia. Quaedam vero sunt quæ habent insuper motivum secundum locum, ut perfecta animalia, quæ multis indigent ad suam vitam ; et idcirco ipsis opus est motu ut vitæ necessaria procul posita quœrere valeant. Quædam demum viventium sunt in quibus cum his est intellectivum, scilicet in homine. Appetitivum autem non constituit aliquem gradum viventium, quia in quibuscumque est sensus est appetitus (1).

Quatuor ergo sunt gradus in *modis* vivendi : I0 *vegetativum tantum ;* 2° *vegetativum* et *sensitivum ;* 3° *vegetativum, sensitivum* et *locomotivum ;* 4° *vegetativum, sensitivum, locomotivum* et *intellectivum.* Sed in eodem vivente, scilicet in homine, sunt quinque genera potentiarum vitalium : *vegetativa, sensitiva, intellectiva, appetitiva* et *locomotiva.*

VII. — Utrum multitudo potentiarum perfectionem arguat an Imperfectionem. Distinctio facultatum ab essentia et facultatum inter se arguit quamdam limitationem, quæ Primo Enti adscribí nequit. Unde in Deo nec plures sunt facultates nec est distinctio facultatum ab essentia. Creata vero pluribus motibus perfectionem adipiscuntur. Quæ bonitatem perfectam paucis motibus obtinent superiores sunt illis quæ ad eamdem beatitudinem multis indigent motibus. Aliunde tamen melius est perfectam consequi bonitatem motibus multis, quam imperfectam, paucis motibus; sic melius est perfectam adipisci sanitatem multis remediis, quam modicam sanitatem paucis. Res porro quæ sunt infra hominem paucas ct determinatas suscipiunt operationes et virtutes, quia particularia bona tantum consequuntur. Homo vero, quia potest consequi universalem beatitudinem et bonitatem perfectam, multas habet operationes et virtutes. Multitudo ergo poten-

ti) Ibid.

tiarum in homine est signum perfectionis, quippe quæ arguit et manifestat hominem esse bonitatis perfectæ capacem.

Quæ tamen perfectio est relativa, admixtam habens imperfectionem ; unde angeli, qui sunt in gradu altiori, pauciores suscipiunt facultates.

Hæc perfectio apprime nostræ naturæ congruit : cum enim anima humana sit in confinio spiritualium et corporalium creaturarum, concurrere in ipsa debent virtutes utrarumque. Ergo ad animæ nostræ perfectionem requiritur ut abundet diversitate potentiarum (1).

VIII. — Do facultatum, subjecto (2). Triplex precipua hic occurrit sententia. Alii auctores facultates omnes etiam organicas in anima tanquam in proximo subjecto reponunt. Ita Henricus Gandav., Gregor. Arimin., Cartesiani (3). Alii facultates, omnes etiam intellectivas, in corpore, vel in sola materia nervea. Ita Positivistæ, Materialistæ, Sensistæ. Alii demum spirituales facultates in sola anima, organicas vero nec in anima sola, nec in corpore solo aut sola materia nervea, sed in toto organismo animato. Ita Scholastici.

IX. — Prima conclusio : Anima est radix omnium potentiarum, sed non est subjectum proximum potentlæ organicae. Quomodo anima sit radix et qua ratione facultates ab ipsa profluant, dictum est in primo articulo. Probatur vero animam non esse proximum facultatum organicarum subjectum.

Arg. Ira1.Cum sensatio ex sensibilibus originetur, subjectum facultatis àensitivæ debet esse illud quod ab objectis externis patitur. Atqui anima non patitur secundum se ab objectis externis. Ergo anima non est secundum se subjectum facultatis sensitivae. Ratio· minoris est quia objecta extensa et sensibilia non possunt ratione sui in substantiam simplicem et spiritualem agere.

(1) Cf. q. 77, a. 2.
(2) Ibid. a. 5. Cajetanus, Bannez, in h. i.
(3) Huic sententiæ videtur adhœrere Bossuet : « Ainsi la sensation est une chose qui s'élève après tout cela, et *dans un autre sujet, c'est-à-dire non plus dans le corpst mais dans l'âme seule.* Connaissance de Dieu et de soi-même,* III, 22.

Arg. num.Omnis sensatio est cognitio quædam objecti sensibilis. Atqui, si anima est immediatum sensationis subjectum, impossibilis fit sensibilium objectorum cognitio. Ergo anima non est proximum sensationis, ideoque nec facultatis sensitiva), subjectum.

Prob. min. : Cognitio fit in quantum objectum cognoscibile recipitur in cognoscente. Atqui objecta sensibilia, ut dictum est, non possunt in anima spirituali recipi, nihil quippe extra genus suum agit, anima autem est extra sensibilium genus. Ergo impossibilis evaderet cognitio quævis. Objecta quidem possunt in organismum materialem imprimere, at ipse organismus, cum nihil producere valeat in substantiam spiritualem, non poterit suas impressiones animæ renuntiare. — Cætcrum, nonnisi subjectivas referret modificationes ; quare nihil objectivi perciperet anima, sed affectiones subjecti dumtaxat ; hinc fit in subjcetivismum lapsus. Demum adversariorum sententia nititur falsa theoria de unione accidentali animæ et corporis ; unde ruinosa est sicut ipsius fundamentum.

X. —Secunda conclusio i Subjectum potentina scnsitiviD non est materia nérvea sola» sed organismus, seu compositum animatum.

Probatur.Omnis sensatio,sive repræsentativa sive affectiva, est positive una. At repraesentatio positive una non potest subjectari in sola materia. Ergo sola materia non est sensationis subjectum. Declaratur argumentum. Sensatio repræsentativa est una, siquidem apprehendendo triangulum, qui est quid multiplex, compositum et divisibile, per synthesim quamdam ad modum unius unica repraesentatione, percipimus; pari jure sensatio affectiva, ut delectatio, dolor, indivisibilis existit; impossibile quippe est delectationem aut dolorem per fractiones partiri. Materia autem, cum sit extensionis et diffusionis principium, non potest res divisas et extensas in unitatem redigere. Ergo. Subjectum itaque sensationis requirit simul elementum extensum, quod ab objectis patitur, et elementum simplex, quod est unitatis principium et causa (1). Elementum

(1) Licet sensatio requirat solummodo principium quod sit positivo unum, mediate tamen arguit principium simplex. Etenim principium primum unitatis non debet iterum subjici multiplicitati. Atqui principium quod multiplicitati non subjicitur est simplex. Ergo principum initatis primum simplex est.

porro simplex est anima, elementum vero extensum est organismus. Ergo subjectum sensationis adæquatum ex organismo et anima conflatur, seu est organismus ipse animatus (1).

XI. — Dc subjecto facultatum spiritualium. Tandem animam solam sine corpore esse subjectum immediatum facultatum intellectivarum, omnino liquet. Facultas enim in corporeo subjectata, ab ipso corporeo pendet in suo esse et operari, cum omne accidens a suo subjecto dependeat. Atqui facultates intellectivae omnimoda supra materiam independentia gaudent. Ergo sunt omnis subjecti corporei expertes. Restat igitur ut in sola anima suscipiantur.

(1) «En fin de comptera théorie de la matière vivante semble la plus plausible et la plus rationnelle. Elle s'appuie : I0 sur le témoignage de la conscience qui en nous perçoit la sensation comme un état extensi[; 2° sur le fait de la localisation difficile ù expliquer en dehors de la conception thomiste. » Aubert, *La Psychologie thomiste et les théories modernes,* p. 58-59.

ARTICULUS QUARTUS.

DE ORDINE ET PROPRIETATIBUS POTENTIARUM,

I. — **Quadruplex ordo in potentiis.** Considerari potest in potentiis ordo secundum quatuor causarum genera : Ordo causæ quasi efficientis, in quantum profluunt ab anima per resultantiam, quæ ad causæ efficientis genus reducitur ; ordo causæ quasi materialis, ex parte subjecti in quo recipiuntur facultates ; ordo causæ formalis, qui attenditur secundum perfectionis gradus ; ordo demum causæ finalis, quia omnes ad proprium finem, scilicet operationem, et ad bonum totius viventis tendunt.

II. — Triplex alius ordo : generationis, dependentiae, dignitatis. Ratione generationis et secundum ordinem temporis facultates imperfectiores priores sunt perfectis, sicut generatila ex imperfecto ad perfectum devenitur. Vegetativæ prius agunt quam sensitivœ, et sensitivæ prius quam intellectivae, nam in principio nullum vitæ intellectualis actum homo elicit ; imo in sententia de successione animarum prius sunt facultates vegetativæ, deinde sensitivæ, cum corpus est sufficienti organizatione praeditum ; ultimo vero intellectivae, cum anima organismo perfecto infunditur. In altera vero opinione omnes facultates quoad *esse* ab initio consistunt, sed quoad *operari* priores sunt imperfectae perfectis.

Ratione dependentiae attenditur ordo secundum quod una supponit aliam, vel una aliis imperat easque dirigit. Secundum primum respectum, sensitiva vita pendet a vegetativa, intellectiva autem quoad operationem extrinsece indiget vita vegetativa et sensitiva. Inter vegetativas vero potentias generativa pendet ab augmentative, augmentative autem a nu-

tritiva. Inter potentias autem vitæ sensitivæ, cognoscitivas supponunt appetitivæ ; locomotiva autem appetitivas ; quia enim appetit homo ideo movetur secundum locum ad rem appetitam capiendam.

Quoad alterum respectum, inferiores pendent a superioribus ; nam intellectus dirigit voluntatem, voluntas vero sensitivis imperat.

Ratione dignitatis attenditur ordo secundum nobilitatem et amplitudinem objecti. Unde priores sunt quæ universalius respiciunt objectum. Intellectivæ ergo, quæ pro objecto exposcunt universaliter omne ens, sensitivas superant, quæ solum circa omne corpus sensibile versantur : sensitivæ autem vegetativas excedunt, quæ habent pro objecto corpus animæ unitum. Inter sensitivas vero visus est perfectior, quia visibile est naturaliter prius, et excellentius ; auditus est perfectior olfactu, quia sonus audibilis est naturaliter prior et purior odore. Inter vegetativas excellit generativa ; nam nutritiva et augmentative habent effectum suum in eo in quo sunt, generativa vero habet effectum non in eodem corpore sed in alio : quia nihil est generativum suiipsius (1).

III. — **Utrum una potentia animæ oriatur ab alia.** In his quæ secundum naturalem ordinem procedunt ab uno, sicut primum est causa omnium, ita quod est primo propinquius est quodam modo causa eorum quæ sunt magis remota. Atqui omnes potentiæ procedunt ab una animæ essentia secundum naturalem ordinem Ergo potentiæ propinquiores animæ sunt quodammodo causae cæterarum ; ac proinde una potentia ab essentia animæ procedit mediante alia. Anima autem comparatur ad potentias sicut principum activum et finale, et sicut principium susceptivum ; nam ipsa est subjectum facultatum, vel seorsum et per se, respectu intellectivarum, vel simul cum corpore, respectu organicarum. Ergo pariter una facultas potest esse causa alterius, vel per modum principii activi et finalis, vel secundum viam susceptivi. Porro agens et finis habent rationem perfecti, susceptivum autem principium, in quantum hujusmodi, est minus perfectum. Consequens ergo

(1) Cf. I. P. q. 77, a. 4, et q. 78, a. 2.

est ut potentiæ priores secundum ordinem perfectionis et naturæ sint principia aliarum per modum finis et activi principii. Sic intellectus est principium sensus per modum finis, nam sensus est propter intellectum, et non e converso ; et per modum principii activi, nam sensus est quædam deficiens participatio intellectus ; unde secundum naturalem originem est quodammodo ab intellectu, sicut imperfectum a perfecto. Secundum viam susceptivi principii, e converso, potentiæ imperfectiores inveniuntur principia respectu aliarum ; sicut anima, secundum quod habet potentiam sensitivam, consideratur sicut subjectum et materiale quoddam respectu intellectus. Et propter hoc imperfectiores potentiæ sunt priores in via generationis; prius enim animal generatur quam homo, vel saltem prius exercentur operationes animalis quam operationes hominis, etiam in opinione quæ tuetur animam in primo instanti conceptionis infundi (1).

IV. — **Ordo et hannoniafacultatum est imago ordinis qui viget in natura.** Vidimus facultates ita esse ordinatas ut vegetativas sint propter sensitivas, et sensitivae propter intellectivas ; ita in universo regnum minerale est propter animale, animale propter hominem, homo vero propter Deum. Facultates autem inferiores sunt priores et principia aliarum in via generationis et secundum ordinem principii susceptivi ; dum aliae priores sunt in ratione principii activi et finalis. Ita in natura prius secundum generationem est imperfectum, sed perfectum est prius dignitate, et est principium activum et finale imperfecti.

V. — **De praecipuis facultatum attributis. —** Neo-Scholastici, cum Sanseverino, sequentia agnoscunt facultatum attributa : *simplicitatem* vel *spiriiualitatem, potentiam obedientialem, activitatem* et *conatum.*

Ex parte primi principii, seu radicis, omnes facultates dicuntur *simplices,* quia omnes in simplici animæ essentia radicantur ; ex parte vero subjecti proximi, facultates inorganicae, quæ in anima sola subjectantur, sunt simplices et spirituales,

(1) Cf. I. P. q. 77, a. 7.

facultates autem organicae, quæ in organismo animato resident, compositioni subjacent. In ipsis enim duo concurrunt^ I0 vis animæ, qua fit ut sensatio sit potitive una ; 2° elementum corporeum, quo fit ut sensatio dicatur extensa.

Spiritualitas competit solum intellectui et voluntati, qui nec sunt corporis actus nec a corpore in esse et operari dependent.

Do potentia *obedientiali,* quæ est in ordine ad Agens Primum et ad actum vires naturæ excedentem, sermo erit in Metaphysica, ubi probabitur dari in omni creatura capacitatem obedientialem, nunquam exhaustam, ad omnes effectus quoscumque voluerit Deus inducere. Hac ratione facultates nostræ aptitudinem habent ad habitus et actus supernaturales : intellectus quidem est in potentia obedientiali ad habitum et actum fidei, lumen gloriæ et visionem beatificam ; voluntas vero ad virtutem et actus charitatis infusæ, etc.

De *activitate* hæc sunt animadvertenda : Quamvis solæ potentiae quæ objectum immutant activæ dicantur, aliæ vero passivœ, omnes tamen vera gaudent activitate. Sunt enim omnes principia vitalia ; de ratione autem principii vitalis est autonomia et operatio immanens. Ergo omnes activitatem quamdam immanentem sibi vindicant (1). Hinc falsa deprehenditur opinio Galluppi, qui potentiam activam reputat quæ agit, passivam autem quæ actionem in se suscipondi dumtaxat capax est.

Si quæ vero potentiæab objectis moveantur ac determinentur et phasipa habeant passivam, iterum reagunt, objectum sibi vitaliter et active assimilant, et hinc phasim suscipiunt activam. Quo autem altior est potentia, eo universalior est activitas, et ad plura se extendit : sic sensus communis unico actu attingere potest ea omnia quæ multiplici actu quinque sensuum externorum apprehenduntur ; intellectus vero unico actu et unica specie percipit omnium objecta sensuum, tum externorum tum internorum, et alia plura quæ nec externos nec internos sensus unquam affecerunt.

(1) « A la différence de la matière, qui est inerte, l'âme et ses facultés ont de l'initiative, une activité spontanée qui se met en jeu à la premiere incitation de l'objet. » Al ibebt , *La Psychologie thomiste et les théories modernes, p. 25.*

VI — Do conatu. Cum facultates sint propter actus, nec possint sine ordine ad illos definiri, naturalem habent inclinationem ad agendum, quæ aptitudo dicitur *nisus,* seu *conatus.* Definitur ergo conatus : *Naturalis inclinatio ad agendum qua unaquæque animæ potentia sponte sua fertur in aliquid sibi proprium.* Igitur non est actus, neque etiam actus imperfectus medius inter potentiam et actum, ut volunt Leibnitz et Hartmann, sed dispositio ad actum ; non est appetitus elicitus, sed tendentia innata, eo fere modo quo omnis forma seu natura ad propriam perfectionem fertur.Non est habitus, nam habitus determinat tali et tali modo potentiam in ordine ad specialem actum, conatus vero estad quemlibet actum in universum.Ncc etiam est dispositio acquisita quæ potentiæ adveniret, sed in ipsa potentiæ natura imbibitur, sicut in natura materiæ est ut appetat formam, et in natura cujusque rei ut prosequatur bonum sibi conveniens. Quocirca conatus mensuratur ipsi naturæ facultatis ; est ergo ad omnem actum tali naturæ proprium, non vero ad aliquem in speciali. Vicissim, operatio facultatis virtuti conatus mensuratur : unde quanto fortior est conatus, eo perfectior fit operatio, sicut eo intensior est motus quo vehementior est impulsus in mobile. Quemadmodum vero inter diversas potentias attenditur ordo et dependentia, ita et inter conatum unius et conatum alterius viget relatio ; unde, si conatus et operationes unius facultatis nimis intenduntur, remissiores et debiliores fiunt conatus et operationes alterius.

VII. — De habitibus. Potentia conatu suo tendit ad omnem actum in universum ; determinatur vero ad aliquem actum specialem per qualitatem quamdam, qua instructa suavius et promptius operatur, quæque dicitur *habitus.* Est ergo habitus qualitas ipsi conatui superaddita, qua facultas disponitur et bene vel male se habet in ordine ad suam operationem. De habitibus nonnulla addemus in Metaphysica ontol. (1).

VIII. — De actibus potentiarum. Actus est ultimum potentiæ, et a potentia reali distinctione discriminatur. Quod

<1) Tract. III. q. III.

nim novam addit perfectionem in subjecto realem importat distinctionem. Atqui actus operationis novam sane addit perfectionem potentiis, imo maximam realitatem, nam tantae dignitatis est actus secundus ut ad illum producendum immediatus requiratur concursus divinus. Ergo actus operationis a facultatibus realiter distinguitur.

Una facultas non potest habere simul plures actus adaequatos. Actus quippe aciæquatus est qui explet totalem potentiæ activitatem. Atqui non sunt simul plures activitates totales respectu ejusdem rei. Ergo non sunt simul plures actus adaequati, sicut nec possibile est aliquod subjectum pluribus formis propriis ct perfectis informari. Si vero agatur de actibus inadæquatis et subordinatis, nihil obstat plures actus esse simul.

IX. — **De habilitate potentiarum ad actum.** Sunt quaedam habilitates seu agilitates quæ ad vivendum, sunt necessariae in suo statu perfecto, et illae sunt a natura insitae ; aliae voro « usu et consuetudine acquiri atque etiam per hæreditatem ad posteros transmitti... Hae igitur habilitates acquiruntur iteratis actibus, deinde latent in organismo et conditionibus ad id aptis excitatae in actum prodeunt atque prodire etiam possunt sine ullo conscientiae adjumento. Quamobrem haud inepte motibus automaticis comparatae carumque activitates secundario-automaticæ sunt vocatæ (1). »

X. — De facultatum cohaerentia. Nomine *cohærentiæ* intelligitur proprietas illa qua omnes facultates, imo, omnes functiones unius viventis inter se connectuntur. Est igitur quaedam sympathia, seu colligatio naturalis, ex eo proveniens quod omnes facultates in eadem essentia radicentur, et omnes organismi partes eadem informentur anima ct ad unum continuum efformandum conspirent. Hinc explicatur cur adeo intima vigeat relatio inter perceptiones et affectiones, inter affectus internos et externum corporis habitum, imo inter affectiones oppositas ; quomodo uno centro nerveo excitato vel irritato, excitentur vel irritentur cætera ; quomodo operationes etiam spirituales effectum quemdam in corpus ha-

(1) Pesch. *Psychol.* n° 428.

beant (1) ; quomodo phantasia, quæ in eadem essentia cum intellectu radicatur, fieri possit intellectus instrumentum ; quomodo demum diversæ activitates se mutuo juvent vel quandoque impediant. « Quia omnes potentiæ animæ in una essentia animæ radicantur, necesse est quod, quando intentio animæ vehementer trahitur ad operationem unius potentiæ, retrahatur ab operatione alterius ; unius autem animæ non potest esse nisi una intentio. Et propter hoc, si aliquid trahat totam intentionem animæ vel magnam partem ipsius, non compatitur secum aliquid aliud, quod magnam attentionem requirat(2).»

Id porro quod in cohaerentia principatum obtinet est appetitus : sensitivus quidem movet omnes potentias in animali, voluntas autem in homine (3).

(1) Gf. supra Tract. II, q. Il, a. I. n° Vili, arg. III, p, 133.
(2) Ia IP q. 37, a. 1
(3) Quomodo voluntas cæteras facultates moveat exponitur ui *Metophys. Psychol.* Tract. II. q. II.

QUÆSITO SECUNDA.

De potentiis sensitivis cognoscitivas (I).

Præcipuas vitæ vegetativæ facultates et operationes sufficienter expendimus in primo Tractatu, Jam vero potentiae vitæ sensitivas cognoscitivas indagamus tum externas, turn, internas, sive in generali sive in speciali, non secundum criterii respectum, qui in Logica consideratur, sed secundum naturam niam psychologice acceptam.

ARTICULUS PRIMUS.

DE SENSIBUS EXTERNIS.

I. — Notio facultatis sensitiva}. In genere, et prout complectitur cognoscitivam, appetitivam et locomotivam, facultas sensitiva definitur : *Potentia per quam anima corpori conjuncta res materiales, prout materiales sunt, percipit aut appetit aut prosequitur.*

Dicitur : I0 *facultas per quam anima corpori conjuncta,* ut innuatur facultates hujusmodi esso organicas, id est nec solius animæ nec solius materiæ, sed organismi animati, ut jam monuimus de potentiarum subjecto. — 2° *Res materiales prout*

(1) Cf. Abistot. IL et III. *De Anima,* S. Thomas, *Commeni, in illos libros;* Alamannus, Joannes a S. Thoma, loe. citat.; *Psychol.;* Faroes, *Le cerveau, Pâme et les facultés.* IIe Partie ; Mercier, n. 53 et seqq.; Pesüh. *Psychol,* tom. II. Disp. III.; Alibebt, *La Psychologie thomiste...,* sect. III.

materiales sunt ; scilicet secundum suum respectum concretum et singularem, et hinc apparet illarum discrimen ab intellectivis potentiis, quæ spiritualia et universalia, vel etiam singularia et materialia modo universali et immateriali, attingunt. — 3° *Percipit, appetit, aut prosequitur,* ut assignetur divisio in cognoscitivas, appctitivas et locomotivas.

II. — Facultates sensitivi© cognoscitivæ. Definiuntur : *Potentiae, susceptiva; specierum sensibilium.* Sicut cera recipit figuram sigilli ferrei sine materia ferri, ut animadvertit Aristoteles, ita, proportione servata, facultates sensitivae cognoscitivæ formas rerum sensibilium sine materia sibi assimilant, adeo ut aliter sit forma in rebus et aliter in facultate: in rebus quidem materialiter tantum, in facultate vero vitaliter et intentionaliter. Illa tamen species non est immaterialis, sed a sensibilibus materialibus pendet, unde dicitur sensibilis, de cujus natura inferius erit sermo.

Itaque potentia cognoscitiva objectum sibi vitaliter assimilât, sibique manifestum facit : actionem ergo exserit essentialiter repræsentativam.

Facultates hujusmodi vocantur *sensus,* qui dividuntur in externos et internos. Nonnunquam sensus accipiuntur pro ipsis organis sentiendi, et ita dicuntur illæ corporis partes quibus insunt potentiæ susceptivas specierum sensibilium. Stricta vero significatione sensus externi definiuntur : *Facultates organicae quarum organa exterius sunt locata et quæ* **externis** *rerum corporearum affectiones et proprietates apprehendunt.* Sensus vero interni sunt *facultates organicæ quarum organa in cerebro collocantur, et quæ* **etiam ipsum subjectum sentiens ejusque affectiones** *percipiunt.* Quæ distinctio ex dicendis innotescet.

III. — **De numero sensuum externorum ex doctrina Angelici.** Rationem distinctionis et numeri sensuum exteriorum quidam accipere voluerunt ex parte organorum ; alii vero ex parte medii , alii tandem ex diversa natura sensibilium. Sed nihil istorum conveniens est. Non enim potentiæ sunt propter organa, sed organa propter potentias ; unde non propter hoc sunt diversae potentiæ, quia sunt diversa organa ; sed ideo na-

tura instituit diversitatem in organis ut congruerent diversitati potentiarum. Naturas autem sensibilium qualitatum cognoscere non est sensus, sed intellectus. Accipienda ergo est ratio numeri et distinctionis exteriorum sensuum socun dum illud quod proprie et per se ad sensum pertinet.

Atqui quod proprie et per se pertinet ad sensum est objectum sensibile. Ergo tot erunt sensus quot sunt objecta sensibilia propria. Sed quinque sunt hujusmodi objecta. Ergo.— Prob. min. Cum sensus sit potentia passiva, quæ nata est moveri intentionaliter ab exteriori sensibili, objectum sensibile est aliquod exterius quod intentionaliter immutat, et sensibilia propria erunt qualitates, seu differentiae primariae, illius immutativi intentionaliter.Sunt autem quinque qualitates seu differentiae primariae illius exterioris immutativi. Ergo. — Declaratur major. : Duplex distinguitur immutatio : alia naturalis et physica, quæ fit secundum esse materiale, alia intentionalis et psychica quæ fit secundum esso vicarium, sed vitale et quodammodo immateriale. Naturalis porro non sufficit ad cognitionem sensitivam, secus omnia corporea naturalia sentirent dum alterantur. Insuper, sensatio est actus immanens et repræsentativus. Ergo requirit immutationem immanentem et repræsentativam, seu intentionalem (1).

Consequenter sensibile externum in communi debet esse aliquod exterius quod intentionaliter immutat, et sensibilia propria debent esse differentiae essentiales illius immutativi intentionaliter. — Probatur vero quinque esse hujusmodi essentiales differentias. Est quædam immutatio intentionalis in qua objectum secundum se sensui non conjungitur, sed mediante lumine, et sic habetur *color,* qui per undulationes aetheris cum oculo communicat et secundum esse quoddam intentionale afficit pupillam. Est aliud immutativum intentionaliter quod tamen prærequirit immutationem naturalem, sed ex parte objecti et secundum locum, scilicet *sonus,* qui ex percussione causatur et aeris commotione. Est tertium' immutativum intentionaliter quod præexigit immutationem alterativam secundum processus quosdam chimicos a rebus aeriformibus; oportet enim chimice alterari res aeriformes, ad hoc

(1) Vide quæ infra disseruntur de natura sensationis, q. III. a. II

ut spirent odorem. Quarto, est immutativum intentionaliter quod requirit immutationem naturalem etiam ex parte organi, secundum processus chimicos a rebus fluidis, in quibus istud sensibile fundatur, scilicet *sapor.* Etenim ut organum gustus immutetur a sapore, debet immutari etiam ros fluida a qua emittitur sapidum. Quinto, est immutativum intentionaliter quod præexigit immutationem naturalem organi secundum qualitatem quæ ei proprie objicitur, seu quæ est ejus proprium objectum, et hujusmodi sunt *qualitates tangibiles,* ut mollities, durities, etc. Hæc enim omnia, ut immutent intentionaliter, exposcunt immutationem naturalem in organismo secundum ipsam qualitatem quæ organo objicitur ; sic manus tangens calidum fit calida.

Sunt ergo quinque differentiae essentiales exterioris immutativi intentionaliter : *Color* distinguit visum, *sonus* auditum, *odor* olfactum, *sapor* gustum, *qualitates tangibiles,* quæ omnes in ratione communi conveniunt, specifIcant tactum. Illa ergo est ratio distinctionis et numeri sensuum (1).

IV.— Addentur sensus orientationis, sensus vitalis, sensus muscularis, etc. Adstruunt quidam sextum sensum, nempe orientationis, quo animalia ad loca debita infallibiliter diriguntur. — Sed ad orientationem sufficiunt quinque sensus externi, sub influxu et directione sensuum internorum. Objectum enim illius, scilicet infallibilis directio, non est quid externum in speciali, sed quid complexum, quod multos, et externos et internos, exposcit sensus.

Alii addunt speciales sensus pro dolore, delectatione, etc. — Sed hujusmodi objecta non sunt aliquid exterius immutativum ; unde ad sensus internos referuntur.

Saltem, aiunt, datur sensus *vitalis* quo diversa phænomcna vitæ vegetativæ, ut famem, sitim, lassitudinem percipimus. — At hæc phænomena ordinis sunt subjectivi, quia sunt subjecti affectiones ; quare inter objecta sensuum internorum recenseri possunt.

Quidam scientifici ponunt sensum *muscularem,* nam cognoscimus pondus corporis ex majori minorive energia musculari quam depromunt brachia in illo ferendo; sicut etiam distan-

ti) Cf. I. P. q. 78, a. 3, corp. art. et resp. ad 3 et 4.

tiam existimamus ex energia musculari quam exposcit deambulatio.— Porro hæc omnia sunt *internas* affectionum muscularium perceptiones, quas interpretamur juxta ea quæ accipiuntur a sensibus externis.

Vel etiam potest sensus muscularis vocari ipse tactus prout ad intra exercetur ; sed liquet non esse specialem sensum.

Videntur tamen plures esse tactus species, cum multæ existant qualitates tactiles. Unde Aristoteles inquirit num tactus, qui est unus genere, dividi possit in plures sensus secundum speciem (1). Verum dici potest illas qualitates *singulas* convenire in uno genere *proximo,* et *omnes* in uno genere *communi,* quod est objectum tactus secundum rationem communem. Sed illud genus commune est innominatum, sicut etiam genus proximum calidi et frigidi est innominatum (2).

Hypnotistæ statuunt esse sensum quemdam latentem, qui in sommo magnetico tantum exercetur novasque et mirabiles sensationes exserit.

At actiones insuetæ neutiquam arguunt potentiam novam, sed solum intensionem, acuitatem, remissionem, aut aberrationem facultatum existentium. Cæterum, nullum illius sensus organum, nullumve objectum formale et specificativum assignare valent.

Ex adverso alii volunt dari unicum sensum, quia opinantur unicum esse sensibile, scilicet motum. Quorum theoria ruinosis omnino nititur fundamentis ; supponit omnia in mundo ad motum localem revocari posse ; varietatem specierum, pulchritudinem universi, realitatem substantiarum perimit (3).

V. — An saltem possibilis sit novus sensus. Quaestionem versarunt Lockius, et præsertim Lamennais et Balmès. Deus, aiunt, posset novum homini conferre sensum, quo casu, contendit Lamennais, res a nobis aliter viderentur ac sunt.

Respondemus : Attento præsenti naturæ ordine non potest novus sensus homini a Deo tribui. Etenim, si possibilis est novus sensus attento præsenti ordine, dicendum est vel actua-

(1) Aristot. II. *De Anima,* c. XI.
(2) D. Thom. I. P. q. 78, a. 3, ad 3.
(3) I. P. *Phil. Nat.* Tract. II, q. I, a. II, n. VI, at q. IH, a. VII, n. IX, vol. II, pp. 101 et seqq., et 230-235.

les sensus esse hominis fini insufficientes, vel sextum fore superfluum. Atqui Deus nec deficit in necessariis nec excedit in superfluis ; unde, sicut in creatione nullam debuit denegare potentiam naturae hominis convenientem, ita nunquam debet addere superfluam. Ergo, attento praesenti ordine, impossibilis est novus sensus.

Absolute tamen posset Deus hominem novo donare organo, et consequenter novo sensu, qui res corporeas sub novo respectu perciperet. Neutiquam vero hæc facultas aliorum sensuum cognitiones labefactaret aut efficeret falsas, ut existimat Lamennais. Cum enim quaelibet potentia a Deo ad propriam perfectionem, seu cognitionem, ordinetur ac moveatur, repugnat prorsus ut nova facultas a Deo indita priori contradicat, secus ipsi Deo contradictio illa adseriberetur. Quocirca in illa hypothesi homo novas sibi pareret cognitiones sensitivas, nihil in cognitionibus priorum sensuum immutando, eo fere modo quo cæcus natus miraculo sanatus novas comparat cognitiones, praecedentibus penitus immutatis. — Jamvero de sensibus in speciali nonnulla sunt adjicienda.

VI. **Corpuscula tactus.** Corpuscula tactui necessaria sunt in triplici differentia. Prima, quæ dicuntur *corpuscula Meissner,* in papillis subjectantur ; in manuum palmis praesertim abundant. Corpuscula secundae speciei, quæ dicuntur *corpuscula Krause,* minoris sunt numeri, sed majoris voluminis ; in oculo et in lingua praecipue reperiuntur. Tertias speciei, seu *corpuscula Pacini et Voter,* majus adhuc exhibent volumen, atque in dermate et musculis panduntur. Densam habent capsulam, quæ in tria concentrica strata dividitur.

VII. — Actio tactus. Tactum determinant pressio corporum, temperatura, conatus muscularis, quo pondus et positionem corporum percipimus, nec non varias aliæ impressiones. Porro, ut progignatur sensatio tactilis, requiritur ut aliqua extremitas nervea commoveatur, atque ut commotio ad cerebrum transmittatur, ac demum ut subjectum sentiens objecto attendat Quamvis autem tactus resideat ubicumque protrahuntur nervi, non ubique eodem gradu peragitur tactilis sen-

satio ; exquisita quidem est in extremitate digitorum, perfecto etiam viget in lingua, imperfecte autem in dorso.

VIII. — Sensus gustus. Residet proprie in lingua, palatum vero solum ad lingua immutationem et impressionem concurrit. Lingua porro instructa est papillis quæ sensationi gustativa destinantur. Triplicis sunt speciei : 1° *papillae filiformes* per totam linguæ superficiem diffusæ, quæ tamen magis tactui quam gustui inserviunt ; 2° *papillae fungiformes* prope linguæ oras in quincuncem dispositæ, quæ dulcibus præsertim afficiuntur; 3° *papillae caliciformes* in formam V ad linguæ radicem ordinata. Lingua inserviunt plures nervi : nervus nempe *hypoglossus,* qui linguam movet et quo secto paralysis in lingua inducitur ; nervusque *lingualis* ,qui est tactilis simul et gustativus ; ac nervus *glosso-pharingianus,* qui pracipuas habet partes in actione gustus. Quædam immutationes linguae pertinent ad tactum ; quæ vero sunt gustus ordinantur ad percipiendos sapores, *dulce* nempe et *amarum.* Dulce summa lingua, amarum autem potius fundo linguæ percipitur. Non fit sensatio tactiva, nisi corpus sapidum dissolvatur ; unde ad gustus exercitium maxime inservit saliva. Odoratus quemdam in gustum exercet influxum; nonnullae quippe medicinae repugnantiam in gustu commovent, quæ desinit si odoratus insensibilis fiat.

IX. — Sensus odoratas. Ad olfactus exercitium requiruntur nasus et fossae nasales ; nasus est quid quasi accessorium, cellulae autem proprie olfactivæ in fossis nasalibus panduntur. Tria porro nervorum paria in fossis protrahuntur ; praecipuus autem est nervus olfactivus, qui cellulas olfactivas ciet et movet. In odoratus exercitio concurrit aeris aspiratio, ut particulæ odoriferæ, quæ per aerem vagantur, contra partes olfactivas applicentur atque ita sensationem determinent. Hinc est quod, nisi aer in fossis nasalibus renovetur, non amplius peragatur sensatio olfactiva.

X. — **De auditu.** Sensus auditus tres in organo habet partes; aurem externam, mediam et internam. Papilio, instar cornu·, acoustici, vibrationes colligit atque per suas anfractuositates-

et depressiones reflectit sonos versus meatum auditivum ; pvr aerem vero meatus auditivi ejusque osseos parietes transmittuntur vibrationes ad aurem mediam. Tunc tympanum vibrationes recipit, agente musculo malleoli. A tympano autem ad aurem internam propagantur soni per aerem auris mediae, sed præsertim per catenam ossiculorum, quæ motus tympani repercutit. In aure vero interna vibrationes ad illam partem perveniunt quæ dicitur *fenestra ovata* (fenêtre ovale), iliique motum imprimunt ; liquidum autem auris internae illum motum sentit et rcproducit.

Cellulæ auditivae vibratilibus præditæ sunt ciliis (cils vibrátiles), quæ vel minima vibratione seu undulatione moventur. Impulsis autem vibratilibus ciliis, impellitur cellula, jamque incipit impressio, quæ ad cerebrum transmittitur ; et tunc, si attendit subjectum, percipitur auditio.

XI. — Quomodo fiat visio. — Radii lucis oculum transeundo, imaginem producunt, secundum easdem leges vi quarum in camera obscura resultat imago realis, minor objecto et inversa. Cornea oculi, humor aquosus,crystallinus,et corpus vitreum, vices gerunt lentis convergentis, iris vero est quasi diaphragma lucem mensurans, pigmentum demum choroidis cameram obscuram constituit. Motus porro, seu vibrationes ætheris, immutant conos et bacilla retinae, in quibus resolutionem quamdam chimicam producunt. Quæ excitatio fibrillis communicatur, et ad cerebrum usque pervenit, et tunc perficitur objecti visio.

Quomodo autem fieri possit ut recta videantur objecta, imagine inversa existente ? « La meilleure solution est que le sens suit la direction des rayons lumineux : les rayons qui sont inférieurs sur la rétine viennent du haut des objets, les rayons supérieurs viennent d'en bas ; en les suivant, *nous extériorisons* dans leur vraie position les points lumineux d'où ils sont partis (1). »

Uterque oculus imaginem habet ejusdem objecti : ambæ autem imagines coincidunt in puncto visuali ubi ambæ directiones visus convergunt, sed in aliis punctis distinctas remanent.

(1) J. Guibebt , *Anatomie et Physiol,* p. 321.

XII. — De ordine sensuum externorum ad invicem. Ordine *dignitatis* eminet visus. Primo quidem, quia ejus species est magis intentionalis magisque immaterialis ; secundo, quia ejus objectum est universalius : plura enim attingit oculus, etiam remota, quæ alios sensus non afficiunt. Hinc infertur visum esse sensum maxime dilectum. « Ille sensus magis ab omnibus diligitur qui magis cognoscitvius est, qui est visus, quem diligimus, non solum ad agendum aliquid, sed etiam si nihil agere deberemus. Cujus causa est, quia iste sensus, scilicet visus, inter omnes magis facit nos cognoscere et plures differentias rerum nobis demonstrat (1). »

Secundo loco venit auditus, cujus species intentionalis magis spiritualis est quam in tribus cæteris ; insuper tres isti vitæ animali et vegetativæ inserviunt, auditus autem vitæ intellectivae, nam percipit sermonem, qui est signum et quasi vehiculum spiritualium conceptuum : hinc est quod dicatur *sensus disciplinée.* Et ideo quaecumque auditum non habent, licet prudentiam habere possint, non tamen sunt disciplinabilia, ut ait Angelicus (2).

Tertio loco est odoratus, nam immutatio in olfactu minus materialis est' quam in gustu. Inservit autem odoratus ad protectionem gustus, ne scilicet quid nocivi os ingrediatur. Ultimo loco est tactus, quia ejus sensatio crassiori peragitur modo.

Ratione *generationis* ille prior est sensus qui est cæterorum fundamentum et ad eorum actionem et incolumitatem necessarius est ; et hic est tactus, qui requiritur ad conservationem animalis, et in quo omnes alii sensus fundantur ; nam in organo uniuscujusque sensus invenitur proprietas tactus. Unde gradus vitæ sensitivæ ex perfectione tactus desumi possunt, sicut in homine bonitas tactus est dispositio ad bonitatem intellectus.

Ordine vero *universalitatis* primum locum obtinent visus et auditus, qui non solum praesentia, sed remota percipiunt; deinde olfactus, qui etiam distantia attingit : tactus autem hac ratione gustum superat, nam tactus universalitate gaudet et in quolibet viget sensu.

Ratione *necessitatis,* tactus est prior, quia requiritur ad sim-

(1) S. Thomas, I. *Metaphys.* lect. I.
(2) *Lac. citat.*

pliciter essendum, deinde gustus, qui ad animalis conservationem ordinatur. Ad vitam vero proprie humanam magis necessarii sunt visus et auditus, qui sunt ministri intellectionis et disciplinse, ac merito dici possunt sensus vitæ socialis.

Ratione demum *certitudinis,* præsertim quoad nos, eminent tactus et visus ; hinc est quod in signum maximæ certitudinis dicamus : *Vidimus oculis nostris et manus nostræ contrectaverunt.*

XIIL — Utrum sensus externi sint solius corporis an sollus animæ. Recolantur dicta de subjecto potentiarum (1). Non sunt solius animæ, nam tunc operatio esset a corpore independens, et hinc sequeretur brutorum animas esse spirituales, utpote a materia in propria actione independentes. Insuper, nunquam sensibilia agerent in animam, quia nihil corporeum potest in rem incorporeatn imprimere. Tandem, si anima sola est subjectum sensuum, ponenda erit sensatio etiam in animabus et substantiis separatis, quod absonum est. Aliunde non sunt solius corporis quia corpus multiplicitate constat, sensatio vero est positive una. Sunt ergo facultates organicæ, seu totius conjuncti ; et hinc ratio redditur cur in sensatione concurrat aliquid simplex et aliquid compositum.

(i) Supra, q. L a. ΠΙ, pp. 223-225.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE SENSIBUS INTERNIS IN COMMUNI.

I. — Prima conclusio : Præter sensus externos nccesse est admittere sensum internum. Probatur. Arg. **Γ".** Necesse est ut animal cognoscat res non solum in praesentia, sed etiam in absentia, alioquin non moveretur ad quaerendum aliquid absens ; et ut possit discernere inter diversa sensibilia percepta, accipiendo utilia præ nocivis. Atqui discretio inter sensibilia non pertinet ad sensus externos, nec etiam absentia, quia sensus externi solum immutationes objectorum praesentium cognoscunt. Ergo præter sensus externos admittendus est aliquis sensus internus.

Arg. IIum. Est aliqua facultas qua ipsi sensus externi sentiuntur, animal enim sentit se videre, se audire, vel e regione sentit se non videre, unde aperit oculos, se non fruì tali objecto: secus nec fugeret ncc appeteret aliquid. Sed facultas qua sensus externus sentitur non est ipse sensus externus, qui capax non est supra seipsum reflectendi. Ergo datur aliquis sensus internus.

II. — Secunda conclusio : Quatuor sunt sensus interni : sensus communis, phantasia, æstimatlva, memoria. Hæc est sententia D. Thomæ et multorum Scholasticorum. Dissentiunt tamen alii. Aliqua sententia, quæ tribuitur Galeno, Greg. Nysseno, Damasceno, admittit hos sensus internos : *phantasiam,* quam confundunt cum sensu communi, *vim judicativam* et *æstimativam.* Secunda sententia duas tantum potentias interiores constituit : *sensum communem,* qui apprehendit et discernit omnia sensibilia externa et *plantasiam* quæ inservit pro speciebus sensatis et insensatis apprehendendis, retinendis, et comparandis. Ita Fonseca et Conimbri-

corsos. Alii tres sensus : sensum communem, phantasiam, æstimativam. Ita Pesch (1). Suarez ponit potentiam unicam quæ omnia ista munia exerceat (2) ; non nulli videntur rejl· cere sensum communem plures vero alii supprimunt æstima* tivam. Quidam vero moderni, post Rosminium, adstruunt quintum sensum interiorem, qui dicitur *sensus fundamentalis.* Alii vero unicum sensum, cum omnia ad motum localem revocent.

Probatur sententia D. Thomæ argumento generali ; de singulis postea sensibus erit consideratio. Cum natura non deficiat in necessariis, tot sunt potentiæ animæ sensitivæ, quot requiruntur ad vitam animalis perfecti. Atqui ad vitam animalis perfecti quatuor prædictæ facultates requiruntur. Ergo.

Prob. min. : Ad vitam animalis non sufficit ut recipiat species a sensibilibus, quod pertinet ad sensus externos, sed insuper requiritur : I0 ut conscium sit se sentire, ut de diversis sensibilibus dijudicet iliaque ab invicem discernat,quod oportet fieri per potentiam ad quam omnia sensibilia perveniunt,et hæc dicitur *sensus communis.* — Facultas quidem a sensibus externis distincta, cum distinctum sit objectum : sensus quippe externus pro objecto attingit *rem ipsam externam,* sensus vero communis *impressionem* a rebus in organismo progenitam. — 2° Oportet ut species sensibilium rccoptæ in eorum absentia conserventur, et hoc requirit aliam facultatem distinctam, cum interdum quæ sunt bene receptiva sint male conservativa; quæ potentia dicitur *imaginatio,* seu *phantasia.* Quælibct potentia cognoscitiva est utique retentiva specierum, quæ persistunt per modum habitus ; unde sensus communis species suas etiam conservat, at non conservat res absentes. Itaque aliud est *recipere,* id est habere et retinere speciem *rei praesentis,* et aliud *conservare* id est, retinere speciem *rei absentis,* prout absens est : id enim importat simul et retinere et aliquatenus reproducere.— 3° Requiruntur intentiones aliquæ quas sensus non apprehendit, sicut nocivum et utile et alia hujusmodi ; sic ovis fugit lupum non propter indecentiam coloris vel figuræ, sed quasi inimicum naturæ : ad hoc vero ordinatur in animalibus *¿estimativa,* in homine *cogitativa,* quæ dicitur etiam

(1) PsycAoi.n°615.
(2) Cf. Suarez, lib. III. *De Anima,* c. 30.

ratio particularis.—4° Necesse est ut ea quæ prius fuerunt apprehensa per sensum., et interius conservata, iterum ad actualem considerationem revocentur, et hoc pertinet ad vim *memorolivam.*. Necesse est autem hanc potentiam a cæteris internis distingui. Actus enim aliarum est secundum motus a rebus ad animam, actus autem hujus est secundum motum ab anima ad res, in quantum nempe anima ordinat suas species ad res præteritas revocandas. Atqui diversi motus principia motiva, seu potentiæ, sunt diversa. Ergo memorativa est facultas a cæteris distincta.

Sic ergo ad *receptionem* formarum sensibilium ordinatur .sensus proprius et sensus communis; ad harum formarum *retentionem* aut *conservationem* in rerum absentia ordinatur phantasia, sive imaginatio, quasi thesaurus quidam formarum per sensus acceptarum. Ad *apprehendendum* autem *intentiones* quæ per sensum non accipiuntur ordinatur vis æstimativa. Ad *conservandum autem eas* vis memorativa, quæ est thesaurus quidam hujusmodi intentionum : cujus signum est quod principium memorandi fit in animalibus ex aliqua hujusmodi impressione, puta quod est nocivum vel conveniens ; et ipsa ratio praeteriti, quam attendit memoria, inter hujusmodi impressiones computatur (1).

III.— Admitti nequit sensus fundamentalis recentiorum. Sensus fundamentalis describitur : facultas quædam quæ praecedit actiones tum externorum tum internorum sensuum, et vi cujus existentiam nostri corporis jugiter sentimus. Atqui falsum est nobis inesse aliquam sensationem exercitio sensuum externorum prævíam : omnis quippe sensatio interna ex externa oritur et progignitur. Ante exercitium sensus visus, homo nullam habet notitiam lucis neque sensus visus ; ergo, si omnium sensuum exercitio careret, nullam sibi pareret notitiam sui corporis. Ergo antecedenter ad exercitium sensuum externorum et internorum, homo corpus non sentit. Non existit ergo sensus fundamentalis quem adstruunt recentiores. Opinionem Rosminii jam confutavimus, ubi sermo fuit de unione animæ cum corpore (2).

(1) GL D. Thom. QQ. *Dispp. De Anima,* a. 13. — I. P. q. 78, ejusque commentatores.

(2) II. P. *Phil. Nat.* Tract. II, q. IL a. Ill, n. VIII, pp. 154-155.

IV. — Pe sensibus Internis in diversis animalibus et in homine. In omnibus animalibus etiam imperfectis viget sensus communis ; non tamen in omnibus insunt phantasia, aestimativa, memorativa, ut determinatae et distinctae a sensu communi. Animalia quidem solum tactum habentia experiuntur dolorem, quia contrahunt se quando punguntur, et delectationem, quia dilatant se quando aliquid conveniens percipiunt. Ergo apprehensionem et sensationem quamdam habent qua sentiunt se sentire dolorem vel delectationem. Atqui sensatio interna internum expostulat sensum. Ergo habent sensum internum. Carent vero aliis, sensibus. Res enim non cognoscunt in absentia, sed solum per contactum. Ergo non indigent phantasia nec memoria, quæ circa res absentes versantur. Insuper, percipiunt res solum ut convenientes tactui ; ergo carent æstimativa perfecta, quæ cognoscit convenientiam vel disconvenientiam non solum sensus proprii, sed universaliori modo, convenientias et disconvenientias ipsius naturæ.

Sunt vero alia animalia, in altiori quodam gradu, quæ cognoscunt res absentes, at imperfecte, et ista suscipiunt alios sensus internos, sed confusos et indistinctos. Alia demum perfecte cognoscunt res absentes, et istis competunt omnes sensus interni distincti et perfecti.

In homine vero exquisitiores sunt quam in brutis. Nam in homine imaginatio non solum species acceptas conservat, sed novas componit, vel aliquando species dividit, partitur , contrahit, etc.Æstimativa in animalibus agit ex naturali instinctu, in homine vero cum quadam inquisitione et collatione, et ideo dicitur *cogitativa,* seu ratio particularis, quia colligit intentiones singulares et particulares, sicut ratio universalis colligit tniversalia. Nec mirum est cogitativam elevari ad aliquid efficiendum puta ad discurrendum circa singularia, quod non potest æstimativa in brutis. Cum enim, secundum regulam Dionysii, principia secundorum jungantur finibus primorum, cogitativa, quæ est aliquid altissimum in parte sensitiva attingens quodammodo ad partem intellectivam, aliquid participat illius quod est in parte intellectiva infimum, scilicet rationis discursum. — Pariter memoria in homine non fit pei simplicem aut subitam recordationem, sed cum quadam coi-

latione, inquirendo ex uno ad aliud, et ita revocamus totam præteritorum seriem quousque deveniamus ad id quod volumus recordari. — Unde memoria in homine dicitur *reminiscentia* (1).

V. — **Sedes sensuum. — Localizatloncs cerebrales** (2). Jam docuerant veteres Scholastici facultates organicas in determinata cerebri parte collocari. Saeculo XVIII Doctor Gall novam adinvenit theoriam, nempe *phrenologismum.* Omnes facultates, etiam intellectivae, in cerebro collocantur, et tot sunt specialia organa quot in nobis existunt facultates, qualitates aut inclinationes ; viginti septem enumerantur ; imo forte triginta quinque aut quadraginta duæ, ut autumant plures ejus discipuli. Quo magis vero intenditur aut evolvitur aliqua facultas, eo majus fit cerebri organum in quo illa residet ; et, quia cranium configurationi cerebri conformatur, hinc dignosci possunt mentis qualitates, hominum inclinationes, major minorve facultatum explicatio, ex sola gibbarum aut prominentiarum capitis inspectione.

Palam est autem illam theoriam vitio materialismi laborare; quia inde efficeretur facultates intellectivas et spirituales in materia subjectari et a materia pendere quoad evolutionem et operationem.

Contradicit scientiæ anatomic®, nam pars exterior cranii non semper configurationi cerebri conformatur ; unde prominenti® cranii nullatenus evincunt esse correspondentes prominentias in cerebro.

Contradicit experientiae, quia constat hominibus imsse non raro qualitates absque correspondentibus prominentiis et e contra deesse qualitates quarum apparent prominentiae, vel inesse oppositas omnino qualitates.

E regione, alii scientifici, ut Flourens, Vulpian, etc., existimarunt nulla esse specialia facultatum organa, sed omnem sensibilitatem consciam in cerebro, sensibilitatem vero inconsciam in medulla ablongata residere.

(1) Cf. I. P. q. 78, a. 4.

(2) Cf. Dr Ferrand, *Les localisations cérébrales et les images sensibles ;* Dr Surbled, *Les localisations cérébrales, Revue Thomiste,* janv. 1895, *L'Œil et le Cerveau, Repue Thomiste,* mars 1896.

Vera tandem, doctrina, post observationes Fritsch et Hitzig, an. 1870, est in aprico posita. Exploratis per electricitatem diversis punctis partis corticalis cerebri, ablatisque diversis centris substantiae corticalis, ostendunt physiologi, non solum facultates organicas, sed generatim perceptiones, motiones, etc., in determinata parte localizan. Sic, impulsiones motrices peraguntur in ultima circumvolutione frontali et prima parietali ; memoria verborum in tertia circumvolutione frontali. Plura ibi sunt centra. Læsio autem centrorum inducit *surditatem verbalem,* qua desinit memoria verborum, vel *cæcitaiem verbalem,* qua signa verborum graphica amittuntur ; vel *aphasiam* et *agraphiam,* quibus subjectum impeditur quominus verbum quod in memoria habet scribat, vel impellitur ut scribat oppositum illi quod intendit.— Centra porro impressionum perceptarum videntur, ut plures scientifici autumant, esse in zona latenti corticis hemisphærarum, nempe in circumvolutionibus parietalibus et occipitalibus.

Sensus interni generatim collocantur in lobulis frontalibus, nam hujusmodi partes, aiunt, minus vel majus incrementum habent, secundum quod minus vel magis perfectas existunt facultates sensibiles ; minus nempe in animalibus imperfectis, maxime autem in homine,in quo perfecte vigent sensus interni.

Fatendum est tamen hanc de localizationibus cerebralibus doctrinam adhuc imperfectam existere ; nec facile determinari posse singulas singulorum centrorum attributiones, licet admittendum sit facultates sensitivas esse in determinata cerebri parte affixas.

Animadvertunt physiologi centrum quod alicui facultati inservit posse ab alio suppleri : sic læso memoriae centro aliud paulatim suffici potest, et sic fiet novum mémorisé organum.

Viget etiam inter diversa centra et diversas functiones sympathia quædam, adeo ut una excitetur excitata alia vel alteretur et irritetur alterata vel irritata alia. Nec mirum id videtur, cum una sit anima, quæ omnes organismi partes informet et vivificet, unaque sit essentia quæ per diversas functiones et potentias operetur, et aliunde omnes cerebri partes, fibræ et fibrillæ, ad unum continuum efformandum ordinentur.

ARTICULOS TERTIUS.

DE SENSIBUS INTERNIS IN SPECIALI.

I. — Sensus communis duplex est munus. Ponitur sensus communis primo ut animal conscientiam habeat omnium actionum sensuum externorum ; secundo ut diversa sensibilia comparet et in quamdam synthesim redigat. Utrumque autem munus illum secernit tum a sensibus externis, tum a cæteris internis : quæ distinctio ut clarior appareat, utrtimque munus specialiter est expendendum.

II. — **Primum munus : conscientia Intima.** Sensus externi non possunt reflectere supra se, quia restringuntur ad sua objecta directa a quibus specificantur. Ergo, ut percipiatur actio sensus externi, v. g. ut quis non solum attingat colorem, sed cognoscat se videre colorem, necessaria est potentia superior, quæ tales actus apprehendat et subjecto renuntiet. Unde sensus communis conscientia sensitiva vel sensus intimus recte vocatur.

Pendet autem exercitium sensus intimi a sensatione musculari, nam concurrere debent musculares contractiones ut organa sensuum functionibus propriis aptentur, et sentiantur.

III.— Secundum munus : sensus centralis. Requiritur sensus communis ut possit fieri comparatio et discretio inter sensibilia a diversis sensibus externis percepta : inter colorem et sonum, saporem, et odorem, etc. Id enim neque ab uno sensu extorno, neque ab omnibus simul fieri potest : non ab uno quidem, nam unus sensus nihil cognoscere valet de objecto alterius, et consequenter nequit de illorum convenientia vel disconvenientia inter se discernere. Ab omnibus autem simul sumptis non exit actus novus, distinctus ab actu quem singuli

sensus seorsim sumpti eliciunt. Atqui singuli seorsim sumpti nullum obeunt actum qui possit aliquid de objecto alterius attingere. Ergo ab omnibus sensibus conjunctim sumptis fieri nequit comparatio et discretio inter diversa sensibilia. Admittenda est igitur potentia omnibus sensibus externis altior quæ de omnium objectis judicet.

Directe quidem sensus communis attingit sensationes seu affectiones sensuum ; at, quia omnis sensatio sensibile exprimit objectum, sensus communis pro objecto *indirecto* respicit ipsa sensuum externorum objecta. Est ergo sensus *centralis* ad quem perveniunt omnes sensationes externæ. Omnes autem sensus externi agunt in virtute sensus communis, ita ut, juxta Aigelicum, sensus interior sit radix et principium exteriorum sensuum (1).

Illas sensuum perceptiones perficit ac interpretatur. Perficit quidem, nam perceptiones tactus imperfectas et obscuras complet per visus perceptiones, vel vice versa, et ita efficit quamdam omnium sensationum synthesim ; interpretatur vero, cum signis quæ rem repræsentant ipsam rem substituit.

IV. — Quodnam sit ejus organum. Organum sensus communis vocatur *sensorium commune.* Cum autem sensus sit facultas centralis, organum ipsum centrale sit oportet. Debet itaque reponi in hemisphæris cerebri, imo, ut a pluribus putatur, in ipso nucleo centrali hujusmodi hemisphærarum. Hinc fit ut, si lædantur hemisphæræ, homo non percipiat se videre, se audire, etc. (2).

V. — **Definitio sensus communis.** Ex his omnibus colligi potest definitio sensus communis : *Facultas organica, quæ per quam percipit et discernit sensationes et sensata sensuum externorum in eorum præsentia.* Dicitur Io *organica,* facultas enim dignoscitur ex objecto et ex modo quo attingit objectum. Atqui objectum

(1) Cf. I. P. q. 78, a. 4 et comm. in III *De Anima.*

(2) Aliqui tamen existimant sensum communem non esse specialem facultatem peculiari organo instructam; sed potius quemdam plurium functionum complexum. Gf. Mercier, *Psychol,* η. 94, 95, 96. — Reponitur facultatem esse distinctam, cum speciale ac distinctum sit objectum. Gf. Ouvibri, *Revue Thomiste,* an. 1905, pp. 208, sq.

sensus communis est aliquid concretum, scilicet affectiones quæ per res concretas in subjecto corporeo excitantur ; pariter sensus communis apprehendit modo concreto differentias inter diversas sensationes diversaque sensibilia diversorum sensuum Ergo sensus communis intra ordinem facultatum organicarum concluditur. — Ejus tamen objectum universalius et immaterialius est objectis sensuum externorum, nam ipsa sensatio externum sensibile nobilitate, puritate ac universalitate excedit. — 2° *Quæ percipit et discernit,* ut indicetur duplex illius munus : sentire nempe sensationes externas, easque comparare et ab invicem discernere. — 3° *Sensationes,* ut assignetur objectum directum.— 4° *Sensata,* objectum indirectum.— 5° *In eorum praesentia,* quia in eorum absentia id officii ad phantasiam spectat.

VI. — **Objicies:** Comparatio pertinet ad intellectum. Ergo sensus communis vel nullatenus comparat, vel est facultas intellectualis. — Resp. : Dist. maj. : Comparatio *formalis* pertinet ad intellectum, concedo ; comparatio *materialis,* nego, et nego conseq.

Explicatur : Ad comparationem formalem requiritur ut facultas cognoscat ipsam proportionem inter plura, ipsamque rationem convenientiae vel disconvenientiae in genere , ac simul componat et dividat, quod sane intellectui proprium est. Ad comparationem vero materialem sufficit ut facultas uno actu percipiat duas res differentes et sentiat eas differre, quin unam ad alteram conferat vel rationem convenienti» aut disconvenienti» apprehendat ; et hæc comparatio materialis facultati sensitivæ adscribí potest, sicut etiam in sensu invenitur veritas materialiter.

VII. — Quænani sint phantasiae munia. Munus phantasi» quadruplex est : Primo, inservit phantasia ad retinendas species a sensu communi acceptas. Videmus animalia per loca nota sine errore pergere, ad res absentes tendere, et per somnia in clamores erumpere. Habent ergo facultatem quæ species rorum absentium conservat. Phantasia itaque immediate conjungitur sensui communi ; ex illo species haurit quas retinet ; ideoque pro illis speciebus vim habet memori». Secundo, non

est tantum conservativa spocierum, sed etiam rorum cognoscitiva in illarum absentia. Id notatur contra Avicennam et alios qui volunt imaginationem non cognoscere, sed solum retinere. Liquet tamen animalia, quæ moventur ad absentia appetenda et quærenda, absentia cognoscere. Ergo facultas specierum retentiva est simul absentium cognoscitiva. Tertium munus est phantasmata reproducere et revocare, ut explicabitur modo, n° IX. Quartum munus est componere diversas species inter se ; sicut ex specie montis et specio auri excudit speciem montis aurei ; ex specie hominis et specie equi efficit speciem centauri. — Istud munus maximam habet amplitudinem ; nam species suas imaginatio potest partiri, vel multiplicare, vel contrahere, vel distendere, vel ordinare, vel perturbare, vel quolibet modo figurare.

Est igitur imaginatio *retentiva, cognoscitiva, reproductiva, constructiva.* Ulterius procedunt qui vocant phantasiam *creativam.* Quamvis enim nova componat phantasmata, non tamen objectum omni ex parte novum exhibet, nec illa imaginari potest quæ nulla ratione sensus affecerunt.

Sub rationis influxu et ductu phantasia mirabilia operatur fitque intellectionis ministra ; cum autem ex se sola agit, incredibili gaudet fecunditate, sed inordinate sæpius procedit, nec ulla certa lege definitur illa phantasmatum compositio, seu constructio.

Licet nonnulli imaginationem cum sensu communi confundant, distinctio tamen videtur admittenda. Nam duo præsertim munia phantasiae, nempe *reproductivas* et *constructivae,* nullatenus competunt sensui communi, qui est solum conscientia intima et facultas centralis.Sensus quidem communis, utpote cognoscitivus, species habet ac retinet per modum habitus, at solum in rerum *praesentia ;* phantasia vero species rerum *absentium* conservat, et hinc phantasmata reproducit, componit ac nova construit.

VIII. — **Quomodo oriantur phantasmata.** Cum virtus imaginativa intime sensui communi conjungatur, impressio in sensu communi recepta mox phantasiae transmittitur, illamque movet ad excudendam speciem. Hinc fit ut, si sensus communis, seu conscientia intima, vivide excitetur, vivida resultent

in imaginatione phantasmata ; et eo vividiora fiunt phantasmata quo vividior est sensationum externarum conscientia. Vis augetur phantasiae, si homini saepius praesententur objecta maxime commoventia attentionem ; et minuitur, si hu-'usmodi objecta removeantur.

IX. — De phantasmatum reproductione.

Phantasmata autem iterum excitantur et reproducuntur duplici modo : I0 ratione *similitudinis,* sicut excitatur imago patris, quia occurrit homo patri similis et, e converso, ratione *conlrarietatis,* Hectoris imago phantasma excitat Achillis; 2° ratione *propinquitatis,* sive agatur de propinquitate societatis, sicut videndo aliquem sacerdotem, alium imaginor ί sive de propinquitate loci aut temporis. Duo ergo phantasmata simul in imaginatione revocantur, quia ros quas repræsentant loco vel tempore conjunguntur (1).

Juxta praesentem physiologiam hæc reddi posset explicatio : Sicut vibrationes perdurant et conservantur in laminis photographicis, ita, ut docent plures, motus vibratorii in nerveis cerebri fibris persistunt. Si quis ergo motus vibrationis in cerebro commovet phantasma in imaginatione, alii statim motus vibratorii, qui in propinquis cerebri fibris perdurant, per quamdam influentiam, commoventur, et hinc, excitatis fibris, reproducuntur alia phantasmata quæ connexionem quamdam cum primis retinent.

Notetur tamen leges associationis quas statuunt recentiores, post A. Bain, non esse omnino absolutas et immutabiles. Post factum quidem explicatio congrua affertur cur hæc præ illa excitata fuerit imago, sed statui nequit a priori talem vel talem fore in futuro associationem.

Imaginum dissociatio videtur aliqua etiam lege fieri. Læsis cerebralibus centris, evanescunt imagines, primo circa facta magis recentia, deinde circa facta juventis ac pueritiae, ac femum. desinunt ea quæ spectant partem affectivam (2).

(1) Gf. Abistot. et S. Thom., *De memoria et reminisc.*

(2) De his omnibus atque de specialibus applicationibus consuli possunt A. Bain, *The Senses and the Intellect* ; Ribot, *Les maladies de la mémoire;* Mbbcibb, *Psychol,* n. 97-114 ; Clodius Piat, *Aristote,* pp.2Ol, sq.

X.— Praestantia imaginationis. Est nobilior sensu communi. I0 Phantasia enim respicit objectum suum ut imaginabib, sensus vero communis objectum ut pendet ab immutatione et præsentia rei sensibilis. At objectum ut imaginabile nobilius, immaterialius et universalius est objecto quod immediate a præsentia rei sensibilis dependet.

2° Phantasia maxime inservit passionibus et appetitui, nam illa quæ vivide imaginamur ardenter appetimus. Hinc maxime utilis est poetis et oratoribus, ut et eloquentiæ vim et impetum in se habeant et ut res fortiter et vivide exprimant.

3° Ministrat intellectui. Cum enim nihil sit in intellectu quin prius fuerit in sensu, si phantasia intellectui præbet fortiora et exquisitiora phantasmata facilior ac pòtentior erit intellectio. Hinc est quod omnes viri ingenio pollentes praestanti gaudeant imaginatione. Si tamen nimia sit, intellectum perturbat et fictionibus pascit, mentemque trahit ad sensibiles et ignobiliores passiones et delectationes, quibus pars superior irretitur (1).

XI. — Definitio phantasiae. Ex dictis colligitur : *Potentia organica, quæ ordinatur ad conservandum' vel componendum species sensatas, et ad cognoscendum res absentes vel imaginatas.* Est *organica,* tum quia invenitur etiam in animalibus, tum quia immutatur ab objecto sensibili, et repræsentat objectum concretum, singulare, tum quia originatur a sensu communi, qui ordinis est sensitivi. Hinc carpendi sunt Kantiani, qui imaginationem fingunt facultatem sensitivam simul et spiritualem, et illi scientifici qui autumant phantasiam inchoationem esse intellectus.

Organum illius collocant quidam in parte anteriori et superiori cerebri. Quando enim nimia fatigatione premitur imaginatio, in prædicta capitis parte sentitur dolor. Juxta quosdam recentiores Scholasticos residet in cortice cinereo cerebri, *(dans l'écorce grise cérébrale).* Quæ asserta probabilitatem non excedunt. Imo, alii reponunt organum phantasiæ esse ignotum, quamvis constet illam in cerebro residere (2).

(1) Vide infra de facultatum aberrationibus, q. VI, a. III.
(2) Gf. Dr Sttrbled, *L'Œil* βi *le Cerveau, Revue Thomiste,* mars 1896.

Cætera definitionis verba assignant imaginationis munia ipsamque apprime secernunt a sensu communi, qui rerum præsentiam supponit, nec species componit aut construit.

XII. — Æstimativa. ■Ê'si *facultas organica apprehendens insensata ex sensatis* (1). — *Est organica,* quia ejus objectum est quid individuum et ordinis sensitivi, scilicet intentiones concretai, quæ in ipsa cognitione sensitiva involvuntur. — Apprehendit *insensata,* nempe intentiones illæ quæ sensu externo minime percipiuntur , ut sunt *nocivitas, utilitas, amicitia, convenientia,* sicut avis colligit paleam, non quia delectat visum, sed quia utilis est ad nidificandum.

— Æstimativam esse a sensu communi et phantasia distinctam iliisque superiorem non videtur inficiandum. Sensus enim communis et imaginatio versantur circa intentiones sensatas, æstimativa autem intentiones insensatas attingit.Atqui intentiones insensatæ sunt sensatis abstractiores, quia insensatae rem exhibent et repraesentant non solum ut convenientem vel disconvenientem appetitui,sed præsertim ut convenientem vel disconvenientem *ipsi naturæ,* ejusque conservationi vel propagationi, sicut ovis fugit lupum ut inimicum naturæ. Objectum itaque æstimativæ est objecto sensus communis et phantasiae multo abstractius, et consequenter ipsa facultas nobilior et altior est. Æstimativa est *pars* quaedam *instinctus* (2) ; ordinatur præsertim ad vitam relationis externæ, atque habet quamdam rationis similitudinem ; interdum mirabilia operatur, ut patet in apibus, elephantibus, etc. Quia exhibet similitudinem quamdam judicii et liberii arbitrii, dicitur *analogum rationis* (3).

XIII.—**De æstimativa in homine. Ut** jam monuimus, hominis æstimativa, quæ est supremum in genere sensitivo, attin-

ti) P. Janet illam definit : « La cause inconnue en vertu de laquelle ranimai et l'homme lui-même .réalisent, avec une sûreté infaillible et sans éducation, la série des mouvements nécessaires à la conservation soit de l'individu, soit de l'espèce. » *Traité de Philosophie* p. 65.

(2) *Pars* quidem, nam instinctus refertur et ad cognitionem et ad appetitum. CL infra, q. IV, a. I, n. X.

(3) Cf. S. Thomas, QQ. *Dispp.* q. 24 *De Verit.* a. 2 ; et I. P. q. 81, a. 3; lib. II. *De Anima,* lect. 13 j II *Cont. Gent.* c. 73 j H. Joly, *L'instinct i* Domet De Vosges, *La Perception et la Psychologie thomiste.*

git infimum generis intellectivi et quamdam refert imitationem ratiocinii. In brutis agit ex naturali impulsu, in homine vero cum quadam inquisitione et discretione. Sicut ratio universalis componit conceptus universales, ita æstimativa intentiones colligit particulares ; unde dicitur *ratio particularis.* Quia autem radicatur in eadem essentia in qua est intellectus, recipit quemdam influxum ab intellectu, unde apprehendit *individuum ut existons* sub natura communi. Illam eminentiam, juxta principia Angelici, habet cogitativa in homine non per id quod est proprium sensitivæ partis, sed per aliquam affinitatem et propinquitatem ad rationem universalem, secundum quamdam refluentiam.

Magnum porro momentum habet æstimativa in humana vita, quippe quæ hominem dirigit, quando segnis est aut dormitat ratio ; est fons et origo multarum impressionum naturaium, antipathiæ scilicet, sympathiae, etc., quas ratio interdum sequi, interdum vero corrigere potest aut debet.

XIV. — **Duplex error circa æstimativam.** Haud pauci recentiores, inter quos Flourens, Pouchet, Blanchard, de Quatrofages, volunt æstimativam, etiam in brutis esse, potentiam intellectivam *{intelligence},* nec dari instinctum absque intelligentia quæ ipsum dirigat. E regione autem, organicistæ contendunt esse facultatem mechanicam qua brutum, instar machinæ perfectæ, seu automati, impellitur, et movetur. Utraque opinio confutata manet ex iis quæ disseruimus sive de organicismo sive de anima sensitiva.

Primo quidem, æstimativa differt ab *intellectu.* Etenim intellectus objectum est universale, abstractum, spirituale ; objectum vero œstimativæ est individuum, concretum, seu intentioi.es quæ a materialibus conditionibus originantur et pendent. Agens per intellectum non necessitatur ad unum, agens vero per æstimativam naturali impulsu movetur, imo irresistibiliter ; nam experientia testatur animalia in iisdem adjunctis ad unum determinari ; agens per intellectum est disciplinabile et potest in quolibet genere universaliter progredi ; agens autem per æstimativam non est disciplinae proprie capax et progressu tantum *unilineari* proficere potest.

Mira autem quæ animalia operantur supponunt rationem in

naturæ Auctore, non vero in ipsis. Igitur æstimativa non potest dici ratio vel intellectus nisi analogice (1).

Aliunde non esse facultatem mechanicam evidens est : « Il faut une foi singulièrement robuste pour admettre, par exemple, que le hasard ait pu amener l'ammophile à plonger son dard neuf fois de suite avee une précision méthodique juste dans les centres nerveux de sa victime.... Les changements apportés par le loriot à la construction de son nid, par la perdrix à son abri.... prouvent que l'instinct offre un certain degré de variabilité ou de plasticité. Or un jeu mécanique n'est susceptible ni de s'interrompre, ni de se* compléter, ni de se modifier. Donc les actions instinctives ne sont pas soumises exclusivement aux lois fatales de la mécanique (2). »

XV.— Quomodo æstimativa sit cognoscitiva. Æstimativa supponit species imaginationis, iliisque utitur, sed illae species non sufficiunt, quippe quæ repraesentant solum convenientiam talis sensus, dum æstimativa apprehendit convenientias et disconvenientias superiores, nempe quid sit conveniens vel disconveniens in ordine ad conservationem individui vel generationem prolis. Ergo requiruntur species altioris ordinis. Cum autem nulla sit ratio ponendi species innatas, nam nullibi probatur ullam hominis facultatem a Deo produci speciebus infusis ornatam, pronum est inferre æstimativam ad occursum rei sensibilis, utendo sensu communi et imaginatione, excudere virtute nativa formas, seu species intentionum insensatarum, nocivitatis, utilitatis, etc, quas componit, copulat, vel partigur. Quando vero res sensibilis occurrit, quasi naturaliter proeignitur associatio inter sensationem et imaginem alterius rei: ct hinc, vi hujus associationis, cognoscitur convenientia, notivitas, etc. Mediante autem cognitione et impulsu æstimaiivæ, movetur animal ad fugiendum, prosequendum,etc. Ante tpsum exercitium, cognitio est quodammodo confusa, sed clarior fit et perficitur in ipsa operis exeeutione.

Hac explicatione æstimativæ officia et munia haud ægje intelliguntur, et aliunde vitantur incommoda sententiarum quæ volunt instinctum esse habitum hæreditarium, cuiu ta

(1) Supra Tract. I. q. II et q. III.
(2) Mercier, *Psnchol.* n° 116.

men nullum factum scientificum id evincat, ut testatur J.H. Fabro (1) : vel quæ contendunt species æstimativæ esse innatas. Objectiones fieri solitae congrue solvuntur : sicut judicia sensus universalis non sunt innata, sed quasi naturaliter proprio intellectus marte acquiruntur, ita species quibus æstimativa indiget non sunt inditæ, sed quasi naturaliter propria facultatis virtute excuduntur, et quasi naturaliter resultat associatio perceptioni et appetitioni necessaria, ut expositum est.

XVI. — **Memorise munia (2).** Memoria habet triplex munus: 1°Est conservativa præteritorum, seu thesaurus quidam speciorum et intentionum insensatarum, ex quo revocantur cum opus fuerit. — 2° Ést cognoscitiva, licet id inficietur Avicenna. P»r memoriam enim iterum revocantur quæ prius fuerunt percepta. At revocare species est ipsis speciebus uti. Ergo memoria utitur speciebus quas retinet. Omnis autem speciernm usus est cognitio quædam. Igitur memoria est cognoscitiva.— 3° Est reproductiva, quatenus species associat, eo fere modo quo dictum est de phantasia.

Distingui ab æstimativa jam ostensum est. Memorativa quippe respicit objectum ut præteritum, et ita abstrahit a rei praesentia ; æstimativa autem, licet apprehendat res insensatas, illas tamen attingit ut praesentes, v. g. nocivitatcm lupi, quum adest lupus. Talis porro differentia in objectis differentiam inducit in potentiis. Ergo memoria ab æstimativa differt. Distinguitur a phantasia, quia hæc conservat species solum ut sunt imagines, dum memoria retinet intentiones ut olim habitas ; phantasia est thesaurus formarum sensibilium, memoria autem est thesaurus intentionum insensatarum.

XVII. — Memorise objectum. Objectum igitur proprium memoriae est præteritum. Porro praeteritio, ut monet Angelicus (3), potest ad duo referri, scilicet ad objectum quod cog-

li) In suo opere *Souvenirs entomologiques.*

(?) Dc memoria consuli possunt Aristóteles et B.Thomas, *De memor, et reminisc.;* Piat, *Aristote;* B. Albertus Magnus, *de Memoria;* Satoili, *Delta memoria umana ;* Rjbot, *Les maladies de la mémoire;* H. Bergson, *Haltère ei Mémoire ;* Sollieb, *Le Problème de la Mémoire ;* et Scholastici am citali.

(3) I. P. q. 79: a. 6. ad. 2.

noscitur et ad cognitionis actum ; quæ quidam duo conjunguntur in parte sensitiva, quæ est apprchensiva alicujus per hoc quod immutatur a praesenti sensibili. Unde simul animal memoratur se primo sensisse in prætrrito et se sensisse quoddam praeteritam sensibile.

Itaque duplex objectum mémorisé adseribitur : scilicet *sensatio* ut in præterito habita, et *ipsum objectum* ut in præterito sentitum. Sub utroque respectu objectum memoriae est singulare et concretum. Præteritum enim ut praeteritum, cum significet esse sub determinato tempore (1), ad conditionem particularis et concreti pertinet. Facultas autem cujus objectum est concretum -ac singulare, et ipsa organica est. Memoria igitur, ut cognoscitiva singularis, est facultas sensitiva. Datur tamen alia memoria intellectiva, de qua disseremus in Metaphysica Psychologica.

XVIII. —**De exercitio** memorise. Hic recoli possunt quæ diximus de excitatione et reproductione phantasmatum. Species ad memoriam revocantur tum ratione propinquitatis, tum ratione *similitudinis ;* admitti etiam potest explicatio physiologica, juxta quam unus motus vibrationis ciet, commovet, excitat alios motus in fibris persistentes,et motibus illis species ipsæ excitantur.

Inter omnes facultates memoria magis apta est, evolvi ac evehi per studium. Frequenti exercitio vividior, tenacior, ac potentior evadit ; cum sit organica, methodo quasi mechanica excoli potest, et nonnunquam per artem mnemotechnicam mirum in modum perficitur.

Quatuor autem regulas tradit Angelicus (2) quæ ad bene memorandum conducunt : I0 Assumantur similitudines convenientes, nec tamen omnino consuetæ, quia ea quæ sunt inconsueta magis miramur, et sic in eis animus magis et vehementius detinetur; ex quo fit quod eorum quæ in pueritia vidimus, magis recordemur. 2° Oportet ut homo ea quæ memoriter vult tenere sua consideratione ordinate disponat, ut ex uno

(1) Igitur notio memorise integra ac perfecta notionem requirit temporis. Recolantur itaque ea quæ de tempore disseruimus, I. P. *Phil.Λ nt.* Tract. II, q. III, a. VI, vol. II, pp. 219 et sqq.

(2) IIa IIæ, q. 49, a. 1, ad. 2.

memorato facile ad aliud procedatur. 3° Oportet ut homo sollicitudinem apponat, et affectum adhibeat ad ea quæ vult memorari,quia quanto aliquid magis fuerit impressum animo, tanto minus elabitur. 4° Oportet ut ea frequenter meditemur quæ volumus memorari ; hinc Aristotelis effatum : *Meditationes memoriam salvant.*

XIX. — **Qua ratione amittatur memoria.** Intellectiva memoria est penitus indelebilis et inamissibilis : sensitiva autem haud raro amittitur vel ex parte vel ex toto,quæ amissio dicitur amnesia *(αμνησία).*

Huc spectant quæ de localizationibus disseruimus. Quum in certis cerebri organis resideant facultates, impedito vel læso uno aut altero centro nerveo, impediri potest memoria. Recolatur insuper species, seu imagines sensibiles, a composito organico dependere. Quia vero hæc materia fluxui perpetuo subjicitur, facile contingit species aliquo modo deleri, nisi jugi exercitio in memoria figantur.

Recuperari autem potest memoria multiplici modo, sive quia centra localizationis in debitum statum restituuntur, sive quia centro læso sufficitur aliud, etc.

XX. — De reminiscentia. Animalibus inesse memoriam sensitivam ostendunt multa facta: canes longo interjecto temporis intervallo iterum dominum agnoscunt ; equus etiam illa-Læ injuriæ meminit. At in homine, propter conjunctionem ad memoriam intellectivam, a qua dirigitur, memoria sensitiva ad altiorem operationem evehitur. Hinc agit, non tantum ex subita recordatione, sed cum quadam inquisitione ; et vim habet revocandi totam praeteritorum seriem. « Reminiscentia, ait Angelicus, nihil aliud est quam inquisitio alicujus quod memoria excidit. Et ideo reminiscendo *venamur,* id est, inquirimus id quod consequenter est ab aliquo priori quod in memoria tenemus ; puta, si quaerit memorari id quod fecit ante quatuor dies, meditatur sic : *Hodie* feci hoc, *heri* illud, *tertia die* aliud, et sic secundum consequentiam motuum assuetorum pervenit resolvendo in id quod fecit quarta die (1). »

(1) *De memoria et reminisc.,* lect. 5.

Proportione servata, so habet memoria ad reminiscentiam sicut intellectus ad rationem. Intellectus uno motu apprehendit principia per se nota absque termino medio ; ratio autem importat multiplicem motum quo de noto ad ignotum devenimus : ita memoria fit quando illico sine medio recordamur rei præteritæ ; reminiscentia vero cum multiplici motu vel multiplici medio rem praeteritam revocamus.

Sicut ratio procedit ex aliquo prius intellecto, ita reminiscentia ex aliquo prius memorato. Primum autem memoratum vel est aliquod tempus,et sic proceditur de præsenti in praeteritum, aut de praeterito in magis vel minus praeteritum ; vel est aliqua res nota, et sic proceditur in aliam revocandam ratione similitudinis, propinquitatis, contrarietatis. Reminiscentia, utpote motus, ordinatur tamquam medium ad memoriam perfectam, sicut motus ad quietem tendit. Igitur memoria supponitur reminiscentiae et iterum illam consequitur.

Hinc fluit memoriam et reminiscentiam haud pari gradu vigere ; quidam sunt bene memorativi, quia subito recordantur ; alii vero sunt minus memorativi, sed magis reminiscitivi, quia, licet non subito recordentur, magis ordinato procedunt in sua inquisitione ad revocandam praeteritorum seriem.

XXI. — Imagines motrices. Quia sunt in nobis habitus quidam ex motibus nostris acquisiti, remanere debet memoria quaedam motuum ; et idcirco admittendae sunt imagines motrices. Habitus illi ex motibus generati manifestantur in illusione amputatorum, in caecis, surdis et mutis, etc. Persistunt ergo et reviviscunt imagines motui inservientes, et hinc habetur memoria quædam motrix, quæ memoriae sensoriali annectitur.

Imagines motrices effectum universalem habent in vita nostra sensitiva ; imaginibus visualibus in pictura, et imaginibus auditivis in musica, cooperantur ; influxum exercent praesertim in hallucinatione et somnio, in quibus miri deprehenduntur motus vi illarum imaginum eliciti.

Si quando perturbantur vel amittuntur imagines motrices verbales, inde resultant aphasiæ motrices, nempe *aphemia,* qua impeditur subjectum ne aliquod verbum proferat, et *agraphia,* qua impeditur ne verbum scribat ; si autem pertur-

bentur vel amittantur imagines motrices communes, gignitur *agnosia tactilis,* qua tactus impeditur ne jam objecta agnoscat.

Quum vero agnosia est generalis, inducitur *apraxia,* morbus nempe qui afficit simul et visionem et auditionem et tactum(1).

Imagines itaque motrices mémorisé vel phantasiæ adscribuntur secundum quod insensata vel sensata ropræsentant.

XXII. — Brevis recapitulatio totius articuli. Sensus communis et phantasia quasi simul procedunt, nam versantur circa intentiones sensibiles ; sensus quidem communis in rerum præsentia, phantasia vero in absentia. Æstimativa autem et memoria commune quid exhibent, nam utraque intentiones insensatas respicit : æstimativa quidem in rerum præsentia, memoria vero in absentia, sicut sensus communis præsupponiitur phantasiæ, ita æstimativa memoriæ. Reminiscentia autem non distinguitur a memoria, nisi secundum munia, sicut ratio ab intellectu. Æstimativa et memorativa easdem habent species, sed diverso modo ordinatas, nempe cum dependentia vel sine dependentia a præsentia objectorum.

Sensus communis itaque est conscientia intima et facultas centralis, quæ omnium sensuum externorum perceptiones in synthesim quamdam redigit. Phantasia est facultas organica specierum sensibilium retentiva, simulque cognoscitiva, reproductiva, ac constructiva. Æstimativa est facultas organic i quidem, sed non mechanica, colligens insensata ex sensatis, quæ, utendo sensu communi et imaginatione, species propria vi excudit, simul cognoscitiva et discretiva, apprehendens rem ut convenientem vel disconvenientem ipsi naturæ, Memoria est facultas organica, præteritorum conservativa simulque cognoscitiva, ac etiam reproductiva, quæ usu et exercitio mirum in modum excoli potest.

(1) Cf. E. Peillaube, *Revue de Philosophie,* 1905, pp. 560 et seqq.

QUÆSTIO TERTIA

Pe sensatione.

Cognita sensuum natura, de sensuum actu, qui dicitur *sensatio,* disserendum venit. Quia vero in sensatione respectus physiologicus et philosophicus intime connectuntur, necease est«quædam de physiologia sensationis delibare, deinde rem philosophice expendere.

ARTICULUS PRIMUS.

DE SENSAZIONE SECUNDUM RESPECTUM PHYSIOLOGICUM.

1. — Generalis divisio substantiæ nerveæ. Diversæ systematis nervei partes sunt : I0 *medulla spinalis ;* 2° *nervi rachidiani,* seu fasciculi fibrarum nervearum quæ a medulla spinali oriuntur et per diversa corporis membra distribuuntur, iliisque motum et sensibilitatem influunt ; 3° *encephalon,* seu pars intracraniana systematis nervei, complectens medullam ablongatam, cerebrum et cerebellum ; 4° *nervi craniani,* qui in duodecim paria discriminantur. Demum systema magni sympathici, quod comprehendit ganglia et nervos, inservitque functionibus vitæ vegetativas. Dicitur autem *magni sympathici,* quia illo mediante organa distincta et independentia mutuo connectuntur, mutuamque inter se exserunt actionem et sympathiam.

IL — **Activitas substantiae nerveæ.** Activitas nervea est quidam influxus qui transmittitur et progreditur non continuate, sed undulationum instar : influxus quidem nervorum *motivorum* triginta quolibet secundo metra percurrit, influxus vero nervorum *sensibilium* sexaginta metra quolibet secundo. Duplbx autem viget in partibus nerveis proprietas : *excitabilitas,* vi cujus activitatem depromunt, et *conducti,bilitas,* vi cujus influxum nerveum transmittunt. Substantia *alba* medullæ spinalis est simul excitabilis et conductrix ; substantia vero *cinerea* non est per artem excitabilis, sed conducit influxum nerveum. Medulla ipsa spinalis, quamvis sit centrum inconscium, influxum tamen transmittit; cerebellum autem censetur aequilibri organum, nam aves in quibus ablatum est cerebellum videntur æquilibrium amittere. Cerebrum demum est centrum sensationum conscium et ultimum : strata quidem optica inserviunt impressionibus sensibilibus producendis, corpora vero striata concurrunt ad eliciendas et dirigendas incitationes motrices. Substantia ipsa hemispherarum est insensibilis, sed centra cerebralia transmittunt excitationes physiologicas : ab illis enim originantur impulsiones motrices voluntariae, et ad illa perveniunt impressiones sensibiles.

III. — Conditiones activitatis nerveæ. Requiritur imprimis nutritio, sanguisque oxygenio donatus; hinc, si suspenditur circulatio, desinit nervea activitas ; simul vero ut restituitur circulatio, reapparent phænomena vitalia, etiam in capite amputato, saltem ad breve tempus. Requiritur etiam calor in debito gradu, nam frigus insensibilitatem inducit, nimius vero calor organismum lædit. Tandem quies et somnus ; nam ccllulæ nerveæ exercitio energiam suam paulatim consumunt ; ut ergo reparentur vires, requiritur interdum functionum vitalium suspensio vel desitio.

IV. — Quomodo flat sensatio. Triplex est phasis in actu sensationis physiologico : I0 impressio sensibilis in sensum ; 2°transmissio impressionis ad cerebrum,ac 3° tandem perceptio. Objectum impressionem causât in superficie sensibili, impressio vero nervum sensibilem commovet, et per nervum ipsum propagatur undulationis instar ; tunc versus medullam spina-

lem dirigitur, ganglion transit ac medullam spinalem attingit » per medullam autem ascendit ad encephalon, ibique centrum cerebrale sensibile commovet. Tandem, ut fiat perceptio, debet cerebrum excitari, debetque attendere subjectum (1) : quibus habitis, perficitur sensatio et cognoscitur objectum. Cerebri quidem excitatio in omni perceptione requiritur ; utrum vero in cerebro ipso an in respectivis organis peragatur sensatio, sequenti articulo inquiremus.

V. — **De quantitate sensationuni.** Agitur de intensitate et duratione sensationum. Intensitas pendet a quantitate causæ excitantis ; in qua vero proportione, haud facile est determinare. Certum est quantitatem sensationum non mensurari in ratione directa a quantitate causæ excitantis. Plures statuunt sequentem regulam: Augmentum causæ excitantis est

1/100 pro sensationibus luminosis;
1/17 pro sensationibus muscularibus;
1/3 pro sensationibus auditivis.

Mensuratur etiam sensatio ex suis effectibus : sic cognoscitur intensitas alicujus excitationis visualis, auditivae, olfactivæ, ex deviatione quam inducit in indice dynamometri. Sensationes pro majori minorive intensitate mutationes varies inferunt in membrorum volumine ; potest ergo ex mutatione voluminis mensurari quantitas excitationis sensibilis. Ad hoc autem inventum est instrumentum quod dicitur *plethysnu,-graphus,* id est, *voluminis index.*

Durationem sensationum scientifici conati sunt æstimare. Sic tempus sensationum tactilium esset 1/7 secundi, vel juxia alios 10,6/100; tempus sensationum visualium est 1/5 vd 25/100 secundi; tempus sensationum auditivarum est 1/6 vel 15,9/100 secundi; tempus nonnullarum excitationum cerebralium est 1/10 secundi (2).

(1) De attentione et conscientia cf. art. seq. η. XIII et XIV.

(2) Cf. Mercier, *Psychol,* n. 80-84; G. Sergi, *La Psychologie physiologique, traduit de Γitalien par* Mouton, liv. III. c. IV, *Mesure des actes psychiques*

ARTICULOS SECUNDUS.

SENSATIO SECUNDUM RESPECTUM PHILOSOPHICUM (1).

I. — Duplex in sensatione phasis. Doctrina communis est apud Scholasticos concurrere in sensatione phasim passivam et activam. Objectum comparatur ad sensum sicut agens ad patiens, et sensus ad objectum sicut patiens ad agens. Non enim primo sensus immutant sensibile, sed potius sensibile sensum afficit et excitat. At, si sensus ab objecto movetur, patitur ab illo, juxta illud Aristotelis : *Sentire est quoddam pati,* et sensus est quædam potentia passiva. In hac itaque prima phasi sensatio est tantum impressio ab agente recepta. Secunda phasis est reactio et activitas subjecti sentientis. Subjectum enim sentiens non est aliquid iners, sed essentialiter vitale. Proprium autem vitæ est activitas immanens. Igitur sub objecti influxu et impressione, sensus reagit, transitque de potentia ad actum, ac elicit operationem immanentem qua objectum percipit et sibi vitaliter assimilât. Oculus immutatur a colore, auris a sono, phasis passiva ; sed rursus oculus active percipit colorem et auris active sonum. Sensatio itaque quantum ad receptionem impressionis sensibilis nominat passionem, quantum vero ad ipsum actum consequentem nominat operationem. Non consistit in receptione impressionis nisi causaliter, formaliter autem consistit in operatione quadam consequente talem receptionem tanquam effectu suam causam (2).

(1) Cf. Aristoteles, III *De Anima ;* D. Thomas, lect. 7 et 13 in III *De Anima ;* Joannes a S. Thoma, q. IV et q. VI; Bossuet, *Connaissance de Dieu et de soi-même,* c. I ; Fabges, *L'objectivité de la perception ;* Mercier, *Psychol.* II. P.; Pesch, *Psychol,* t. II, Disp. III ; Fontaine, *La Sensation et la Pensée ;* Aubert, *La Psychologie thomiste et les théories modernes ;* D. Olivieri et Illm. Mercier, *Revue Thomiste,* mai et novemb. 1905 ; Domet de Vorges, *La Perception et la Psychologie thomiste;* Cl. Piat, *Aristote.* Gredt, De cognitione sensuum externorum,

(2. Cf. S. Thomas. I. Dist. 40, q. 1. a. 1, ad 1 ; vide infra, n° IX.

Itaque sententia nostra de duplici phasi, passiva nempe et activa, incommoda vitat simul et opinionis idealistarum et transcendentalium, qui contendunt sensationes a sola animæ activitate procedere, corpora vero, sicut et spatium et tempus in quibus corpora apparent, esse animæ effectus, seu formas sensibilitatis subjectivas ; et opinionis sensistarum, qui sensationem exhibent ceu capacitatem mere passivam ; ac demum opinionis materialistarum, qui sensationem concipiunt instar merœ emotionis subjectivæ ex impressione organica resultantis.

II.— Unio sensibilis et sensus per species intentionales. In sensatione sensus et objectum conjungi debent,ut ex eorum unione resultet cognitio, juxta illud : Ex *objecto et potentia paritur notitia.* Quomodo peragatur hæc unio, quomodove transeat sensus de potentia ad actum, haud facile explicatur. Scholastici docent id fieri per species intentionales impressas. Nomine vero spccierum intelliguntuT formae, seu similitudine? quaedam, objectorum vicem gerentes eorumque repræsentativæ modo intentionali, quatenus assimilentur formaliter objecto, non tamen ita ut retineant materialem objecti entitatem. Inter objectum ergo et speciem est similitudo quidem in repraesentando, sed non convenientia in essendo. Sic species in oculo lapidem ita refert ut illum reapse exhibeat et tamen non sit lapis ipse entitative.

Duplex autem munus, juxta Scholasticos, habent species intentionales : I0 sunt objectorum vicariae, 2° sensum determinant ad certa objecta percipienda, et simul cum ipso active ad cognitionem concurrunt, et sunt suo modo cognitionis causa. Ex specie autem, seu ex sensibili per speciem repraesentato, et ex sensu fit unum, sicut ex potentia et actu, unde axioma : *Sensibile in actu est sensus in actu.*

Specierum autem existentiam negavere multi philosophi : ex antiquis Plotinus, Porphyrius, Galenus ; ex Scholasticis, Durandus; ex nominalibus Okain, Gabriel, Biel, Gregor. Arimin.; vehementer negant Cartesiani et recentiores subjectivistæ. — Oppositam vero sententiam tenent Aristoteles, S. Augustinus, S. Anselmus, D. Thomas, et communiter Scholastici.

III. — Eligitur et probatur sententia scholastica.

Arg. I„m. Cognitio cx natura sua petit fieri per assimilationem vitalem objecti. Atqui assimilatio vitalis est species intentionalis. Ergo in cognitione sensuum datur speciqs intentionalis. Explicatur. Duplex est actio : una quæ manet in agente, ut videre et intelligere, altera quæ in exteriorem materiam exit, ut calefacere et secare, et utraque fit secundum aliquam formam, seu similitudinem. Sicut autem forma secundum quam provenit actio transiens est similitudo objecti actionis, ut calor calefaciens est similitudo calefacti; ita forma secundum quam provenit actio immanens est similitudo objecti. Porro, cum actio immanens sit vitalis, non sufficit in ipsa assimilatio generalis secundum quam omne agens assimilât sibi effectum, sed requiritur assimilatio vitalis sicut est ipsa actio, assimilatio psychica et intentionalis. At assimilatio vitalis, psychica, intentionalis, nihil aliud est nisi species impressa.

Arg. irim. Oportet ex cognoscenti ol cognito fieri unum. Atqui hæc unio non potest consistere in hoc quod sensus recipiat objectum materiale et crassum, quasi sensibile evaderet substantia vel pars substantiæ sensus, sic enim sensus fieret physice omnia sensibilia, quod implicat. Ergo conjunctio fit in quantum sensus recipit objectum secundum esse quoddam minus materiale, magisque abstractum magisve purum. Esse porro hujusmodi est esse intentionale, seu esse speciei impressae (1).

IV. — An etiam tactus requirat species.

Objectum est quandoque sensui præsens secundum esse reale, ut in tactu manifestum est : unde quidam scholastici negant species intentionales pro sensu tactus. Videntur tamen species requiri. Nam, ut flat cognitio, non sufficit præsontia esse materialis et crassi, secus cognitio a mechanica impres-

ti) « Puisque des objets matériels, comme les pierres ou les arbres, ne peuvent entrer dans notre âme avec leur entité physique, il faut bien qu'ils prennent en nos facultés *cette existence appelée intentionnelle, dont il est très difficile de comprendre la nature intime, mais que tout le monde connaît,* puisqu'elle n'est pas autre chose que ce que nous percevons en notre conscience, dans toutes nos connaissances. »

A. Vacant, *Etudes comparées sur la Philosophie de saint Thomas d?Aquin et sur celle de Duns Scot,* 1.1, p. 103.

sioiie non discriminaretur. Debet igitur ad aliquod esse purius et immaterialius evehi. Porro talis elevatio fit per speciem intentionalem. Ergo etiam in tactu concurrit species intentionalis.

Ad duo ergo requiruntur species : I0 ut per ipsas objectum fiat præsens potenti® ; 2° ut elevetur ad esse quoddam purius, nam esse materiale et physicum, nedum possit secundum se cognosci, imo cognitioni obstat.

V. — **De natura speeierum.** Fuerunt plures opiniones. Democritus posuit esse quasdam entitatulas corporeas derasas a superficie externa corporum et sensibus impressas. Cujus opinionis absurditas ex se liquet. Istae enim species propter suum esse crassum potentiam cognoscitivam impedirent ; et insuper, in hac hypothesi, objecta externa paulatim minuerentur ex repetita speeierum derasione : hinc murus paulatim colorem ex repetita visione amitteret

Aliqui docent species esse spirituales. At debet assignari causa quae species spirituales excudat. Respondent quidam hanc causam esse Deum, qui species ad praesentiam objecti sensibilis produceret. Quae responsio occasionalismum plene redolet : anima tunc haberet speciem et sensationem independenter ab organo ; ad quid ergo esset organismus ? Alii communius dicunt hanc causam esse ipsam animam, quæ vim quamdam habet sibi pariendi hujusmodi species. At objicimus : vis illa non est determinata ad unam prae alia speciem producendam, sed indifferens est.

Quomodo igitur determinatur ? Ab impressione organica ? Sed impressio organica est quid materiale, nec ullatenus valet determinare in anima speciem immaterialem.

VI. — Dicendum est ergo species impressas esse proprie materiales ; id est habentes materi® conditiones, quamvis non ipsam materiam.

Arg. Ium. Quia non potest assignari alia causa ipsas producens nisi impressio organica et materialis quæ afficit compositum animatum et in illo reactionem determinat. Effectus autem non est præstantior sua causa. Ergo, species, effectus impressionis, sunt ordinis materialis.

Arg. IIum. Species intentionales in subjecto materiali recipiuntur. Quidquid autem recipitur ad modum recipientis recipitur. Ergo. Declaratur major : Subjectum potentiæ sensitivæ non est ipsa anima, sed organismus animatus. Organismus autem est materialis.

Potest tamen dici species spiritualis et immaterialis lato sensu, quatenus non retinet physicam objecti entitatem, sed esso purius, scilicet esse intentionale, suscipit.

VII. — Quæstio. Quæritur quid sensus specie intentionali informatus directe attingat, an speciem, an ipsam sensationem, an objectum. Cartesiani et recentiores subjectivist® ct idealistæ statuunt a sensibus non cognosci directe objecta externa, sed tantum modificationem subjecti sentientis. Lockiani et duces scholæ Scoticæ contendunt speciem esse id quod primario attingitur ; Scholastici cum S. Thoma docent speciem esse medium *quo* non medium *quod* : « Species quæ est in visu non est *quod* videtur, sed *quo* sensus videt ; quod videtur est color, qui est in corpore (1). »

Vili. — Conclusio: Illud quod sensus directe percipit non est species impressa, neque modificatio sensus, sed sensibile externum.

Arg. I"“. Species impressa se habet in senticmdo sicut sentiendi principium, est enim id quod determinat sensum ad actum. Atqui principium actionis non potest esse terminus

(1) S. Thomas, III *De Ánima,* lect. Vili. — De theoria illa hæc concludit Alibebt *(La Psychologie thomiste et les théories modernes,* pp 91-92} : « La théorie scolastique du *medium quo* serait, à notre sens, la plus acceptable, et cela pour deux raisons. I0 La perception externe, considérée même dans l'animal, en dehors de toute ingérence des facultés rationnelles, est une vraie connaissance. Or, la connaissance d'une chose extérieure au sujet suppose un milieu représentatif qui exprime celte chose... Donc la perception externe, même en dehors de l'ingérence des facultés rationnelles, suppose ce milieu représentatif... La solution proposée nous semble offrir une valeur supérieure à celle d'une simple hypothèse. 2° Si on croit devoir lui assigner ce caractère, du moins nous revendiquons pour elle toutes les conditions d'une bonne hypothèse : savoir, d'être fortement motivée en elle-même ; économe de principes et de causes ; féconde en résultats... Résultat précieux encore, l'espèce sensible nous révèle les objets eux-mêmes, à la différence des sensations musculaires et tactiles de M. Rabier, qui ne nous mettent en rapport qu'avec des états subjectifs, u

illius. Ergo, cum id quod sentitur sit terminus cognitionis, non potest species sensibilis esse id quod sentitur, saltem directe et per se, sed terminus cognitionis erit id cujus talis species est similitudo, scilicet sensibile externum.

Arg. II'l®. Si sensus directe cognosceret actum suum suamque modificationem et ea quæ in actu sunt, scilicet speciem, reflecteretur supra seipsum. Atqui, licet una potentia sensitiva possit cognoscere actum alterius, nulla tamen potentia hujusmodi potest reflecti supra se, cognoscendo actum suum et ea quæ in actu sunt, nempe speciem impressam ; impeditur enim ab organo cui est affixa. Ergo sensus non cognoscit suam impressionem nec suam speciem intentionalem. Restat ut cognoscat objectum externum.

Arg. ΠΓ®. Debet assignari ratio cur sensationes sint specifice divers®. At, ratio hujus diversitatis specific® non ex subjecto sed ex causa objectiva desumitur. Ergo sensatio est objectiva et objecta attingit. Prob. min. Ratio hujus diversitatis non repetitur ex ipsis nervis conductivis, nam videntur nervi esse prædíti conductivitate indifferenti. Utrum vero ex natura organi ? Sane specifica organi natura specificam arguit sensationem ; at rursus organi reactio specificatur a natura caus® excitantis. Ergo diversitas specifica sensationum ex diversitate caus® excitantis ultimate desumitur. Sed caus® excitantes, mechanic® nempe, vel physic® vel chimie®, sunt caus® objectivæ et extern®. Igitur specifica sensationum diversitas ex causis externis et objectivis desumitur, quod arguit sensationem esse objectivam.

Arg. IV"“. Si sensus non cognoscerent objecta externa, sed tantum speciem et modificationem suam, minus apprehenderent quam est in ipsis rebus. Atqui hæc assertio est contra sensum communem hominum, qui certi sunt se apprehendere quidquid est in re, se videre per oculum, non suam visionem, sed ipsum corpus coloratum. Sequeretur etiam Deum nos fallere inserendo sensus ministros fallaces qui minus referrent quam in rebus sit.

Arg. Vnm. Ex sententia opposita paratur via ad scepticisnwn. Negat enim scepticisirtus cognosci realem existentiam rerum. Porro non deprehendit realem existentiam rei qui habet tantum illius idolum. Nec nobis suppetit medium ad cog-

gnoscondam hanc existentiam, si affectiones tantum deprehendimus. Erit quippe inter nos et realitatem externam paries impertransibilis ; et, si forte mundus realis evanesceret, non possemus advertere, imo nec suspicari (1).

IX.— Licet sensatio sit essentialiter objectiva, respectus tamen subjectivus est in ea maximo attendendus.

Recolendum est sensationis subjectum esse organismum animatum, ut dictum est supra de facultatum subjecto. « Sentire non est proprium animæ neque corporis, sed conjuncti. Potentia ergo sensitiva est in conjuncto sicut in subjecto (2). » In sensatione igitur concurrunt et ea quæ sunt corporis et ea quæ sunt animæ. Quia ergo subjectum est extensum, ab objectis extensis pati directo potest, et, quia compositum istud est unum esse in quo communicant anima ct corpus, hinc explicatur quomodo objecta externa animæ uniantur, quomodove fiat de ordine subjectivo ad objectivum transitus. Plene intellecta doctrina scholastica de unione animæ et corporis deque potentiarum subjecto, quod est conjunctum, habetur illico *pons* ille, seu transitus, quem impossibilem fingunt adversarii, qui unionem mere accidentalem inter animam et corpus statuunt. Ex notione igitur subjecti sensationis infertur sensationem esse objectivam.

At animadvertatur subjectum sentiens osse activitate immanenti præditum ; impressiones igitur ab objectis acceptas aliquatenus immutat. Non est sicut speculum iners quod recipit tantum, sed, quatenus vitale, est sicut speculum quoddam activum quod posset objecta sibi impressa aliquatenus modificare, et sibi vitaliter assimilare. Quo circa sensatio est quidem objectiva et objecto similis, quia ab objectis progignitur (omnis autem effectus est similis suæ causæ) ; sed aliunde est similis subjecto,quod impressiones externas activitate sua immanenti aliquatenus transformat, quodque objecta non passive tantum recipit, sed aliquatenus immutat, vitaliter illa sibi assimilando. Qui respectus subjectivus non erit a respectu

(1) Cf. quæ disseruimus de sensuum veracitate, *Log. Maj.* Tract TT q. Ill, a. II, vol. I. pp. 301 et seqq. et I. P. Phil. Nat. *De qualiiatuin realitate,* vol. II, p. 235.

(2) S. Thomas, I. P. q. 77, a. 5.

objecti vo præscindendus, si velimus nobis genuinam ac integram sensationis parere notionem.

X. — An species impressa rationem habeat eausæ efficientis.

Quatenus potentiam informat et specificai, species rationem habet eausæ formalis, sed aliunde concurrit efficienter cum facultate.Quod enim intrinsece complet causam efficientem illamque reddit actu potentem ad agendum munus gerit causae efficientis. Atqui species impressa id præstat facultati ; hæc quippe secundum se est indeterminata, simul vero ut species impressa illi certum exhibet objectum, illam actu complet, determinat et reddit actu efficacem. Ergo species impressa rationem habet eausæ efficientis.

Quatenus igitur species potentiam specificai, est principalior facultate, sicut goneratim specificativum est specificato potius ; respectu vero actionis ut eliciendae principalior est facultas, quia species non agit nisi ut subjectata in facultate et a facultate dependens.

XI. — Utrum in sensibus externis dentur speeies expressae. In intellectu præter speciem impressam, quæ est principium intelligendi, concurrit species expressa (seu verbum mentale) quæ est cognitionis terminus et in qua intellectus suam exprimit intellectionem (1). Estne etiam species expressa in sensibus externis ? Affirmant plures (2), negant vero D. Thomas (3), ejusque discipuli (4).

Et merito. Ponitur species expressa ut in ipsa exprimatur objectum et terminetur actus, quando abest objectum ; at vero si præsens sit objectum, ut contingit pro sensibus externis, ad ipsum objectum terminatur cognitio, et superfluit species expressa.

Insuper, cognitio sensuum est essentialiter cxperimentalis. Atqui de ratione cognitionis cxperimentalis est ut attingat objectum non aliqua imagine expressa, sed immediato in ob-

ii) De verbo sermo erit in *Metaphys. Psychol.* Tract. I, q. III.
(2) CÎ. Pesch, *Psychol.* n° 470.
(3) *Quodlib.* 5, a. 1. ad. 2, et *Quodlib-* 8, a. 3.
(4) Cf. Joannes a S. Thoma, III. Γ. *Phil. Nat.* q. VI, a IV

jccto in sc. Ergo non datur species expressa in sensibus externis. Prob. min. In cognitione experimental! desumpta a rebus percipimus cognitionem esse rei conformem. At, si ros cognosceretur non in se immediate, sed in imagine expressa, rediret semper difficultas quomodo posset ultimate cognosci imaginem esse talis rei. Oportet ergo experimentalem cognitionem reducere ad aliquam cognitionem quæ sine imagine expressa fiat et objectum in se immediate attingat.

XII. — De specio expressa sensuum internorum. In sensibus autem internis, cum objectum non necessario sit praesens, dari debet species expressa, quæ illius vicem gerat et ad quam terminetur cognitio. Quare admittit Angelicus verbum imaginatum, imaginem nempe expressam, quæ medium tenet inter verbum mentale et verburn orale (1). Quam maxime autem differunt verbum imaginatum et verbum mentale. Verbum imaginatum conditionibus concretis, individuantibus, subjicitur ; verbum autem mentis est penitus spirituale c+ abstractum.

XIII.— Do sede sensationum. Recentiores, nonnullis præsertim abhinc annis, unanimi ore asserebant sensationem non in respectivis organis, sed tantum in cerebro peragi. Sententia vero sensus communis sedem sensationum in respectivis organis reponit ; huic adhærent non solum scholastici, sed etiam plures ex hodiernis philosophis, ut Bergson (2).

I0 Recentiorum opinionis duplex est fundamentum : unum philosophicum, collocans animæ sedem in cerebro, physiologicum alterum, nempe hypothesis nervi pure conductivi. Sic enim arguitur: Interrupta communicatione fibrarum sensitivarum cum cerebro, nulla resultat sensatio. Ergo centrum cerebrale est sensationum sedes.

2° Sensatio fit in substantia cinerea et in cellula nervea. Porro illæ deficiunt in organis sensuum et in nervis. Ergo ner-

(1) Gf. q. 9 *De veritate,* a. 1.

(2) Cf. Bergson, *Matière et Mémoire,* pp. 51-53 ; Faroes, *Objectivité de la perception ;* Mercier, *Psychol,* n. 75, 91 ; Pbsch, n. 546, et seqq.j Alieert, *La Psychologie thomiste,* p. 59-65.

vus organorum non est sensibilis, sed solum conductivus sensationis ; et idcirco in cerebro fit sensatio.

3° Dolor falso reponitur in membro amputato ; id autem ostendit sensationem non in membris, sed in solo cerebro peragi.

Nihilominus sustineri potest sensationem fieri in propriis organis, licet dependentor a cerebro, ut evincunt adversariorum argumenta.

XIV. — Conclusio : Sensatio externa in respcctivis organis perficitur. Arg. I''". Invocatur imprimis argumentum sensus communis ; persuasio adeo universalis, adeoque invicta et firma, circa rem naturalem, experiinentalem, homini maxime propinquam, censetur esse veritas quædam naturalis, cui contradicere præsumptionis videtur.

Arg. IInm. Hic fieri potest sensatio ubi adest anima sensitiva et organum apte dispositum.· Anima autem sensitiva est tota in singulis organis, organa vero sunt optime disposita, ut apparet ex mira ipsorum structura. Frustanea porro erit hæc structura nisi peragatur ibi sensatio : e contra cerebrum in se non suscipit singulos apparatus visionis, auditus, olfactus, gustus aut visus (1). Ergo.

Arg. IIIum. Ostendunt facta physiologica, teste Béclard, separari posse in nervo functionem sensitivam et functionem conductivam ; quod evincit nervum non esse puro conductivum; ostendit insuper physiologia centra nervea posse uri, secari quin moveatur sensibilitas ; nervum motorem insitum nervo sensibili nullam elicere sensationem, etiamsi communicationem cum sensibilitatis centro retineat; in quibusdam animalibus constat simplices cellulas esse impressionis sensibilis capaces. Ergo a fortiori sensibilis impressionis capaces sunt nervi peripherici. Ex his factis erui potest sensationem non in

(1) » On s'aperçoit bien vite que si la sensation n'est pas au point où elle parait se produire, elle ne pourra pas davantage être ailleurs que si elle n'est pas dans le nerf, elle ne sera pas non plus dans le cerveau ; car pour expliquer sa projection du centre à la périphérie, une certaine force est nécessaire, qu'on devra attribuer à une conscience plus ou moins active. Il faudra donc aller plus loin, et après avoir fait converger les sensations vers le centre cérébral, les pousser tout à la fois hors du cerveau et hors de l'espace. » H. Bebgson, *Matière et Mémoire,* p. 52.

centro cerebrali peragi, sed directe afficere nervum, sensibilem et organa peripherica.

Arg. IVum. Ex refutatione alterius sententiae. Fundamentum philosophicum ruinosum omnino est, ut alibi ostendimus. Ad cætera objecta respondendum est : Ad primum : Factum interruptionis fibrarum evincit solum actionem centrorum cerebralium et transmissionem impressionis ad cerebrum et cerebri reactionem ad sensitivam perceptionem requiri. Necessario autem concurrere cerebrum libenter fatemur et jam admittebant veteres, qui docebant omnes sensationes a sensu communi,qui in cerebro residet, dependere. Sed latior erit conclusio præmissis, si inferatur sensationem in centro cerebrali peragi. Cæterum plures auctores ipsum antecedens in dubium vertunt.

Ad secundum : Scientifici, Richet, Ranvier, etc., invicte ostendunt substantiam cineream in partibus nervi centralibus reperiri, et pariter formam cellularem jam in ipso nervo existere.

Ad tertium : Illusio amputati est imaginationis factum, e._ quo solum concludere fas est perceptionem imaginativam in CBrebro perfici. Porro illusio in hoc non consistit, ut sentiatur dolor in extremitate nervorum, sed ut putetur, propter inveteratum habitum, extremitates, nerveas eamdem retinere figuram, eumdemque situm, sicut ante amputationem. Sed hic ipsemet error invincibile ostendit experientiae testimonium (1).

XV. —**De sensationibus inconsciis.** Generatim philosophi qui sensus internos cum externis confundunt negant ipsam sensationum inconsciarum possibilitatem ; item subjectivistæ, qui contendunt nullam fieri sensationem nisi attingatur subjectum sentiens. Hanc opinionem tuentur Cousin, Stuart Mill, Rabier. Oppositam vero tenent Leibnitz, Reid, Maine de Biran, Dugald-Stewart, Royer Collard, plures Scholastici, quo-

(1) « On allègue encore les localisations erronées, l'illusion des amputés (qu'il y aurait lieu, d'ailleurs, de soumettre à un nouvel examen). Mais que conclure de là, sinon que l'éducation subsiste,une fois reçue, et que les données de la mémoire, plus utiles dans la vie pratique, déplacent celles de la conscience immédiate ? » H. Bergson, *Matière et Mémoire,* p.51-52.

rum doctrinam exponunt et defendunt Farges, Mercier, etc-(1).

Argumenta sic breviter perstringi possunt :

Arg. Ium. Quodlibet potest esse sine illo quod suum non ingreditur conceptum. Atqui conscientia non ingreditur sensationis conceptum. Ergo potest dari sensatio sino conscientia. Declaratur minor. Conceptus sensationis requirit quidem ut ipsa sentiat objectum, non vero ut sentiatur a subjecto, exceptis tamen sensationibus internis, ut dolore, delectatione, quæ natura sua conscientiam subjecti sentientis important. Igitur, quamvis repugnet sensatio quæ non sentit, non implicat sensatio quæ non sentitur.

Arg. II"m. Sicut reflexio et conscientia augent sensationem, ita distractio vel maxima sensus ad objectum externum intentio minuit conscientiam ; et tanta esse potest hæc intentio ut conscientia penitus amittatur.

Arg. 111"™. Recolantur præcipua somnambulismi et hypnotism! phænomena, ex quibus innotescit dormientem et inconscium non raro audire et interroganti respondere. — Alia recensentur facta quotidiana : sic molitor dormiens expergefit, cum sistit molendinum ; pariter in vita nostra multa prius conscia, influente habitu, inconscia evadunt ; hinc est quod impressiones inconsci®, habitusque inconscii, antipathiævc inconsciæ, adeo grave in humanis moribus habeant momentum.

Respondent adversarii hæc omnia percipi conscientia quadam obscura, infima, quæ dici potest *parva conscientia.* Sed hæc videntur verba sine re, pro causæ necessitate adinventa. Quid enim esse potest conscientia non sui conscia ?

Possibilis ergo est sensatio absque conscientia proprie dicta, seu reflexa. Utrum vero abesse possit etiam conscientia concomitans, difficillimum est dirimere. Negat Pesch. « Posse quidem a cognitionibus abesse conscientiam, quam reflexam diximus (sive perfectam sive imperfectam), minime tamen conscientiam concomitantem, quæ ad essentiam cognitionis pertineat. Neque tamen ambigendum est, in hac conscientia concomitante quædam conscientiae reflex® initia posita esse (2). »

(1) Cf. Faroes, *Le Cerveau, l'âme et les facultés,* seconde partie. II ; Mercier, *Psychol.* n° 94-86. — De illa factorum inconsciorum theoria illiusque origine et historia, legatur F. Mentré, *Revue de Philosophie,* mars 1906. pp. 255-273.

(2) *Psychol.* n° 492.

XVI.— De attentione. Praeter conscientiam illam concomí» tintern requiritur ad cognitionem rei claram, distinctam ac perfectam, quædam specialis cognoscentis excitatio ad illam rem prae aliis accuratius percipiendam, et hæc applicatio dicitur attentio, quæ semper cum conscientia reflexa conjuncta est. « Attentioni locus est, ait P. Pesch, loc. cit., in cognitions tum intellectiva tum sensitiva. Sed non sine ratione de ea agi solet, ubi de cognitione sensitiva dicitur ; nam ejus natura in vita sensitiva multo facilius perspicitur. In ipsa rerum externarum perceptione attentio major minorve esse solet, quo magis minusve activitas cognoscitiva adhas velillasres rerumve proprietates cum aliarum neglectu directa est. » Potest attentio contingere dupliciter : vel ex objecto quod novitate, art perspicuitate, aut amabilitate sua, facultatem magis percellit, vel ex appetitu, qui facultatem in aliquid figit et ab aliis percipiendis impedit. aMens hominis potest intendere vel non intendere, et quod non intendat contingit dupliciter : quandoque quidem ex hoc quod habet voluntatem sponte se avertentem a consideratione talis principii...; alio modo per occupationem mentis circa alia quæ magis diligit, quibus ab inspectione hujus principii mens avertitur (1). »

XVII. **— Concludendum.** Retineri adhuc posse quoad suba tantiam Thomistarum doctrinam de sensatione, sed, ut, rite explicentur productio speciei intentionalis et perceptio, addenda quæ tradit recentior physiologia de centris nerveis de propagatione influxus instar undulationis, de excitatione cerebri, etc., prout exposuimus, p. 238, ss., 263, ss.

(1) S. Thomas, lia Ilæ, q. 15, a. 1. « Ainsi le Docteur angélique n'ignorait pas la part de l'attention dans la connaissance et les variations d'intensité qu'oUe produit dans nos actes d'intelligence. S'il ne regardait pas ce phénomène comme contraire à sa théorie de l'actuation de l'entendement par les formes de l'objet, c'est qu'il-expliquait l'attention par la complaisance avec laquelle nous nous arrêtons à considérer les objets connus, explication qui suppose que cette actuation est la première condition de l'attention. » Vacant, *Etudes comparées sur la Philosophie de glint Thomas d'Aquin et sur celle de Duns Scot.* t. I, p. 106.

QUÆSTÏO QUARTA,

Do facultatibus sensitivis appetitivis (1).

Cognitionem sequitur appetitio, ao facultatem cognoscitivam facultas appetitiva. Hinc disserendum tum de appetitu sensitivo, tum de ejus motibus, qui dicuntur passiones.

ARTICULUS PRIMUS.

DE IPSO APPETITU.

I. — Quid appetitus in genere. Appetitus est inclinatio rei ad id quod est sibi conveniens : nihil autem est conveniens alicui nisi et quatenus rationem perfectivi, seu boni, præ se ferat. Appetitus igitur est tendentia ad proprium bonum, unde et bonum esse dicitur illud quod omnia appetunt. Quocirca tot debent esse appetitus diversi quot sunt diversæ ad bonum inclinationes-Appetitivam facultatem recentiores non agnoscunt, sed varias inclinationes *sensibilitati* adseribunt. Thomistica autem doctrina sequentibus exponitur.

(1) Consuli possunt: S. Thomas, I. P. q. 19, a. 1. q. 80 ; *veritate,* q. 15, a. 5, q. 22, a. 1. et a. 10, q. 25, a. 1 ; Joannes a S. Thoma, q. XII ; Bossuet, *Connaissance de Dieu et de soi-même,* c. Il et c. III; Pesch, disp. III. sect. IV; Mercier, *Psychol,* n. 22' et seqq., *Orig. de la psychol. contemp.,* c. VI ; Bain, *The emotions and the will ;* Ribot, Zes *maladies de la volonté, La logique des sentiments ;* Vallet. *La tête et le cœur.* etc.

II. — Prima conclusio : Tres sunt appetitus inter se realiter distincti : appetitus naturalis, appetitus sensitivus, ac appetitus intellectivus.

Probatur. Quamlibet formam sequitur aliqua inclinatio ad proprium bonum. Atqui triplex est forma distincta : forma nempe naturalis, formaque intentionalis sensitiva, ac forma intentionalis intelligibilis. Ergo triplex est appel itus seu triplex indiiirttio : appetitus naturalis, appetitusque f.ensitivus, ac appetitus intellectivus.

Major inductione colligitur. Videmus enim ad diversas for mas diversas oriri inclinationes : ad formam quidem ignis sequitur peculiaris tendentia, ad formam vero lapidis inclinatio diversa. Cum enim res quælibet forma, seu natura, sua, ad suam perfectionem tendat, oportet ut ad illam feratur vel quiescendo in illa, si jam habet, vel quærendo illam si nondum habet. Ergo quamlibet naturam, seu formam, propria consequitur inclinatio.

Declaratur minor. In non cognoscentibus est una tantum forma determinans unumquodque ad unum esse proprium ; sicut in lapide est una forma dumtaxat ipsum definiens ad esse mineralis. Hæc est forma naturalis, quam comitatur appetitus innatus. — In cognoscentibus est quidem forma naturalis, qua in proprio esse specifico reponuntur, unde ipsis inest etiam appetitus naturalis, sed præter ipsam possunt insuper formas aliarum rerum modo intentionali recipere et sibi vitaliter assimilare. Cognoscentia porro sensitiva sibi attrahunt rerum formas modo quidem vitali et intentionali, sed non independenter a materia. Species igitur 'quam sibi comparant est intentionalis sensitiva, quæ idcirco quemdam appetitum sensitivum expostulat. Demum cognoscentia intellectiva suscipiunt aliorum formas modo non tantum vitali et intentionali, sed etiam universali et independent! a materia. Quia ergo formam habent intellectivam, inde consequi debet appetitus intellectivus. Tres ergo constat esse appetitus ; et, sicut forma intentionalis sensitiva realiter a forma naturali differt, et forma intelligibilis a forma sensitiva, ita appetitus sensitivus realiter ab appetitu naturali,et intellectivus realiter a sensitivo, discriminantur.

III. — **Objicies :** Ex eo quod detur forma intentionalis inferri tantum potest consequi inclinationem ad ipsam formam intontionalem, non vero inclinationem, seu appetitum, ad ipsum bonum per formam apprehensum.

Resp. : Optime concluditur dari appetitum ad ipsum objectum forma apprehensum. Species enim intentionalis ideo præcise dicitur forma facultatis cognoscitivæ, quia repræsentat et refert ipsum objectum, et est essentialiter *objectiva,* seu objecti *vices gerens.* Quapropter appetitus qui facultatem sic informatam comitatur non debet esse ad ipsam speciem intentionalem, ut est mera qualitas accidentalis, sed ad ipsum objectum ut repraesentatur conveniens. Re quidem vera, inclinatio sequitur ad formam in quantum hæc exhibet aliquid conveniens et bonum. Ergo inclinatio debet esse ad objectum ipsum, repraesentatum ut conveniens vel ipsi facultati, vel aliis facultatibus, vel ipsi naturae.

IV.— Ajipctitus innatus et elicitus. Appetitus consequens formam sive sensibilem sive intelligibilem vocatur elicitus, appetitus vero consequens formam naturalem est innatus. Bruta animalia et homo appetitu quidem elicito, plantae vero et mineralia nonnisi appetitu innato gaudent.

Differentiae autem inter appetitum innatum et elicitum in quatuor constant : I0 Innatus est absque ulla cognitione, elicitus vero cognitionem comitatur et ex cognitione progignitur. 2° Innatus nunquam contrariatur naturali inclinationi, elicitus vero interdum aliquid contra naturalem tendentiam operatur, sicut animal naturali inclinationi ad cibum resistit propter timorem verberum. 3° Elicitus potest ad bonum apparens deviari, innatus vero semper fertur ad bonum reale, natura quippe ad falsum nunquam impellit. 4° Appetitus innatus tendit ad bonum ut est conveniens tali naturæ, talique formae, talive potentiæ ; appetitus vero elicitus trahitur in bonum ut est conveniens simpliciter animali. Quod quidem magis apparebit si· comparentur appetitus, seu inclinatio cujusque facultatis, ad suum objectum, et inclinatio seu appetitus sequens cognitionem. « Unaquæquo potentia animæ est quædam forma, seu natura, et habet naturalem inclinationem in aliquid. Unde unaquæque annet.it objectum sibi conveniens na-

turali appetitu, supra quem est appetitus animalis consequens apprehensionem, quo appetitur aliquid non ea ratione qua est conveniens ad actum hujus vel illius potei.tiæ, utpote visio ad videndum ct auditio ad audiendum, sed quia est conveniens simpliciter animali (1)-»—Jam constat dari appetitum sensitivum ab appetitu innato diversum, sed appetitus potest sumi pro actu vel potentia.Quæritur itaque utrum appetitus sit potentia an actus tantum.

V.— Secunda conclusio : Appetitus est quædain potentia qnæ oritur cx potentiis coglioscitivis et ab illis realiter distinguitur.

Probatur Ia pars. Inclinatio actualis est quædam specialis operatio qua animal fertur ad aliquid apprehensum ut conveniens, vel fugit a nocivo. At specialis operatio aliquam exposcit potentiam, a qua immediate egreditur ; natura enim non est immediate et per se operativa. Ergo inclinatio, seu tendentia actualis, aliquam potentiam supponit et exposcit, ideoque appetitus non solum actum, sed et potentiam designat. Imo communius vox *appetitus* innuit potentiam, actus vero proprie dicitur *appetitio.*

Probatur IIa pars. Appetitus formam intentionalem consequitur. Atqui forma intentionalis a facultatibus cognoscitivis comparatur. Ergo potentia appetitiva ex facultatibus cognoscitivis oritur, et, quemadmodum appetitiva supponit cognoscitivam, ita appetitio expostulat cognitionem. Hinc effatum : *Ignoti nulla cupido.*

Probatur IIIa pars. Facultates realiter diversificantur cx objectis formaliter diversis et modo formaliter diverso quo attinguntur objecta. At objectum cognoscitivæ virtutis et objectum appetitiva formaliter secernuntur, et pariter modus attingendi objecta est formaliter diversus. Ergo facultates appetitiva realiter a cognoscitivis discriminantur.

Prob. min. Io Objectum formale est diversum, nam aliquid apprèhenditur ut sensibile vel intelligibile ; appetitur vero ut est conveniens aut bonum. Bonum autem et verum formaliter differunt.

(1) I. P. q. 80, a. 1. ad. 3.

2° Modus attingendi objecta est formaliter diversus. In cognitione enim objectum attrahitur ad cognoscentem, in appetitione vero appetens attrahitur ad objectum appetibile ; cognitio quippe fit in quantum cognitum est in cognoscente, appetitio vero in quantum appetens est in appetibili. Terminus itaque appetitus, scilicet bonum, est in re appetibili, sed terminus cognitionis, nempe verum, est in intellectu. Ex quo sequitur alia differentia : inferiorum cognitionem præstarc dilectioni, superiorum autem dilectionem et præcipuo Dei præeminerecognitioni. In cognitione enim res inferiores ad modum cognoscentis recipiuntur, et, cum cognoscens supra ipsas consistat, hinc elevantur et nobilitantur per cognitionem ; res autem superiores sunt in cognoscente imperfectiori modo ciuam in scipsis. In appetitione e contra anima ipsis rebus conjungitur ; et, si quidem res sint infra hominem, anima ad ipsas descendendo, vilior fit juxta illud prophetæ : *Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt* (1). Si vero sint supra hominem, eas appetendo anima supra seipsam evehitur, et inde nobilis efficitur sicut ea quæ diligit. Hinc Dei amor maxime perficit hominem et cognitioni praeeminet.

Ex his erui potest definitio appetitus eliciti : *Facultas qua cognoscens fertur ad objectum apprehensum ut sibi conveniens, vel fugit ab objecto apprehenso ut malo et nocivo.*

VI. — Appetitus sensitivus» Est inclinatio in objectum sensu apprehensum. Differre ab appetitu naturali jam ostensum est ; palam est etiam diversum esse ab appetitu intellectivo. Hic enim est inclinatio ad objectum intellectu apprehensum. Tanta ergo inter appetitum sensitivum et intellectivum intercedit differentia quanta inter sensum et intellectum.

Probatur insuper. Mobilia distinguuntur secundum distinctionem motivorum. Atqui motivum quod appetitum sensitivum impellit ordinis est sensitivi, motivum autem appetitus intellectivi est ordinis spiritualis. Ergo inter utramque potentiam idem viget discrimen quod inter ordinem sensibilem et frdinem spiritualem.

Nomen appetitus sensitivi est *sensualitas.* Nomen enim po-

fl) Osee, IX, 10.

tentiæ desumitur a suo proprio actu, sicut nomen visus ab actu visionis. Actus autem appetitus sensitivi est motus sensualis. Ergo recte appetitus dicitur sensualitas. Cum ergo hoc vocabulum desumatur a motu, non designat vim apprehensivam ; nam actus apprehensivus non est proprie motus, si quidem cognitio fit in quantum cognitum est in cognoscente.

VII. — Appetitus sensitivus est potentia organica, quæ ex viribus physlco-cliiinicis aut vegctallbus resultaro nequit.

Probatur Ia pars. Effectus et mobile proportionantur causae et motori. At motor et causa appetitus sensitivi sunt potentiae cognoscitivæ organis affixæ. Ergo appetitus sensitivus debet esse potentia organis affixa.

Confirmatur. Objectum quod prosequitur appetitus sensitivus est bonum concretum, particulare, conveniens sensui. Facultas autem quæ versatur circa objectum particulare et concretum organica est. Ergo.

Probatur IIa pars. Appetitus ejusdem est ordinis cum facultate cognoscitiva a qua oritur. Sed facultas cognoscitiva a qua procedit appetitus sensitivus in immensum excedit vires mechanicas aut vegetativas : nam entia hujusmodi ad proprium esse coarctantur,cognoscentia vero ordinantur ad multa objecta extrínseca, ut plus semel in præcedentibus ostensum est. Ergo.

Confirmatur. Omnes combinationes virium mechanicarum aut vegetalium impares omnino sunt explicandis delectationibus, gaudio, doloribus, etc.: « Il est radicalement impossible, ait Du Bois Reymond, d'expliquer au moyen de n'importe quelle combinaison mécanique pourquoi un accord de diapason me fait -plaisir, pourquoi, au contraire, le contact d'un fer chaud me fait mal (1). »

VIII. — Appetitus sensitivus dividitur in concupiscibilem ct irascibilciu tanquam in duas facultates realltcr distinctas.

Probatur Ia pars. Appetitus sensitivus est inclinatio consequens apprehensionem sensitivam, sicut appetitus naturalis

(1) *Congrès des naturalistes à Leipzig,* 1872.

est inclinatio consequens formam naturalem. Quapropter appetitus sensitivus se habet ad objectum sensu apprehensum sicut appetitus naturalis in suo ordine. Appetitus porro naturalis fertur ad duo : I0 ad consequendum convenientia et refugiendum nociva ; 2° ad resistendum corrumpentibus et contrariis, quæ impediunt convenientia. Ergo etiam in appetitu sensitivo debent concurrere duo : unum quo fertur ad consequendum convenientia et refugiendum nociva, alterum ad resistendum contrariis quæ convenientia impugnant et nocumentum inferunt/ In primo casu habetur appetitus *concupiscibilis ;* in altero vero constituitur appetitus *irascibilis,* quia animal debet irasci ad consequendam victoriam super illud quod est sibi adversum.

Probatur IIa pars, nempe duos hujusmodi appetitus realiter discriminari. Primo quidem, quia objecta sunt formaliter distincta. Objectum quippe concupiscibilis est bonum vel malum simpliciter apprehensum, seu bonum delectabile sensui ; objectum vero irascibilis est arduum. At delectabile et arduum formaliter discrepant : quod enim est difficile et arduum e regione opponitur ei quod delectabile est secundum sensum. Secundo, quia termini ad quos ordinantur sunt diversi. Nam concupiscibilis tendit ad recipiendum, quatenus objectum delectabile conjungitur appetitui ; irascibilis vero ad agendum, ut per suam actionem repellat et superet impugnantia et nociva. Tertio, quia duo isti appetitus exhibent inclinationes diversas, nam interdum irascibilis se ingerit tristibus, contra inclinationem concupiscibilis. Quarto, quia utriusque appetitus passiones inter se pugnare videntur, nam concupiscentia accensa minuit iram, et ira accensa minuit concupiscentiam in pluribus. Quinto, quia irascibilis est potentia quasi propugnativa et defensiva concupiscibilis, dum insurgit contra ea quæ impediunt convenientia quæ concupiscibilis appetit, et ingerunt nociva quæ concupiscibilis refugit. Et propter hoc omnes passiones irascibilis incipiunt a passionibus concupiscibilis et m eas terminantur, sicut ira nascitur cy illate tristitia et vindictam inferens in laetitiam terminatu · (1‖

(1)8. Thomas, I. P. q. 81, a. 2.

IX. — Appetitus irascibilis, licet in quibusdam inferior sit concupiscibili, simpliciter tamen est illo præstantior.

Ostenditur Ia pars. Operatio irascibilis est propter operationem concupiscibilis : ideo enim militat irascibilis ut concupiscibilis bono delectabili in pace fruatur. Quod autem est propter aliud reputatur eo inferius. Igitur ex parte operationis irascibilis est concupiscibili sequior.

Probatur IIa pars. Arg. I"m. Ille appetitus nobilior est qui apprehensionem nobiliorem consequitur. Atqui appetitus irascibilis sequitur boni *utilis* apprehensionem, quæ sane nobilior et præstantior est apprehensione boni mere delectabilis. Ergo.

Arg. ir,m. Ille appetitus præstantior censetur qui propinquior est rationi et voluntati. Atqui, teste Angelico (1), irascibilis est propinquior rationi et voluntati quam concupiscibilis; nam appetere bonum delectabile, quod pertinet ad concupiscibilem, competit animali secundum propriam rationem sensibilis animæ, sed relinquere delectabile ut appetat victoriam quam consequitur cum dolore, hoc aliquatenus attingit ad partem rationalem. Ergo.

Arg. IH"m. Irascibilis est sicut juvans et defensor, concupiscibilis vero sicut juvatus et defensus. Atqui juvans et defensor, cæteris paribus, est superior et dignior defenso et juvato. Ergo irascibilis est dignior concupiscibili.

X. — De instinctu. Ex notione appetitus innati et eliciti intelligitur quid sit *instinctus.* Est inclinatio determinans animal ad operationes quasdam ad bonum animalis conferentes, quarum ratio non redditur ab ipso operante. Non est ipse conatus quo unaquaeque facultas ad proprium actum fertur, nec aliquid ex mechanica reactione resultans, sed est necessaria inclinatio, quæ nec a studio nec ab experientia, sed ab ipsa natura originatur ; sicut in homine sensus communis non a reflexione, sed a spontaneitate procedit.Hinc est quod ratio illarum operationum non reddatur ab ipso operante. Instinctus enim non est secundum se cognoscitivus, licet judicium contineat convenientiae vel nocivitatis. Sicut porro sensus hom

(1) Q. 25 *De veritate.*

num communis illa spectat quæ sunt ad vitam rationalem, saltem inchoandam, necessaria, ita instinctus ingerit operationes illas quæ ad bonum vitæ animalis conferunt, conservationemque individui, nutritionem nempe, defensionem, etc., aut speciei propagationem, spectant. Instinctus, utpote a natura determinatus, invariabilis persistit, diversitatem ντο suscipit juxta specierum diversitatem vel diversitates ejusdem speciei permanentes ac fixas.

Ad appetitum partim refertur, partimque ad ordinem cognoscitivum. Ad appetitum quidem et præcipue, quia est formaliter inclinatio, qua naturaliter impellitur animal ad certas operationes ; ad ordinem vero cognoscitivum, quia proxime ab æstimativa oritur. Importat enim naturale judicium convenienti® vel nocumenti. « Vis autem apprehendens hujusmodi rationes convenientis et non convenientis videtur virtus æstimativa, per quam agnus fugit lupum et sequitur matrem ; quæ hoc modo se habet ad appetitum partis sensitivae, sicut se habet intellectus prácticos ad appetitum voluntatis (1). »

(1) S. Thomas, II *disi.* 24, q, 2, a. 1 — De instinctu fuso calamo scripserunt Ubabubu, t. IV, pp. 884 et seqq; Pesoh. *Psychol.* t. Π, n. od8 et seqq. Consuli etiam possunt Floubens, *L'instinct;* Joly, :»„·« Recolantur quæ disseruimus de æstimativa, supra, p. 225.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE MOTIBUS APPETITUS, SEU PASSIONIBUS.

I.—Genuina passionis notio. Passio generatim apud **recela** tiores audit inclinationem exaggeratam et perversam, « Tinclinaü m exagérée et pervertie », ut ait Rabier. Apud Scholasticos vero triplici sensu accipitur : I0 pro omni receptione ejus ad quoi subjectum est in potentia ; 2° pro receptione formæ convenientis ; 3° pro abjectione formæ convenientis et receptione forme non convenientis. Sensu autem proprio dicitur, quando patiens trahitur ad aliquid agentis, et abjicit aliquid sibi conveniens. Passio vero cum abjectione non est nisi secund transmutationem corporalem ; hinc non competit animæ ratione sui, sed ratione compositi. Dupliciter autem anima patitur ratione corporis ; aliquando enim passio incipit a corpore et terminatur in anima secundum quod unitur corpori tamquam forma, ut cum læditur aut uritur corpus. Quo casu est quidem passio proprie dicta ; sed, quia prius est in corpore quam in anima, non dicitur passio *animalis,* sed *corporalis.* Aliquando vero passio incipit ab anima ut est motor corporis et in corpore terminatur, ut, cum ex motu iræ consequitur aliqua transmutatio in corpore. Hæc est passio etiam proprie dicta ; at, quia prius est in anima quam in corpore, dicitur *animalis.* De hac tantum in præsenti agitur. Passio igitur animalis definiri potest : *Motus appetitus sensitivi ex imaginatione boni vcimali, cum aliqua transmutatione corporali, praesertim circa cerebrum et cor.*

Dicitur I0 *motus appetitus sensitivi ;* passio quippe non est animæ tantum, nec corporis tantum, sed compositi. Appetitus porro sensitivus est virtus quæ ab anima profluit et in organismo animato subjectatur. Passio itaque est ab anima tanquam

a principio effectivo, et ab organismo tanquam a subjecto (1). 2° *Ex imaginatione boni vel mali :* sicut enim facultas appetitiva oritur ex apprehensive, ita motus, seu actus, appetitus ex apprehensionis actu originatur, qui manifestat objectum tamquam conveniens, seu bonum, vel disconveniens, seu malum. Hæc autem apprehensio est *imaginationis,* non intellectus, nam appetitus qui consequitur intellectus cognitionem est ordinis spiritualis. — 3° *Cum transmutatione* corporali. Nam passio proprie importat abjectionem formæ convenientis, quæ quidem nonnisi per quamdam transmutationem corporalem fieri potest. Quare in omni passione, sub imaginationis influxu, resultat aliqua .mpressio in organo, sicut dicitur quod ira est accensio sanguinis circa cor. Addimus autem id fieri circa cerebrum, nam passio afficit immediate systema herveum ejusque centrum, nempe cerebrum ; et hinc resultat perturbatio circa *cor,* unde « in omni passione animæ additur aliquid vel diminuitur a naturali motu cordis, in quantum cor intensius vel remissiiis movetur secundum systolen aut diastolen (2). »

Hinc quatuor eruuntur : I0 esse aliquid formale et aliquid materiale in passione. Formale est ex parte appetitus, sicut in ira formale est appetitus vindictæ ; materiale vero est id quod resultat in corpore ex influxu appetitus, sicut in ira materiale est accensio sanguinis circa cor, vel aliquid hujusmodi. 2° Passionem animalem non esse in parte apprehensive. Nam per passionem agens trahitur, ad id quod est agentis ; per vim autem apprehensivam anima non trahitur ad res, quin potius res ad se attrahit. 3° Passionem animalem non esse proprie in appetitu intellectivo. Nam passio transmutationem exposcit corporalem, at intellectivus appetitus perturbationem hujusmodi non suscipit, cum voluntas non sit virtus alienjus organi nec organi consortium subire queat. 4° Passionem animalem

(1) « Ainsi le concours de l'âme et du corps est visible dans les passions.» Bossuet, *Connaissance de Dieu et de soi-même, c.* III, η. XI.

(2) Ia II®, q. 24, a. 2, ad. 2. « La passion remue la chair et le sang pins que la pensée, plus que le vouloir intellectuel, plus que l'acte de vision sensible... Les passions atteignent la chair et le sang, les font passer par toutes les transes du spasme et de l'extase, elles jouent sur les nerfs et sur les muscles, sur le cerveau et sur le cœur, comme sur un instrument vivant et vibrant, les hymnes de l'amour, du désir, de la joie, de l'ivresse...· Janvier, *Les Passions,* pvem. conf.

sedulo distinguendam esse a passione corporali ; quia passio animalis prius est in anima quam in corpore, sicut modo explicatum est, passio vero corporalis prius in corpore quam in anima, ut adustio.

II. — De passionum divisione. Peripatetici et Scholastici undecim passionum species agnoscunt : sex nempe in appetitu concupiscibili, quinque vero in irascibili. Quam divisionem pulchre exponit et defendit Bossuetius. Cartesius, e contra, sex tantum passiones simplices, seu primitivas, statuit : admirationem scilicet, amorem, odium, desiderium, gaudium et tristitiam. Hume passiones dispescit in directas et indirectas. Ad directas reducit : desiderium, aversionem, tristitiam, gaudium, spem, timorem, desperationem, securitatem ; ad indirectas : superbiam, humilitatem, ambitionem, vanitatem, amorem, odium, invidiam, misericordiam, malitiam , liberalitatem, seu generositatem, cum suis annexis. A.Bain duodecim passiones adstruit; P. Janet sex passiones appetitus concupicibiliscum scholasticis admittit, et ex illis vult alias omnes derivari. Alii alias invehunt divisiones.

III. — Conclusio : Undecim sunt passiones : sex quidem in concupiscibili ; quinque vero in irascibili.

Probatur Ia pars. Objectum concupiscibilis est bonum vel malum sensibile simpliciter apprehensum. At circa bonum sensibile simpliciter apprehensum sunt tres passiones, circa malum vero simpliciter apprehensum tres etiam concurrunt passiones. Ergo. Imprimis debet esse propensio ad bonum, seu complacentia boni, et hoc pertinet ad passionem *amoris.* Secundo, si bonum nondum sit habitum, imprimit appetitui motum ad consequendum ipsum bonum amatum, et id importat passionem *desiderii* vel *concupiscentiæ.* Tertio, quum adeptum fuerit bonum confert appetitui quietationem quamdam in ipso bono adepto, et hoc designat *delectationem,* vel *gaudium.* Tres ergo sunt passiones circa bonum : *1° amor,* qui est propensio in bonum conveniens ; 2° *desiderium,* quod est motus in bonum absens, sed futurum ; 3° *delectatio,* vel *gaudium,* seu quies in bono.possesso.

Circa malum vero simpliciter apprehensum triplex est mo-

tus. Io Sicut enim datur complacentia, seu sympathia boni convenientis, ita debet esse antipathia mali disconvenientis, et id pertinet ad passionem *odii.* 2° Malum apprehendi potest ut absens, sed futurum, et sic progignitur motus *fugæ,* seu *abominationis.* 3° Vel malum est apprehensum ut præsons et actualiter injacens, et ita causatur motus *doloris,* seu *tristitiae.* Tros ergo iterum comperimus passiones, circa malum : 1° *odium,* quod est aversio a malo disconvenienti ; 2° *jugam,* abominationem, quæ est recessus a malo futuro ; 3° *tristitiam,* quæ ex mali præsentia generatur.

Probatur IIa pars. Objectum irascibilis est bonum vel malum sensibile arduum. Circa bonum quidem arduum sunt duæ passiones, circa malum vero arduum sunt tres passiones. Ergo. — Vel enim bonum arduum apprehenditur ut possibile adeptu, et tunc fit accessus ad ipsum, et hæc est passio *spei ;* vel bonum arduum apprehenditur ut adeptu impossibile, et jam receditur ab illo, hinc *desperatio.* Malum autem arduum vel apprehenditur ut superabile, et tunc appetitus erigitur contra malum superandum, sicque gignitur passio *audaciæ ;* vel malum arduum est imminens et inevitabile, et jam appetitus ex illius objecti terribilis præsentia dejicitur, et habetur motus *timoris.* Vel tandem malum arduum motum excitat ad inferendum nocumentum causæ quæ malum intulit, et hinc oritur *ira.* Quinque ergo sunt passiones in irascibili : Io *spes,* seu motus in bonum arduum adeptu possibile ; 2° *desperatio,* seu recessus a bono adeptu impossibili ; 3° *audacia,* seu erectio contra malum terribile superandum ; 4° *timor,* seu dejectio appetitus propter malum terribile injacens et inevitabile ; 5° *ira,* seu appetitus vindictae contra causam quæ malum intulit.

IV. — Duplex contraríelas in passionibus. Quo clarius appareat differentia passionum ab invicem, distinguenda est in ipsis duplex contraríelas : una quidem secundum accessum vel recessum ab eodem termino, altera vero secundum contrarietatem objectorum. Passiones enim sunt quidam motus ; in mutationibus porro et motibus est una contrariétés secundum accessum et recessum ab eodem termino, sicut generatio est mutatio *ad* esse, corruptio vero mutatio *ab* esse, et hæc est proprie contraríelas mutationum ; alia autem est secundum

contrarietatem terminorum, sicut dealbatio, quæ est motus a nigro in album, opponitur denigrationi, quæ est motus ab albo in nigrum, et hæc est proprie contrariétés motuum (1).

V. — Prima conclusio: In passionibus concupiscibilis Invenitur tantum contraríelas secundum objecta; in passionibus vero irascibili invenitur etiam contrariétés secundum accessum et recessum.

Probatur Ia pars. Objectum concupiscibilis est bonum vel malum simpliciter apprehensum. Atqui circa bonum simpliciter apprehensum non potest esse recessus, sed tantum accessus ; quia nihil refugit bonum, sed omnia ipsum appetunt ; circa malum vero non potest esse accessus, sed tantum recessus ; quia nihil appetit malum, in quantum hujusmodi, sed omnia illud fugiunt. Ergo in passionibus concupiscibilis non est accessus et recessus ab eodem termino. At omnis passio concupiscibilis respectu boni est *ut in ipsum,* sicut amor, desiderium et gaudium ; omnis vero passio respectu mali est *ut ab ipso,* sicut odium, fuga seu abominatio et tristitia. Opponuntur ergo secundum objecta, scilicet bonum et malum.

Probatur IIa pars. Objectum irascibilis est bonum vel malum arduum, seu difficile. Atqui bonum arduum, in quantum bonum, rationem exhibet ut in ipsum tendatur et accedatur^ in quantum arduum, habet rationem ut ab eo recedatur. Ergo in irascibili adest oppositio secundum accessum et recessum. Hoc modo *spes et desperatio* opponuntur : nam spes accedit ad bonum arduum, desperatio vero ab illo recedit. Similiter malum, in quantum malum, habet rationem ut vitetur, et hoc pertinet ad passionem *timoris ;* habet etiam rationem ut in ipsum tendatur sicut in quoddam arduum, per quod scilicet aliquid evadit subjectionem mali; et sic tendit in ipsum *audacia,* Invenitur ergo in passionibus irascibilis oppositio secundum contrarietatem boni et mali, sicut inter spem et timorem, et iterum secundum accessum et recessum ab eodem termino, sicut inter audaciam et timorem (2).

VI. — Secunda conclusio : Singulare est iræ quod non

(1) I' Ilæ, q. 23, a. 2.
(2) Ibidem.

habeat passionem contrariam, neque secundum accessum et recessum, neque secundum objecta.

Prob. Ia pars. Id quod causât iram est malum difficile, praesens vel præteritum. Ad præsentiam ergo hujus mali vel appetitus succumbit vel habet motum ad invadendum malum læsivum : fingi nequit alia hypothesis, non enim potest esse motus ad fugiendum tale malum, quia jam ponitur præsens vel praeteritum. At, si appètitus succumbit, oritur tristitia, quæ est in appetitu concupiscibili, quaeque non opponitur iræ sed gaudio. Si vero habet motum ad invadendum malum læsivum, non est nova passio, sed est ipso motus iræ. Ex hac ergo parte non datur contrarietas.

Probatur IIa pars, scii, non dari contrarietatem objectorum. Cum objectum iræ sit malum adjacens, objectum contrarie oppositum erit bonum adeptum. Atqui bonum adeptum, cum non suscipiat rationem ardui, non potest commovere aut progignere passionem in irascibili, qui versatur circa bonum arduum ; sed tantum dat quietationem appetitus in bono adepto, et hoc pertinet ad gaudium, quod est passio concupiscibilis. Iræ ergo opponitur tantum cessatio ab ira, seu mitescere, quod non est oppositum contrarie, sed negative vel privative (1).

VII. — Quoinodolnter se ordinentur passiones. Aliquid subjungendum est de ordine passionum inter se. Notandum est passiones concupiscibilis latius patere quam passiones irascibilis, nam priores se extendunt ad motum et quietem, posteriores vero solum ad motum. Ordo autem inter passiones sequentibus assertis exprimitur :

VIII. — Prima conclusio: Passiones concupiscibilis quæ significant quietem in bono sunt posteriores passionibus irascibilis secundum ordinem exeeutionis, priores vero secundum ordinem intentionis.

Ratio liquet. Cum quies sit finis motus, passiones quæ significant quietem sunt finis passionum irascibilis quæ important motum. Atqui finis est prior in intentione et posterior in exeeutione. Ergo passiones concupiscibilis quæ significant

(1) Ibidem, a. 3.

quietem priores sunt in intentione passionibus irascibilis, posteriores vero in executione ; sicut spes praecedit gaudium et causât ipsum.

IX.— Secunda conclusio : Passio concupiscibilis Importans quietem in malo, scilicet tristitia, media est inter duas passiones irascibilis : timorem et iram. Sequitur quidem timorem ; cum enim occurrerit malum quod timebatur, causatur ira ; praecedit vero iram, quia ex tristitia oritur appetitus vindictae.

X. — Tertia conclusio : Passiones concupiscibilis qnæ important motum sunt priores etiam in executione passionibus irascibilis. Quod enim addit aliquid supra* objectum alterius est posterius ipso. Sed passiones irascibilis addunt aliquid supra objectum passionum-concupiscibilis quæ important motum ; addunt nempe arduitatem, boni vel mali. Ergo.

Passiones igitur irascibilis mediæ sunt inter passiones concupiscibilis quæ important motum et passiones quæ significant quietem ; originem et principium habent a passionibus concupiscibilis et in passionibus concupiscibilis terminantur.

XI.— Quarta conclusio : Omnes passiones concupiscibilis quæ respiciunt bonum sunt priores aliis quæ respiciunt malum. Bonum quippe naturaliter est prius malo, eo quod malum sit privatio boni.

XII. — Quinta conclusio : ínter passiones quæ respiciunt bonum, secundum ordinem executions primo est amor, secundo desiderium, tertio delectatio ; sed in Intenttone prior est delectatio.

Probatur. Omne quod tendit in finem aliquem, seu in aliquod bonum, primo quidem habet aptitudinem, seu proportionem ad ipsum ; secundo movetur ad finem ; tertio quiescit **in** fine, post ejus consecutionem. Sed aptitudo ad bonum est amor, qui est complacentia boni ; motus autem ad bonum est desiderium vel concupiscentia ; quies demum in bono est gaudium vel delectatio. Amor ergo præcedit desiderium, et desi-

(lerium delectationem. Sed in intentione delectatio progignit desiderium et amorem. Delectatio enim, cum sit fruitio boni, est quodammodo finis, sicut et ipsum bonum : finis vero semper est prior in intentione.

XIII. — Sexta conclusio : In passionibus Irascibilis, spes et desperatio, quæ versantur circa bonum, priores sunt aliis quæ versantur circa malum. Spes est prior desperatione, nam prius fit motus in bonum, quam recessus ab illo. Inter vero tres cæteras passiones irascibilis quæ versantur circa malum, prior est timor quam audacia, quia prius est recedere a malo quam in illud tendere ; ira autem consequitur audaciam, quia nullus irascitur vindictam appetens, nisi audeat vindicare (1).

XIV. — Ordo omnium passionum.) secundum generationem. Et si ordinem omnium passionum secundum viam generationis scire volumus, primo occurrunt amor et odium, secundo desiderium et fuga, tertio spes et desperatio, quarto timor et audacia, quinto ira, sexto et ultimo gaudium et tristitia (2).

XV. — Quatuor sunt principales.passiones : gaudium et tristitia, spes et timor. Gaudium et tristitia sunt completivae et finales omnium aliarum passionum; omnes enim terminantur vel in gaudio vel in tristitia. Spes et timor sunt etiam completivae, non simpliciter, sed in genere passionum quæ motum important. Respectu quidem boni incipit motus in amore et procedit in desiderium et terminatur in spe ; respectu vero mali incipit in odio et procedit ad fugam et terminatur in timore. Spes et timor accipiuntur de futuro, gaudium autem et tristitia de praesenti (3).

(1) Cf. 1* 11« q. 25,, a. 3.
(2) Ibid.
<3) libidi a> *'i.*

XVI.— **Passionum schemata:**

Amor, complacentia, inclinatio, in bonum *simpliciter* apprehensum.

Odium, antipathia mali disconvenientis, aversio a malo *simpliciter* apprehenso.

Ira, motus ad inferendum vindictam, seu nocumentum causæ quæ malum intulit.

Audacia, motus in malum arduum imminens, superabile.

Spes, motus in bonum *ardtum, absens, adeptu possibile.*

Timor, motus dejectionis ex malo arduo imminente et inevitabili.

Desperatio, recessus a bono *arduo, absente, adeptu impossibili.*

Schema contrarietatis :

Amor et odium, circa bonum et malum simpliciter apprehensa.

Desiderium et fuga, circa bonum et malum apprehensa ut absentia sed futura.

Gaudium et tristitia, circa bonum et malum actu praesentia.

Spes et timor, circa bonum et malum ardua.

Spes et desperatio : spes est motus seu accessus in bonum arduum ; desperatio est recessus a bono arduo.

Audacia et timor : audacia est accessus ad malum terribile ; timor recessus a malo terribili.

Schema ordinis passionum secundum viam generationis :

1° Amor,
2° Odium,

3° Desiderium, seu concupiscentia,
4® Fuga, seu abominatio,
5° Spes,
6° Desperatio,
7° Timor,
8® Audacia,
9° Ira,
10° Gaudium,
11® Tristitia.

A proposito nostro alienum esset de passionibus in speciali disserere. Consulatur Angelicus, qui hæc omnia eleganter, egregie, dilucide tractavit (1).

(1) Ia IIe q. 22 et seqq. Cf. etiam Descastes, *Traité des passions ;* Bossuet, *Connaissance de Dieu et de soi-même,* c. III, 6 ; Bain, *The emotions and the wiU ;* Ribot, *La psychologie des sentiments, La Logique des sentiments,* c. 3 ; Gardair, *Les passions et la volonté ;* Janvier, *Les passions.*

ARTICULUS TERTIUS.

QUÆDAM QUÆ8JTA CIRCA APPETITUM ET PASSIONES.

I. — De organo appetitus et passionum. Cum appetitus sit facultas organica, sedem habet non in anima sola neque in corpore solo, sed in composito animato, et idcirco speciale sibi vindicat organum. Disputatur vero utrum præfatum organum sit cor an. cerebrum. Omnes concedunt cor esse passionum symbolum, imo et organum qua exterius manifestantur, át negant moderni complures, sive ex scientificis sive ex Scholasticis, sicut El. Blanc, Mercier, Pesch, etc., cor esse primum et principale passionum organum. Sic arguunt :

I0 Id est organum appetitus quod est magis centrale, quodque omnia dirigit, musculos nempe, viscera et cor ipsum. Atqui systema nerveum est magis centrale, cseteraque centra, musculos, viscera et cor ipsum dirigit. Ergo systema nerveum, atque ideo cerebrum, unde oriuntur et quo perveniunt nervi, est organum appetitus et passionum principale et elicitivum.

2° Cum appetitus ex cognitione originetur, ibi est appetitus sedes ubi perficitur cognitio sensitiva. Atqui cognitio sensitiva in cerebro completur, ubi resident sensus interni. Ergo sedes appetitus est in cerebro reponenda.

3° Lseso cerebro impediuntur functiones appetitus. Ergo cerebrum est organum hujusmodi functionum elicitivum.

4° Cor est musculus inserviens vitæ vegetativæ et motui ; nullatenus ergo potest esse elicitivum sensibilitatis et passionum ■organum.

Respondent alii: Ut aliquid sit organum appetitus, non sufficit ut cætera dirigat, sed oportet ut producat atque eliciat ipsos affectus, seu passiones. Porro cerebrum, quamvis sit movens et dirigens, quamvis ad cor ipsum influxum suum transmittat, non tamen ipsos affectus progignit et elicit. Etc-

niin affectus producuntur in systemate magni sympathici : id inde probatur quod omnes affectus in systema illud redundent, et vicissim hoc systema in affectus maxime influat. Porro organum, speciale et principale in magno sympathico est cor : etenim cor primum est quod influxum hujus systematis suscipit ; hinc est quod omnes variationes magni sympathici corde tanquam barometro indicentur. Ergo cor est principale affectuum et passionum organum.

Præterea, cum passio importet immutationem, ibi est passionum sedes et organum ubi fit immutatio. At immutatio passionis magis manifestatur circa cor, quod in omni passione immutatur, secundum systolen vel diastolen. Ergo sedes et organum passionum est præcipue cor.

Licet vero appetitus ex potentia cognoscitiva originetur, realiter tamen ab illa discriminatur, et ideo præcise quod sit potentia diversi generis, organum diversi generis habeat oportet. Igitur ex eo quod cerebrum sit organum potentiæ cognoscitivæ, potius inferretur idem non esse appetitus organum et sedem. Quod autem læso cerebro impediantur functiones appetitus, inde solum efficitur cerebri actionem ceu conditionem præviam requiri. Appetitio etiam cognitionem, supponit et realiter tamen ab illa distinguitur ; ita, quamvis passiones exposcant functionem organi quod cognitioni inservit, non inde sequitur passionum organum et sedem esse ipsum cognitionis organum. Læso quippe cerebro impeditur etiam vitæ intellectualis exercitium ; quare, si valeret argumentum, cerebrum foret intellectionis organum. Cor utique a cerebro dependet, sed vicissim cerebrum a corde : viget enim quædam reactio cordis in cerebrum et cerebri in cor per sanguinis^circulationem.

Tandem, quamvis cor sit musculus et motui deserviat, quia tamen magni sympathici impressiones directe recipit, concurrit ad affectus producendos, et sic est sensibilitatis affectivae organum. Habet etiam cor propria ganglia, quæ animæ affectivæ obediunt. Cum autem anima sit forma totius corporis, potest in corde, sub influxu systematis nervei, elicere affectus, amare, tristari, irasci, etc.

Hæc sunt utriusque sententi® argumenta. Quia non se mutuo evidenter elidunt, utraque sententia probabilitatem retinet. Dissensio inde provenit quod non omnes de propria organi

passionum notione seu definitione conveniant. Alii enim intelligunt passionum organum illud quod est primum movens primumque dirigens, quod munus est certissimo cerebro adscribendum ; alii vero organum esse volunt illud in quo recipiuntur impressiones et in quo resultant et complentur affectus, et id munus non est absolute et totaliter cordi denegandum. De objecto ergo plane diverso disputant adversarii.

II. — Quid sentiendum de Idcis-viribus (Idées-forces) ? Inter eos qui negant appetitum distingui a cognitione citatur Fouillée, qui existimat cognitionem esse vim motivam et actionis initium ; ideamque esse quæ actionem excitat, elicit, dirigit, quo fit ut idea ipsa sit vis : hinc theoria de *idcis-viribus.*

Verissimum quidem est cognitionem vel ideam præsupponi actioni, imo esse quamdam pwn, seu perfectionem qua subjectum constituitur actu cognoscens. At negamus cognitionem vel ideam esse ipsam vim agendi, seu ipsam facultatem motivam vel appetitivam. Ratio fluit ex primo articulo. Potentia quippe cognoscitiva et vis agendi habent objecta distincta, quia cognoscitiva attingit sensibile vel intelligibile, altera vero conveniens et bonum ; modumque agendi diversum, nam in cognitione facultas attrahit res ad se, in appetitione vero facultas ad res attrahitur. Insuper, recolendum est vim cognoscendi et vim agendi non sibi ex æquo respondere : nam haud raro contingit ut excellens in cognoscendo pessimus sit in agendo.

III. — **De passionum, momento in vita humana.** Stoici contendebant passiones esse animæ morbos, quos expellere debemus. Hinc virtutem et bonum perfectum reponebant in *apathia,* seu perfecta omnium passionum carentia. His adhaerent Protestantes et quidam moderni qui existimant passionem esse inclinationem perversam et motum deordinatum. At e contra passiones sunt motus naturales potentiæ naturalis, scilicet appetitus. Ad integritatem ergo nostram pertinent, nec magis supprimi aut cohiberi possunt quam ipsa natura.

Influunt in vitam physicam, in sanitatem nempe et morbos, activitatemque multiplicant; in vitam intellectualem et mora-

lem ; hinc est quod non sint eximii poetæ, oratores aut sancti, quos non commoveant veræ passiones. Quandoque passiones forti intellectioni disponunt excitando, vivida phantasmata, quæ intellectui inserviunt, redundant etiam in voluntatis resolutiones ; vel aliquando signum sunt magnitudinis in animo, in quantum demonstrant intensum voluntatis actum.

Physice sunt bonæ, utpote actus seu perfectio potentiæ naturalis, quæ secundum se bona est ; *ethice* autem seu *moraliter* sunt indifferentes : bonæ quidem erunt si sint secundum ordinem rationis ; malae autem si tendant ad aliquid a ratione dissonum. Hinc carpendi sunt Lucretius, Pelagiani, recentioresque philosophi et poetæ qui contendunt omnem passionem esse bonam, nec posse cohiberi aut puniri passionum impetus.

IV. — Utrum passiones et appetitus subordlnentui* parti intellectivae. Quæstio, maximi sane momenti, est utrum motus et passiones appetitus nobis imputari possint ; utrum appetitus possit esse virtutis et peccati subjectum. Non potest secundum se, ut liquet; sed utrum possit a parte intellectiva gubernari eique subjici.

V. — Conclusio : Appetitus sensitivus in homine obedit parti superiori, scilicet rationi et voluntati, ita tamen ut pars superior appetitui non dominetur principatu despótico, sed tantum politico et regali.

Probatur Ia pars. Sicut in brutis animalibus appetitus movetur ab æstimativa, unde ovis æstimans lupum inimicum timore corripitur,ita in homine appetitus a cogitativa movetur. At cogitativa est ratio particularis quæ dirigitur a ratione universali. Ergo ratio universalis potest appetitui sensitivo imperare.

Confirmatur experientia. Applicando enim aliquas universales considerationes, mitigatur ira aut timor, aut alia passio, vel etiam instigatur. Sed considerationes universales pertinent ad rationem universalem. Igitur passiones et, consequenter, ipse appetitus, a ratione moderantur.

Probatur IIa pars, scilicet appetitum regi a voluntate quantum ad exeeutionem. Appetitus movetur a ratione. Sed ratio vicissim movetur a voluntate, quæ omnes facultates applicat

ad actum. Ergo. — Insuper, appetitus sensitivus et voluntas inter se ordinantur sicut movens inferius et movens superius. Sed in potentiis motivis ordinatis, secundum movens non mowt nisi virtute primi moventis. Igitur appetitus inferior non potest movere nisi appetitus superior assentiat.

Tandem, ille appetitus voluntati obedit ad quem non statim sequitur motus, sed qui voluntatis expectat imperium. Atqui, dum in aliis animalibus statim, ad motum concupiscibilis et irascibilis,sequitur motus, sicut ovis timens lupum extemplo fugit, homo e contra non illico movetur secundum appetitum irascibilem et concupiscibilem, sed expectat imperium voluntatis, quæ est appetitus superior. Ergo appetitus voluntati obedit (1).

Probatur IIIa pars. Principatus despoticus est domini ad servum, qui nihil sui habet, nec potest· in aliquo resistere imperio praecipientis ; principatus autem politicus aut regalis est ad liberos, qui non totaliter subduntur imperio, sed aliquid proprium habent ex quo reniti possunt. At appetitus sensitivus, licet subdatur parti nuperiori, retinet tamen aliquid proprium, unde reniti possit rationis imperio. Ergo pars superior dominatur appetitui non despótico, sed politico dumtaxat imperio.

Declaratur minor. Appetitus sensitivus non movetur tantum a cogitativa quam dirigit ratio universalis, sed etiam ab imaginativa et sensu. Unde experimur irascibilem vel concupiscibilem rationi repugnare per hoc quod sentimus vel imaginamur aliquod delectabile, quod ratio vetat, vel triste, quod ratio praecipit.

Sæpe etiam accidit ut motus appetitus subito ad apprehensionem imaginationis vel sensus concitetur, et tunc ille motus est præter rationis imperium. Hinc fiunt illi motus primoprimi vel indeliberati. Addi insuper debet actum appetitus non solum ex vi appetitiva, sed etiam ex dispositione corporalis organi dependere. Qualitas autem et dispositio corporis non subjacet rationis arbitrio : hinc iterum impedimenta quæ obstant quominus motus sensitivi appetitus totaliter subdatur rationis influxui.

(1) De voluntatis influxu in cæteras potentias sermo flet in *Metaphysica Psychologica,* Tract. II, q. II.

Non eodem igitur modo membra corporis et appetitus obodiunt voluntati. Membra quippe in nullo resistere possunt imperio nostro, sed anima ipsis dominatur despótico principatu ; appetitus vero in aliquo resistere potest et de facto resistit ; et eapropter anima ipsi dominatur politico dumtaxat imperio (1).

Hinc eruitur appetitum esse posse subjectum virtutis et peccati : sic, irascibilis est subjectum fortitudinis, concupiscibilis vero subjectum temperantiæ (2).

(1) Cf. S. Thom. I. P. q. 81. a.3, et Ia IIΛ, q. .24, a. 1 ; Vallet, *La Téle et le Cœur ;* Gabdaib, *Les Passions et la Volonté.*

(2) Sunt in appetitu et passionibus alii respectus *ethici,* quos idcirco hic. in Psychologie, non consideramus, sed ad Moralistas remittimus. Cf, 8. Thom. Ia II“, et Janvier, *Les Passions,* 3e, 4% 5% 6e confér.

QÜÆSTIO QUINTA

De potentia locomotiva (1).

Ad vitam relationis requiritur non solum sensatio, sed etiam motus et loquela. Unde, cognitis potentiis sensitivis tum cognoscitivis tum appetitivis, disserendum superest de potentia locomotiva proprie dicta, et de potentia vocali, quæ illi adnexa est.

ARTICULUS PRIMUS.

DE IPSA POTENTIA LOCOMOTIVA.

I. — Quomodo fiat locomotlo· Locomotio est series translationum, seu motuum quos obeunt diversae corporis partes ex musculorum contractione. *Statio* quidem eo modo habetur quo fiunt motus in vectibus primi generis (/esters *da premier genre) : pressio* est inter potentiam et resistentiam ; pondus nempe corporis est *resistentia,* columna autem vertebralis est

(1) Consuli possunt : D. Thomas, I. P.q. q. 78, a. 1, ad 4: q. 6, *DePo·lentia,* a. 3, ad 2, q. *De Anima,* a. 13, ad 13, II *contra Gent.* c. 35, opuse. 43, c. 5; Cajetanus, in III. *De Anima,* c. 6, et in I. P. q. 78, a. 1; Bannez, in h. l. ; Suabez, in V. *De Anima,* c. 10 ; Alamannus, q. 88 ; Joannes a S. Thoma, q. XII, a. VII ; Mercier, η. 133 ot seqq.; Lorehzelli, *Psychol. Sensit,* lect. IV; Pesch, *Disp.* Ill, sect. V; Albert, *La Psychologie thomiste,* psychol. expériment., sect.

pressio, musculi vero sunt *potentia.* In *ambulatione* autem, *cursu, saltu,* concurrunt vectes secundi generis : resistentia est inter pressionem et resistentiam ; pondus quidem corporis est resistentia, extremitas vero pedis est pressio, musculus demum est potentia. In multis aliis motibus concurrunt vectes tertii generis : potentia enim est inter resistentiam et pressionem. Sic in brachiorum flexione et extensione, potentia sunt musculi flexores et extensores, qui mediant inter resistentiam, nempe pondus brachii, et pressionem, quæ est articulatio cubiti.

II. — **De motibus voluntariis et reflexis.** Motus voluntarius, sumpto vocabulo pro actu qui est a principio intrinseco cum cognitione finis, ille est qui procedit ab aliqua appetitione et volitione, et consequenter ab aliqua cognitione, cum omnis appetitio ex perceptione progignatur. Motus autem reflexus est ille qui sub influxu alicujus impressionis externæ vel internæ peragitur, sed involuntarie. Dicitur rc/Zeo;us,quia impressio, postquam centrum nerveum attigit, reflectitur et regreditur ut impulsio motrix, modo mere organico, absque voluntatis interventu. Hujusmodi sunt motus defensionis, progressionis, etc. Alii quidem sunt hæreditarii et quasi innati ; alii vero habitu generati ; alii autem inconscii, alii demum, ut tussis, conscii sunt, quia impressio a medulla spinali ad cerebrum transmittitur. Generatim requirit motus reflexus 1° superficiem sensibilem, sicut est cutis, lingua, retina, in qua impressio producatur ; 2° nervum centripetum, qui cellulæ centrali impressionem transmittat ; 3° centrum nerveum, in quo vigeant duæ saltem cellulæ : altera sensibilis, quæ impressionem recipiat, altera vero motrix, quæ influxum motivum eliciat ; 4° nervum centrifugum, qui impressionem reflexam reducat ; 5° glandes vel musculos, qui vi impressionis receptæ et influxu operationem propriam obeant.

III. — An dentur motus voluntarii. Negant organicistæ, ibcnon Huxley, Richet, etc., qui contendunt omnes motus animales esse plus minusve reflexos. Existentia tamen motuum voluntariorum certo et liquido probatur.

Arg. rm. Experientia testatur dari motus quibus efficiendis

impar est excitatio pure mechanica, quæque cognitionem supponunt qua dijudicamus objectum esse conveniens, utile, vel nocivum, secus nullatenus movemur ; et qui insuper quamdam inclinationem vel passionem appetitus sensitivi important. Quæ omnia ex prædictis constant. At motus qui cognitionem et appetitus inclinationem sequitur est voluntarius, siquidem a principio intrinseco cum cognitione finis oritur. Ergo experientia constat dari motus voluntarios.

Arg. irm. Motus mechanicus et involuntarius invariabilis penitus in directione et celeritate persistit, nisi varientur conditiones molis vel distantiae corporum. Atqui, iisdem remanentibus corporum circumstantium conditionibus, variantur motus nostri et in directione et in celeritate, vel, variatis conditionibus, non eapropter variantur nostri motus, ut quotidie videmus. Ergo fiunt in nobis motus qui non sunt pure mechanici aut involuntarii.

IV. — De causis locomotionis. Causa finalis est bonum attrahens appetitum et, mediante appetitu, locomotivam. Causa quidem efficiens naturalis est natura animalis ; causa vero dirigens est phantasia et æstimativa ; causa autem imperans est appetitus sive concupiscibilis sive irascibilis ; causa demum exequens est systema nerveum et musculare.

Ita Angelicus (1) : « Motiva sensitiva dividitur, quia quædam est *naturalis,* quædam *animalis.* Naturalis est quæ non movet per apprehensionem nec est subjecta imperio rationis ; et talis est virtus vitalis et pulsativa, quæ movet arterias et cor secundum dilatationem et constrictionem... Motiva animalis est quæ movet per apprehensionem, et hæc dividitur, quia quædam movet per modum dirigentis, quædam per modum imperantis, quædam per modum exequentis. Motivæ per modum *dirigentis* sunt phantasia et æstimativa, in quantum ostendunt formam vel intentionem convenientem vel disconvenientem... Motivæ *imperantes* et facientes motum sunt concupiscibilis et.irascibilis, quæ sunt partes appetitus sensitivi... Vis *exequens* motum istum est vis exterior, quæ diffusa est in musculis et lacertis et nervis membrorum. »

(1) Opuse. 43rZ'e *potentia,* c. V.

V.—Quomodo se habeat locomotiva ad cæteras potentias.

Constat igitur existera facultatem locomotionis a viribus mechanicis distinctam. Non dantur quippe actus sine potentia proportionata a qua procedant. Porro fiunt motus non pure mechanici, ut modo ostensum est. Ergo datur potentia motiva non pure mechanica. Jamvero potentia illa pendet quidem a sensibus externis et internis tanquam a causa dirigente, praesertim a phantasia et æstimativa, quæ ipsi ostendunt formam convenientem vel disconvenientem ; pendet etiam ab appetitu tamquam a causa imperante animal enim sub influxu appetitus et passionum ciet se ad prosequendum vel fugiendum. In homine autem locomotiva expectat imperium voluntatis consentientis vel repugnantis passioni. Difficultas est an locomotiva realiter distinguatur ab appetitu. Animadvertimus imprimis locomotivam .in substantiis spiritualibus non esse ab intellectu et voluntate discretam : illæ enim movent per imperium, quod est actio formaliter immanens et virtualiter transiens. Hoc modo moveri possunt angeli et animas separatae. Existimat Maine de Biran etiam in homine facultatem motivam non esse nisi voluntatem liberam, quæ cæteras potentias dirigit et applicat ; Fr. Bouillier vult locomotivam in nobis esse ipsam animæ essentiam. Sed philosophi illi confundere videntur principium imperans vel radicale cum principio elicitivo et immediato. Distingui locomotivam .ab appetitu negant plures Scholastici, imo nonnulli ex Angelici discipulis ; affirmant vero D. Thomas, Cajetanus, Joannes a S. Thoma, Suarez, et recentiores Scholastici, sicut Mercier, Lorenzelli, Farges, Pesch.

VI. — Conclusio-: Facultas locomotionis realiter differt ab appetitu.

Arg. Ium. Quæ realiter separantur reapse differunt. Atqui appetitiva et locomotiva realiter separantur ; constat experientia tum pu/gori, qua videmus quædam .animalia appetitione, sine ullo motu,.gaudere; tum *scientifica,* nam Cl.Bernard evincit sensihilitatem sine vi .motiva, et vim motivam sine sensibilitate, de facto inveniri. Ergo.

Arg. IIum. Quae differunt subjecto reali distinctione discriminantur. Sed locomotiva differt subjecto ab appetitu, quippe

quæ non in solo appetitu, sed etiam in membris viget. Ergo.

Utrumque argumentum affert D. Thomas. « Quamvis sensus et appetitus sint principia moventia in animalibus perfectis, non tamen sensus et appetitus, in quantum hujusmodi, sufficiunt ad movendum, *nisi superadderetur eis aliqua virtus.* Nam in immobilibus animalibus est sensus et appetitus ; non tamen habent vim motivam. Hæc autem vis motiva non solum est in appetitu et in sensu, ut imperante motum, sed etiam est in ipsis partibus corporis, ut sint habiles ad obediendum appetitui animæ moventis. Cujus signum est quod quando membra removentur a sua dispositione naturali, non obediunt appetitui ad motum (1). »

Angelicus vocat appetitum et locomotivam *duo genera potentiarum.* « Secundum quod anima inclinatur et tendit in rem exteriorem, sunt *duo genera potentiarum :* unum scilicet *appetitivum...,* aliud *motivum* secundum locum (2). »

Arg. 111‘‘. Imperans et obediens, mandans et exequens, esse nequeunt unum et idem, nisi idem possit supra seipsum reflecti. At appetitus est imperans et mandans, locomotiva est obediens et exequens. Ergo appetitiva et locomotiva non possunt esse eadem facultas, nisi hæc valeat supra seipsam reflecti. Porro appetitiva vel locomotiva supra seipsas non reflectuntur, cum supponantur organices. Ergo.

VII. — **Definitio potentiæ locomotiva^.** Ex prædictis colligitur. Locomotiva est *facultas organica per quam anima proprium corpus movere potest secundum locum.*Dicitur **I**0 *facultas,* nempe accidens prædicamentale,ab animæ substantia et a cæteris potentiis tum cognoscitivis tum appetitivis realiter distinctum. 2° *Organica,* cujus subjectum non est corpus solum aut anima sola, sed compositum animatum. Organum porro activum hujus potentiæ est systema musculare, quod a systemate nérveo movetur, organa vero passiva sunt ossa. 3° *Per quam anima movet proprium corpus secundum locum,* ut assignetur objectum hujus facultatis proprium ; per alias enim virtutes anima ciet corpus secundum alias species motus,

(1) I. P. q. 78, a. 1, ad. 4.
(2) Ibidem, corp, artio.

per istam vero secundum motum localem. Movet etiam corpora externa, sed mediante proprio corpore.

VIII.—Dependentia potentias locomotivas ab Imaginibus motricibus.

Licet locomotiva sit facultas et ab appetitiva et a cognoscitiva distincta, illis tamen indiget ; requirit praesertim imagines motrices, quæ si perturbentur vel amittantur, impeditur motus, et inducuntur vel *aphasia,* vel *agnosia,* vel *apraxia* (1).

(i) CL q. II, a. III, n. XXI, pp. 261-262.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE FACULTATE VOCALI.

I. — Notio facultatis vocalis. Est *potentia motiva qua anima corpori conjuncta cognitiones suas exterius manifestai per voces vel locutiones.* Dicitur Io *potentia motiva,* id est, facultati motivse annexa ; unde habet organa activa et passiva, et rationi ac voluntati obedit, sicut virtus motiva. 2° *Qua anima corpori conjuncta significat exterius suas cognitiones ;* sicut nempe virtus motiva proprie dicta exequitur appetitus passiones, ita vocalis exterius ostendit perceptiones. 3° *Per voces vel locutiones.Nox.* est sonus ah ore animalis prolatus cum imaginatione quadam ; locutio vero est vox articulata vocalibus et consonantibus constans, quae insuper est manifestativa internorum mentis conceptuum. Conferantur quae diximus in Logica (1).

«Facultas vocalis secundum se ordinatur ad quamdam *socialitatem* conservandam ; haec autem melius inter similia quam inter dissimilia initur et servatur. Unde facultas vocalis est signum quoddam *unitatis,* vel *diversitatis speciei,* ad quod attenditur maxime in distinguendis avium speciebus, quando *morphologici* characteres insufficientes inveniantur, vel quando *physiologica* ratio, in reproductione spectabilis, non innotescat (2). »

II. — **Efformatio vocis et locutionis.** Organum vocis proprium est larynx. Pulmones, follis instar, aerem comprimunt; pressio vero thoracis et musculorum expiratorum aerem per laryngis fauces propellit ; pharynx autem, os et fossæ nasales instar apparatus resonantis se habent ; ac demum chordæ

(1) *Log. Min.* Tract. I, q. II, a. I, pp. 93-95.
(2) Lobbnzblu, *Psychol. Sensitiv.* Sect. IV, n° VII.

vocales sunt organum vibrationis capax. Quando porro so invicem contingunt chordæ, fibræ musculares contrahuntur tamquam fila tensa, gioita vero clauditur : quo fit ut spiritus e pulmonibus nonnisi cum labore et conatu egredi queat. Sub illo vero tensionis influxu chordæ vocales incipiunt vibrare, sicut laminæ instrumentorum. Agentibus porro chordis, aer e glotta egreditur, præditus motibus vibratoriis, qui aurem percutiunt ibique sonoritatis impressionem commovent. Diversa, vero organa quibus larynx continuatur vocem modificant : hinc resultant *acuitas, ¿nteñsitas, sonus vocis.* Vocales quidem simplici emissione efformantur ; ad consonantes vero plura alia requiruntur : labiales namque interventum labiorum exposcunt; in lingualibus autem spiritus lingua modificatur ; in gutturalibus demum concurrunt lingua et pharynx ; nasales tandem cum resonantia fossarum nasalium emittuntur.

III.— **De prima sermonis origine.** Contendunt de Bonald et traditionalistæ sermonis inventionem superare hominis facultatem, atque ideo esse quamdam Dei creationem. Homo, aiunt, nequit suam cogitationem loqui nisi prius locutionem cogitet. Cogitatio, addunt, a sermone prorsus· dependet, unde juxta de Bonald, surdi muti nullam cogitationem intellectualem aut moralem sibi parere valent. E regione autem docent rationalist» sermonem fuisse ab homine inventum, postquam praecesserat mutismus universalis.

Doctrina autem catholica cavet simul et a traditionalismo et a theoria sensualistica : tenet hominem ex se invenire posse linguam, sed illum mutismum negat (1).

IV.—Prima conclusio i Inventio sermonis non est supra facultatem hominis physicam. Probatur indirecte, convellendo sententiae oppositæ fundamenta. Sermo-et idea intime quidem connectuntur, at hic nexus non est de cogitationis essentia. Anima enim separata ideas suscipit aut retinet inde-r pendenter a sermone, ut liquet ; difficultas ergo unionis statum unice spectat. Porro perspicuum est verbum orale verbo

(1) Patres questionem illam versarunt, praesertim S. Augustinus, *De Ordine,* lib. II, c. 12, n. 35, *P. L.* XXXII, 1001 ; etS. Gbegor. Nyssenus, *Contra Eitnomum,* lib. XII, *P. G.* XLV, 975-1006.

mentali, seu idea, esse posterius. Etenim verbum orale est signum verbi mentalis. At signum rem supponit significatam. Ergo verbum orale, nedum prius sit verbo mentali, illud necessario præsupponit.

Reponunt : Idea est quidem prior in mente, sed consopita, quo fit ut indigeat verbo orali quo excitetur et intelligibilis evadat.—At ideam existere consopitam hypothesis est arbitraria et gratuita quam in Ideologia explodemus ; et, hac etiam datahypothesijUt aliquid possit ideam excitare, non debet esse mera vox aut sonus, sed verbum verum, præditum significatione vera quæ sit a mente cognita. Atqui mens non potest significationem percipere nisi habeat et cognoscat ideam quæ significatur : nullum quippe signum intelligitur absque re significata. Ergo, etiam hac data hypothesi, verbum orale erit verbo mentali posterius.

Experientia quam ex surdis mutis invocant traditionaliste ipsos impetit. Nam testatur Ferdinandus Berthier, surdus mutus ipse et surdorum mutorum institutor, gaudere surdos mutos ideis intellectualibus et moralibus, priusquam voce instruantur.

Unde probatur directe conclusio. Homo naturaliter habet omnia organa ad articulandum et loquendum apta. Porro activitas naturalis potest suapte vi illa organa explicare. Sicut enim necessitas manifestandi exterius passiones se prodit per voces, clamores, interjectiones, ita, a pari, necessitas conceptus ostendendi naturaliter et quasi ex instinctu valet organorum articulantium actionem determinare. Longum quidem tempus fuisset expensum ; at nulla apparet physica et absoluta impossibilitas.

V. — Secunda conclusio : De facto sermonem, primus homo non adinvenlt, sed a Creatore accepit. Ex Scriptura et Traditione novimus Deum homini dedisse consilium et linguam (1). Imo, sola ratio id ostendere potest. Demonstrat enim ratio primum hominem esse a Deo immediate creatum. At Deum dedecebat quam maxime hominem a se conditum in statu rudi et imperfecto relinquere ; debuit e contra pri-

(1) *Eccli.* XVIII, 5.

mus homo egregiam callere notitiam ut posteros erudire valeret. Ergo certum est hominem non fuisse in illo statu mutismi et absolut» ignoranti» conditum aut relictum.

Longissimum, temporis spatium impensum fuisset ad primas veritates intellectuales et' morales addiscendas, deinde ad sermonem inveniendum et perficiendum. Quo jure potuisset dici rex universi homo in tanta imperfectione existens ? Hic sane adsunt ordinis moralis repugnanti» quas suavis Dei Providentia non patitur. Igitur, a priori et independenter a revelatione, asserere potest ratio Adamum a Deo sermone et scientia fuisse instructum. Quod argumentum, licet ordinis tantum moralis sit nec absolutam pariat necessitatem, certam tamen facit sententiam, quam aliunde fides catholica et populorum traditiones invicte testantur (1). Quoad cætera, theologi.

(1) Consuli possunt: F. Lenobmant, *Origines de l'histoire,* c. II ; Hamard, *L'âge de la pierre et l'Homme primitif ;* Vigouboux, *Les Livres saints et la critique* , t. III, c. 6 : Abbé Thomas, Correspondant, 1885, *De la condition primitive du genre humain ;* Dupont, *La vie intellectuelle des populations primitives,* Congrès scient, internat. 1894, sect. Anthrop., p. 70 etseqq.

QUÆSTIO SEXTA.

De quibusdam fiicultatum affectionibus (1).

Ad tractatus complementum haud abs re erit de quibusdam phænomenis disserere quibus nostræ facultates interdum afficiuntur, et in quibus concurrit mutuus animæ et corporis influxus. Cujusmodi sunt somnus, somnium, hypnotismus, amentia et hallucinatio.

ARTICULUS PRIMUS.

DE SOMNO ET SOMNIO (2).

I. — Opiniones circa somni causas. Existimabant veteres somnum per affluxum sanguinis ad cerebrum produci ; hinc est, aiebant, quod animalia caput inclinent vel accumbant ad dormiendum. A recentioribus vero causa assignatur suspensio activitatis nerveæ,ac præsertim centrorum superiorum cerebri. Quæ suspensio esset *intoxicatio* quædam effecta vi clemento-

(1) pf. Faroes, *L'objectivité de la perception, Le cerveau, l'âme et les facultés ;* Coconnieb, *L'hypnotisme franc.;* Pesoh, Disp. Ill, sect. VII, Lobenzelli, etc.

(2) Abistot. *De somno et vigìlia;* S. Thomas in h. I. et I. P. q. 84, a. 8 et 11" II®, q. 154, II *Coni Gent.* c. 81; B. Albertus Magnus, *De Somno et Vigilia;* DT Subbled, *Le rêve;* Dr P. Janet, *L'Automatisme Psychologique.*

rum operatione vitali combustorum et in organismo accumulatorum. Opinioni autem quae tenebat somnum hypcræmia, seu cerebri congestione, fieri, successit sententia quæ vult somnum anaemia cerebri induci. Nam ex pluribus experimentis per crania canum habitis conclusum est cerebrum, dum somnus incipit, pallore, et, cum expergefit animal, iterum sanguine colorari. Igitur somnus non abundantiae sanguinis,, sed potius rarefazioni tribuendus esset : hinc explicaretur cur durante somno tardior fiat circulatio et minuatur calor naturalis in corpore. At forte, ut alii- reponunt, utraque opinio conciliari potest : sanguis rarefit in peripheria, ubi observatur anaemia, accumulatur autem in encephalo^ et hinc cerebri congestio. Utraque sententia concedit defatigationem et debilitatem cerebri ad somnum concurrere ; relaxantur quidem functiones superiores, emancipantur vero inferiores, et ita reparantur vires in vigilia deperditae. Fluidum nerveum a cerebro resorbetur et ad cerebrum recedit. Itaque recessus fluidi nervei poni posset aiunt plures, ceu proxima efficiens somni causa. Durante autem somno nova fluidi nervei copia elaboratur, quo fit ut totus organismus recreetur et reficiatur. Igitur causa finalis somni est salus animalis et melior operatio in vigilia.

Fatendum est tamen ea quæ de somni causis afferuntur obscura esse, et problematicum dumtaxat præ se ferre valorem.

II.— **Somnus secundum respectum psychologicum.** Somnus est privatio, seu ligatio, sensationis in sensibus propriis. Cum autem omnes sensus in sensu communi fundentur, qui est cæterorum radix, incipit somnus sensum communem, seu consocientiam, afficere et ligare : hinc est quod in dormitatione paulatim remittatur, ac tandem amittatur attentio· et conscientia. Cæteri autem sensus successive ligantur. Cum enim una operatio fuerit intensa, cæteras impedit in somno porro operationes vitæ nutritivæ intenduntur: consequens ergo est ut operationes vitæ cognoscitivæ quiescant vel perturbentur. Ratio quidem ligatur quantum ad judicium clarum,certum, ab errore immune; sensus vero communis et æstimativa plus minusve captivantur ; phantasia autem non totaliter impeditur, sed plerumque absque ordine procedit. In vigilia voluntas- cæteras facultates

dirigit ac ciet ad opus ; in somno voro, ligata voluntate, inferiores potentiæ quasi sui juris fiunt ac inordinate operantur.

Motus in somno intra vergunt : sensibilitas peripheriæ hebescit, et activitas ad interna confugit. Generatim prius dormit visus quam auditus, et prius auditus quam tactus.

III.— **Somnium.** Sicut somnus proprie sensum communem afficit, ita somnium proprie est imaginationis passio. Rerum sensibilium species, quæ in phantasia conservantur, rursus in somno apparent et multiplici de causa novam compositionem efficiunt, quæ novas repræsentationes exhibet. Quandoque somnium in sola imaginatione perficitur, et ea ratione explicatur qua oriuntur et reproducuntur phantasmata (1).

At nonnunquam somnium videtur ipsos externos sensus afficere. Quomodo id possit contingere ? Imagines, quæ de sensibus ad phantasiam pervenerant, iterum ordine inverso de phantasia ad sensus redeunt. Id fit ope nervi intermedii, qui *conductibilitate indifferenti* gaudet, qui nempe excitationes in utraque directione, a peripheria ad centrum cerebrale et a centro ad peripheriam, transmittit. Quam doctrinam jam diserte tradebat B. Albertus Magnus : « Simulacra primo a sensibus vadunt ad fundum animæ sensibilis, ad organum imaginationis et phantasiæ, et exinde refluunt lucentes et successive venientes ad primum sensitivi principium (2). »

Et iterum : « Similiter facile et celeriter moveri potest organum sensus a particulis intra, cum illæ sint in organis sensuum conjunctæ in eodem subjecto, *et continuus sit nervus ab interioribus ad organa veniens* (3). » Ex præfato imaginum reditu ad sensus fit nova phantasmatum compositio et associatio, sensusque iterum actuantur et excitantur respectu proprii actus, quasi eamdem quam in vigilia obirent operationem. Quia tamen sensus sunt aliquatenus ligati et ratio non valet imperare, imagines non sibi regulate succedunt ; et, licet aliquando imaginationis actus sit casu vel habitu ordinatus, non sufficienter tamen, ut praecaveatur omnis illusio pleñusque exseratur liberi arbitrii usus. Quandoque ratio sequitur ipsum

(1) Cf. Tract. Ill, q. II, a. III, n. Vili et IX, pp. 252-253.
(2) *De Somno et Vigil,* lib. II. Tract. II, c. II.
(3) Tract. I. c. VI.

phantasma existimans illud reale et objectivum, et, tunc simpliciter decipitur ; aliquando vero motui phantasmatis contradicit, judicans illud esse figmentum, quo casu non est pura deceptio, sed aliquis rationis usus, licet imperfectus.

IV. — **Causæ somniorum.** Duplex assignatur : interior et exterior. Interior potest esse *animalis,* seu *psychologica,* in quantum scilicet ea occurrunt phantasiæ in dormiendo circa quæ *cogitatio* et *affectio* fuit immorata in vigilando. Somnium enim est quasi *residuum* sensationis et passionis ; unde ea praecipue somniamus quæ forti attentione vidimus et audivimus, vel quæ vehementer amamus et concupiscimus. Altera causa interior est *physiologica,* id est, dispositio corporalis. Sic homini in quo abundant frigidi humores, ut exemplo utamur Angelici, occurrunt somnia quod sit in aqua vel nive. Somnia quandoque sunt probabilia vel certa morborum, infirmitatum, temperamentorum indicia, et plerumque medico ad morbum detegendum inserviunt. Sic, qui corde laborant angustias, pavoresve somniant ; qui affectionibus nerveis subjiciuntur, terrores nocturnos, etc.; quorum viae respiratoria) impediuntur, oppressiones, fugamve aut persecutiones, etc.

Causa exterior potest esse corporalis vel spiritualis. Corporalis est quam recentiores vocant *influentiam medii,* quatenus imaginatio dormientis immutatur vel aere continenti vel impressione coelestis corporis, vel operimento externo, vel aliis sexcentis circumstantiis. Generatim imaginatio illa omnia ampliat et exaggerat. « In dormiendo, ait Angelicus, apparent simulacrorum motus eo quod tunc quiescunt sensus a magnis motibus sensibilium exteriorum ; et ideo *apparent quod multo majores videntur esse quam sunt.* Sicut parvus sonus in aure dormientis apparet dormienti tonitru esse (1). »

— Causa vero spiritualis esse potest diabolus, vel angeli boni, et ipse Deus, sicut novimus de multis somniis in Sacra Scriptura relatis. — Imo, unus homo potest alterius somnia per quamdam communicationeni vel suggestionem dirigere.

V. — Effectus somniorum. Somnia haud raro in vigiliam

(1) *De Divinat, per somnium,* leci- l

sive quoad delectationem et gaudium, sive quoad tristitiam, influunt quam maxime. Imo, nonnunquam fiunt futurorum even -lum cau' % puta cum mens alicujus sollicita ex his quæ in somniis vidit «inducitur ad aliquid faciendum vel vitandum, si quis, v. g. ex forti somnii impressione hominem occidit a; t verberat in vigilia. Tanta vero esse potest somniorum vis ut arbitretur homo reale esse quod imaginatus est : nonnullis accidit suum somnium ceu realitatem persuasione quadam invincibili approbare et objectivitate convestire. Quandoque etiam somnium inducit hallucinationem quamdam quæ in vigilia prolongatur.

VI.—Proprietates quædam somniorum. In somniis quandoque miræ particularitates exhibentur. Primo quidem, *reminiscentia praeteritorum :* haud raro facta quorum nulla longo jam tempore habebatur memoria inopinato in somniis recordamur. Secundo, *multiplicatio personalitatis,* cum quis se esse duos reputat, se mortuum ac se vivum, se discipulum ac se magistrum, se medicum et ægrotum, conspicit. Tertio, *mutatio propriae personalitatis* ut cum rusticus imaginatur se esse imperatorem, vir se esse fœminam, vel bovem aut equum. Quarto, *vaga quædam sui status conscientia,* ut cum inter somniandum judicat quis se somniare, vel reflexe dicit se non in somnio sed in vigilia versari. His in casibus liberatur quidem intellectus judicium, non tamen ex toto, quippe qui in pluribus semper decipitur. Unde illi qui dormiendo syllogizant, ut advertit -S. Thomas, cum excitantur, semper cognoscunt se in aliquo defecisse(l)..

Impossibile non est unum somnium, post interruptionem sat notabilem, in altero continuari, imo ita fieri testantur auctores complures.

VII. — **Somnambulismus.** Est somnium in actione, seu species somnii, in quo dormiens externas exercet actiones quaum tamen nullam retinet conscientiam. Quod phænomenon causare possunt nimia defatigatio, nimiave praeoccupatio, passiones, remorsus, vivida rei extraordinariae et commoventis

(1) I. P. q. 84, a. 8, ad 2.

lectio, exaltatio systematis nervei, hysteria etc. In pueris quidem et adolescentibus frequentius accidit, rarius vero vel rarissime in senibus.

Generating durante primo somno incipit somnambulismus. Dormiens surgit, ambulat, prandium instruit, ut narrant de puero Gassendi ; vel equum ascendit, equitat ; aut lucernam accendit, legit, studet, folia libri vertit, sicut in vigilia ; aut gladio, mucrone, percutit ; vel per tecti extremitatem decurrit, quin tamen decidat.

Quorum factorum explicatio haec reddi potest : Sensibilités dormientis circa quaedam minuitur, pervertitur, aut suspenditur ; circa alia vero maxime intenditur et exaltatur, seu, ut aiunt physiologi, circa quædam objecta dormiens anæsthesia, insensibilitate, circa alia vero hyperaesthesia, seu nimia sensibilitate, laborat. Cum ergo vis animæ ad speciale punctum fere tota applicetur, mirum non est circa illud aliqua fieri posse V. g., corpus ad imaginationis nutum moveri per tectorum extremitatem, quæ impossibilia essent dum omnes facultates in debito consistunt æquilibrio et propria activitate fruuntur.

Vita porro somnambuli est *unilinearis,* ut aiunt : una nempe imagine, unaque perceptione occupatur et trahitur. Quia igitur non fit imaginum vel idearum associatio aut compositio, haud ægre concipimus cur illa omnia evanescant, nec ulla deinceps in somnámbulo supersit memoria: nulla quippe existente associatione, nulla est causa quæ imaginem consopitam revocet.

VIII. — Expergefactio. Prius expergefit anima quam corpus ; causæ variæ excitant animæ facultatem, ac deinde membra et organa. Quidam autem in sensuum evigilatione servatur ordo : prior enim expergefit auris, postmodum oculus. Organa vero interna, sicut cerebellum, quod est æquilibrii organum, non illico plena activitate gaudent ; hinc fit ut in primo incessu aliquatenus titubemus aut vacillemus. Paulatim autem singula organa suo proprio exercitio restituuntur.

ARTICULUS SECUNDUS

DE HYPNOTISMO (1).

I. — Quid hypnosis. Definiri potest : *Somnus vel status somno similis in quo activitas psychica subjecti extrínseco impellitur ei dirigitur per suggestionem verbalem.* Ita fere P. Coconnier (L'*hypnotisme franc.}.* Dicitur I0 *somnus* vel *status somno similis,* quia hypnotismi phaenomena in somno communiter fiunt ; vel, si in quibusdam subjectis vigilantibus contingunt, similitudinem cum somno exhibent, nam sensus regulari suo exercitio carent, et ratio cæteris facultatibus gubernandis impar existit. 2° In quo *activitas psychica,* ut innuatur illa phaenomena ab animæ viribus, præsertim imaginatione, procedere ; 3° *impellitur* et *dirigitur extrínseco,* quia vis animæ innata artificialiter adjuvatur, elevatur, vel saltem dirigitur. 4° Per *suggestionem verbalem,* ut assignetur principale et quasi essentiale medium quo inducitur hypnosis (2).

II. — **Quomodo hypnosis producatur.** Multa concurrunt media, et generatim illa omnia quibus defatigantur sensus et debilitatur attentio subjecti hypnotizandi : inspectiones oculorum, obtutus fixus in speculum lucidum, sicut est speculum ad alaudas decipiendas (miroir à alouettes) ; vel influxus lucis oxhydricæ, in subjecti faciem ; vel demum excitationes sive

(1) Consuli possunt opera quæ de hypnotismo scripserunt Cooonnibb, Lelonq, Franco, Schneider, Elie Meric. Cf. etiam Castelein, *Cours de philos,* t. II, *Psychol ;* Pesch, Disp. III, sect. VII ; *L'Ami du clergé,* 1899, 28 sept., 19 octob., 16 nov.; Antonelli, *Medicina pastoralis,* vol. I, pp. 215-251; Bbbnhkim, *Delà Suggestion ;* Liébault, *Le Sommeil provoqué;* Beaunis, *Le Somnambulisme provoqué;* Ochorowicz, *De la Suggestion mentale.*

(2) Alii, ut Lelong definiunt : « Un sommeil artificiel imposé par des moyens spéciaux provenant d'une volonté étrangère, et qui devient comme un état nerveux ou une névrose expérimentale,ainsi que le dit le docteur Charcot. »

leves et continuae, sive intensæ nt subitaneae, in sensum auditus ; imo quædam excitationes in sensum tactus. Vigent autem in corpore quædam partes quarum pressio hypnosim inducit vel modificat, unde dicuntur *zonæ hypnogenæ.* Possunt per omnia corporis puncta diffundi ; in nonnullis quidem subjectis abundant, in aliis e contra paucissimæ panduntur, quatuor vel quinque.

Medium vero principale, quod alia supplet, est influentia et suggestio. Definitur autem suggestio : *Actus quo idea alteri communicatur et ab isto absque libero consensu accipitur.* Hypnotizans exprimit verbaliter et cum imperio præceptum dormiendi (quæ quidem expressio innumeros induere potest mo-. dos) et extemplo dormit subjectum. Suggestio nonnunquam per epistolam aut ope telephonii transmittitur. Triplex igitur est medium quo hypnosim inducunt : I0 agendo in sensus externos, et sic habetur processus *somaticus ;* 2° agendo in sen-: sus et imaginationem simul, processus *psycho-somaticus ;* 3° agendo in solam imaginationem, ut in suggestione, processus *psychicus.*

III. — **Subjecta hypnotism!.** Putant Doctores scholæ **La** Salpêtrière solos hystericos hypnotismo subjici, quod vehementer negant auctores scholæ Nanceiensis. Istis favet experientia, nam celebris hypnotizator Donato viros etiam corpore sanos et robustissimos hypnotismo domabat. Idem testantur Hansen, Wetterstrand, Ringier. Omnes igitur homines hypnotico somno devinciri possunt, diverso tamen gradu. Pueri, adolescentes, facilius subjiciuntur ; item milites qui obedientiæ passivæ assueverunt ; pariter illi qui attentionem suam fortiter in aliquod objectum figere possunt facilius detinentur quam rudes et versatiles. Quædam personæ etiam invitæ hypnotizantur: v.g., ex illis quæ sæpius jam fuerunt hypnotismo subjectæ, ex hystericis ; ex illis quæ hyperæsthesia afficiuntur et nerveo systemate laborant. Personæ vero sanæ et normali sensibilitate præditæ, si se hypnotizantis actioni committant, jam invitæ hypnotizantur; imo, etiam si se non subjiciant, possunt quandoque hypnotizari invite, sive per subitam suggestionem imperativam, sive per artificiosam somni naturalis aut anæsthesici in somnum hypnoticum trans-

formationem. Si vero subjectum mentem et oculos excitatos ac mobiles custodiat, ea quidem ratione ne unquam figatui attentio, si ridet, si jocatur, etc., eludere valet omnem hypnozantium artem (1).

IV. — **Plirouoincna hypnotism!.** Schola La Salpêtrière tres admittit status in phaenomenis hypnoticis : ZeiAargzam, *catalepsim,* seu rigiditatem, denique *somnambulismum.* Alii alias invehunt divisiones. Possunt vero considerari illa phaenomena in sensu visus et in reliquis facultatibus. In sensu quidem visus : pupillae, in principio, dilatantur, insensibilesque fiunt luci, deinde contrahuntur. Visus porro hallucinationi et illusioni, sive *positives,* sive *negativas,* subjicitur : positivae, quando perspiciuntur ea quæ non sunt ; negativae, quando praesentia non videntur.

Hallucinationes in cæieris etiam sensibus inducuntur. In auditu : suggerit hypnotizator symphoniam, et illico patiens. musicam audit et lætatur. Item in gustu, et odoratu, ut videre est apud P. Coconnier.

Imo, subjici reliçuas facultates, imaginationem, memoriam, sensibilitatem generalem, sensum muscularem et vim motivam ostendunt innumera facta.

Inter phænomena vero extraordinaria hæc recensentur :

1° Suggestio actionis post longum tempus complendæ. Suggerit hypnotizator: Post unum annum tali die, hoc facies, hoc videbis, hoc audies, et singula verifieantur. 2° Multiplicatio personalitatis, ut cum mulier credit se esse militem, etc. 3° Hæmorrhagia ad nutum hypnotizantis, quæ tamen non omnino constat et a pluribus scientificis negatur.

V. — **Quomodo illa phænomena psychologice explicari possint.** Recolenda est doctrina de facultatum distinctione ac de phantasiae indole. Cum imaginatio fuerit supra modum intensa, minuitur vis reliquarum potentiarum ; unde fit ut animæ energia per imaginationem transeat ; hinc palam erit a phantasia, posse in his adjunctis innumera fieri quæ impossibilia penitus forent, si omnes facultates in debita harmonia

(i) Gf. P. Coconnier , *L'hypnotisme franc.*

persisteront. Si autem imaginatio tam stupenda in naturali somno et somnambulismo operatur, mirabiliora sane præstabit si artificialiter per somnum hypnoticum adjuvetur et elevetur. Hypnotizator autem, corporis dispositionibus utendo, producere poterit novas in phantasia imagines et repraesentationes, quarum ope passiones, actiones, visiones, locutiones in subjecto excitabit. Jam monuimus (1) imagines, quæ de sensibus ad phantasiam pervenerant, posse iterum ordine inverso, ope nervi intermedii, ad sensus redire. Iterum ergo sensus actuari possunt respectu proprii objecti iterumque percipere objectum quasi id esset præsens. Quamvis objectum ipsum sensibus non adsit, species tamen objecti revera sensibus inest, et revera datur perceptio. Animadvertatur enim perceptionem fieri non per præsentiam objecti, sed per praesentiam speciei. Hac ratione intelligitur hallucinatio positiva. Potest etiam hypnotizator phantasiam ita commovere aut ligare, ut hæc non jam valeat ad suas species attendere aut speciebus uti: hinc resultat ut subjectum incapax sit percipiendi ea quæ praesentia sunt. Et ita explicatur hallucinatio negativa. Quid implicat influxum hypnotizantis in phantasia virtualiter persistere, ita ut post certum tempus in actum prodeat, memoriam percellat ? Hinc intelligeretur suggestio in distans. Suggestio quædam fit nonnunquam in somno naturali; mirabilior sane et efflcacior erit quando phantasiae vires per artem elevantur.

Phantasia supra modum exaltata maxime in systema nerveum influit, et hinc in sensibilitatem et potentiam motivam, ct, propter systematis nervei connexionem cum systemate sympathico, potest in vitam vegetativam,in cor et sanguinem, redundare. Hinc est quod morbos nonnunquam aut inducat aut curet (2). Valet phantasia, per humorum commotionem, totum alterare corpus, imo quandoque tanta est illius vehementia ut cor et vascula rumpantur. Si autem vis illa psychica, adeo stupenda, adhuc per artem hypnoticam elevetur et multiplicetur, cur non possit venulas distendere, poros dilatare et hinc exsudationem sanguineam et hæmorrhagiam producere ? Repugnantia illa nullatenus probatur.

(1) Artic, præced. n° III, p. 316.

(2) Cf. IH. *Cont. Gent.* c. 99.

Imo autumant plures medici phantasiam influere posse in sanguinis alterationem et corruptionem. Influxu ergo imaginationis potest motus cordis retardari, postmodum accelerari : hinc sanguis propulsatur versus partes circa quas maxime afficitur phantasia. Quid autem obstat nimium illum sanguinis affluxum in sanguineam exsudationem aliquando terminari, in illis præsertim subjectis quorum cutis tanta est praedita teneritudine ut simplici frictione sanguis effluat (1)?

Quæ explicationes videntur congruæ et probabiles, tametsi non absolute cogant. Conferatur eximium P. Coconnier opus, in quo singula egregie exponuntur.

Hæc ad nostrum propositum sufficiunt ; theologicas autem et ethicas quæstiones quæ de hypnotism© solent moveri intactas relinquimus : psychologi quippe non est ea versare quæ ad spiritismum referuntur, nec ea quæ artem medicam aut scientiam moralem spectant.

(1) Negant tamen plures veram esse haemorrhagiam, sed autumant esse *dermographiam,* seu morbum quemdam, qui non imaginationi sed cutis excitationi adscribendus est.

ARTICULUS TERTIUS.

DE FACULTATUM ABERRATIONIBUS.

I. — Diversæ facultatum aberrationes. Aberratio afficere potest facultates sensibiles vel rationem. Prout æstimativam attingit, dicitur *fatuitas;* prout vero afficit imaginationem, est *hallucinatio,* vel *illusio.*

Hallucinatio, quæ dicitur *somnium vigilantis,* est status vigiliæ in quo quis ceu realitates objectivas accipit et approbat suæ phantasiæ figmenta. Potest esse *completa,* si subjectum totaliter sua hallucinatione decipiatur ; vel *simplex,* si reliquorum sensuum, et praesertim rationis, ope error corrigi possit.

Illusio Ne¡TQ in hoc distinguitur ab hallucinatione, quod in ista nihil sit objectivum, in illa vera aliquid objectivi referatur, aliquave realitas, quam tamen sensus perverse interpretatur.

Aberratio quandoque attingit non solum facultates cognoscitivas, sed etiam appetitivam et locomotivam, sicut in tremore nerveo et paralysi.

Prout autem perturbat rationem dicitur *amentia.* Quæ potest esse circa unum objectum, aut unam objectorum speciem, remanente ratione domina et expedita circa cætera, et dicitur *monomania :* hujusmodi sunt monomania *persecutionis* in his qui se victimas persequentis fingunt ; monomania *religiosa,* in his qui se a dæmone vexatos arbitrantur, vel daemoni personaliter unitos ; monomania *magnitudinis,* in his qui se principes, duces, existimant.

Habetur autem *delirium* quum aberratio est transiens et attentionem praecipue afficit, unde dicitur *alienatio* attentionis.

Amentia porro generalis et permanens vocatur simpliciter *mania.* In quo statu homo potest quandoque recte ratiocinari, sicut in somniis contingit, sed usus ratiocinii non est in liberi

arbitrii potestate et dominio, Unde roc Le definitur amentia : *Status vigiliae in quo homo libero suae rationis usu caret,* Afficit itaque non potentiam, nec præcise usum rectum, sed ut aiunt, *usum liberum.*

Dicitur *mania furiosa,* quum impeditur praecipue imperium voluntatis in extornas actiones et passiones.

Idiotismus domum est status debilitatis mentalis, vel obliteratio activitatis intellectualis, cx *nativa constitutione, seu vitio congenito,* proveniens.

II. — Cansæ hallucinationis et amentiæ. Causae *physiologiae* osse possunt laesio organorum cerebralium, vel perturbatio gravis in circulatione, qui defectus contingere potest sive *hyperæmia,* seu nimio sanguinis ad cerebrum affluxu, sive *ischæmia,* qua sistit sanguis, sive utroque modo : hyperæmia nempe, in una cerebri parte, ischæmia vero in alia. Cum autem organa sint operationi prorsus necessaria, laesis organis, pervertuntur facultatum operationes et ordo.

Unde causa *psychologica* est perturbatio harmoniae inter animæ facultates et vires.Imaginatio nempe tanta hyperaesthesia, seu superexcitalione, afficitur, et illius repraesentationes tanta acuítate gaudent, ut cum ipsa realitate confundi videantur. Vi autem illius intensionis, seu exaltationis, imagines possunt a phantasia redire ad sensus unde acceptæ sunt, et hac ratione sensus iterum actuare ut isti objecta percipiant perinde ac si realitor præsentia forent. Dum vero crescit et exaltatur phantasiæ vis, minuitur cæterarum facultatum energia, nam una operatio, cum fuerit intensa, impedit aliam : hinc pessumdatur potentiarum ordo et harmonia ; hinc ratio incapax evadit cæteras regendi. Non jam remanet regina vel domina, nec jam est suiipsius compos, sed quasi *extranea,* seu *aliena* sui. Unde *alienatio,* amentia.

III. — Qua ratione amentia afficere possit mentem.

Potentia ipsa rationis, cum sit ordinis penitus incorruptibilis, non potest directe et intrinsece ex læsione vel perturbatione facultatum inferiorum pati.Quocirca, etiam in vehementissima insania, ratio remanet *intrinsece sana,* immutata, intacta. Patitur tamen *indirecte, extrinsece,* quoad liberum sui

actus usum. Sicut enim omnis intellectio extrinsece a phantasmatibus pendet, ita omnis usus rationis rectus et liber exposcit ut æstimativa sit expedita, ut phantasmata sint ordinata, ut phantasia ipsa sit gubernabilis, non vero in immensum exaltata. Quæ omnia sunt conditiones ad actum liberum prærequisitæ, licet actum intrinsece non constituant. Porro in amentia, æstimativa ligatur, phantasmata deordinata existunt ; imaginatio adeo intenditur ut a debita subordinatione erumpat. Impeditur itaque liber rationis usus, deficientibus conditionibus extrinsecis, quamvis potentia intrinsece sana et incorrupta persistat., Phænomena igitur amentiæ spiritualitatem animæ nullatenus impetunt, sed invicte confirmant doctrinam scholasticam de necessitate conversionis ad phantasmata ut intellectio perficiatur (1).

IV. — De ebrietate. Est quædam amentia transiens, per introductionem quarumdam substantiarum in organismum, artificialiter causata. Influentibus hujusmodi substantiis, contra cerebralia ct facultates organic® in cerebro residentes supra modum intenduntur : hinc perimitur facultatum harmonia. Facultates quidem superiores sunt minus expeditæ ; memoria autem paulatim minuitur vel totaliter deficit ; appetitus demum et passiones quasi sui juris fiunt, dum ratio suum amittit dominium. Facultas locomotiva etiam afficitur ; hinc titubatio, tremor nervous, etc. His succedit quædam paralysis, ac tandem somnus. Expulsis vero in somno substantiis illis nocivis, restituitur facultatum ordo, et cessat amentiæ status.

Gætera quæ intellectum et voluntatem spectant in Metaphysica expendentur.

Hic Philosophiam Naturalem absolvimus, et, hac parta sui cognitione, valet anima nostra ad Eum assurgere qui est ipsius animæ causa efficiens et exemplaris atque ultimus finis.

Explicit Philosophia Naturalis.

(1) Cf. S. Thomas, I. P. q. 115, a. 4.

INDEX RERUM ANALYTICUS

TRACTATUS PRIMUS

DB VITA VEGETATIVA ET SENSITIVA

QUÆSTIO PRIMA

De notione vitæ in communi

ARTICULUS PRIMUS

Consideratur vita secundum respectum scientificum.

I. Mineralia et viventia organica quosdam communes præ se ferunt characteres — II. Differentiae.— III. Plantœ et animalia. — IV. Compositio chimica viventium. — V. Compositio anatomica viventium. — VI. In cellula omnia vitæ phaenomena quasi in compendio inveniuntur..... 3

ARTICULUS SECUNDUS

Consideratur vita secundum conceptum philosophicum.

I. Duplex acceptio vitæ. — IL Ineptæ definitiones vitæ. — III. Prima conclusio : Conceptus formalis vitæ in eo consistit quod vivens sit substantia se movens ab intrinseco secundum suam naturam et connaturalem dispositionem, motu nempe activo vel quo se evolvit ac perficit, vel quo saltem sese in propria perfectione conservat. — IV. Secunda conclusio : Immanentia pertinet ad conceptum vitæ. — V. In conceptu vitæ motus est quid prius et communius, immanentia autem est quid magis determinans ac magis specificum.— VI. Occurritur difficultati et explicatur quomodo motus ab intrinseco activus solis competat viventibus. — VII. Motus autem activus et perfectivus triplex esse potest : physicus, intentionalis-materialis et intentionalis-spiritualis. — VIII. Quomodo vivens simul sit movens et motum. — IX. Objectiones contra secundam conclusionem. — X. Schòlion. De theoria quæ vult omnia entia vivere 8

ARTICULUS TERTIUS

Consideratur vita secundum suam finalitateii) suosque gradus,

I. Ratio articuli. — II. De flnalitate vitee vegetativa». — TIL De ílnalitate vitæ sensitivae. — IV. De finalitate vitæ intellectivae. — V. Finalitatis respectus maxime est attendendus in notione vitæ. — VI. Triplici ex capite provenit ratio distinguendi gradus vitæ. — VIL Considerantur gradus vitæ ex parte motus ab intrinseco. — VIII. Considerantur gradus vitæ ex parte immanentiæ. — IX. Tertia ratio distinguendi vitæ gradus, scilicet objecti amplitudo. — X. An gradus vitæ intellectivae importet etiam distinctionem partium, quarum altera sit movens, altera mota. — XI. Scholion. De vita creaturarum in Deo. - - - 19

QUÆSTIO SECUNDA

De principio vitæ in communi

ARTICULUS PRIMUS

De organicismo

I. Quid organicismus ? — II. Prima conclusio : Organicismus mere mechanicus intrinsece repugnat. — III. Secunda conclusio : Falsus est etiam organicismus physico-cliimicus, juxta quem vita est resultantia virium physicarum et chimicarum. — IV. Vanum effugium semi-organicismi. — V. Generalis confutatio organiscismi. — VI. Solvuntur difficultates..... 27

ARTICULUS SECUNDUS

De generatione spontanea.

I. Principium vitæ efficiens non est materia. — II. Quid generatio spontanea. — III. Conclusio : Generationi spontaneae, sub quacumque forma propositae, repugnant facta scientifica. — IV. Quomodo inceperit vita in orbe. — V. An metaphysice repugnet omnis generatio spontanea. — VI. De transmissione vitae..... 35

ARTICULUS TERTIUS.

De animismo.

I. Falsœ animismi formæ. — IL De animismo temperato. — III. Animæ definitio. — IV. Uberior explicatio præfatæ definitionis. — V. Alia definitio. — VI. An anima sit aliquid completum in genere substantiæ 41

QUÆSTIO TERTIA

De anima vegetativa et sensitiva

ARTICULUS PRIMUS

De potentiis et operationibus animæ vegetativæ.

L Tres sunt potentiæ animæ vegetativæ realiter distinctæ ab invicem : nutritiva, augmentativa et generativa. — II. Quæ sit nobilior. — III. Objectio contra distinctionem facultatum. — IV. Propria definitio facultatum vegetativarum. — V. De nutritione in vegetalibus. — VI. De nutritione in animalibus. — VII. De generatione..... 47

ARTICULUS SECUNDUS

De anima sensitiva.

I. Opiniones circa animam brutorum. — II. Prima conclusio : Animalibus inest anima sensitiva. — III. Secunda conclusio : Nullo pacto ad mechanicam cerebri reactionem aliamve speciem motus localis sensatio revocari potest. — IV. Animæ brutorum non sunt substantiæ rationales. — V. Anima brutorum non est subsistens. — VI. Vera notio animæ sensitiva. — VII. Solvuntur difficultates 53

ARTICULUS TERTIUS

Quædam quæsita circa animam vegetativam et sensitivam.

I. Ratio articuli. — II. In quo consistat malerialitas animæ vegetativæ vel sensitivæ. — III. Anima vegetativa et sensitiva sunt generabiles et corruptibiles. — IV. Quid eveniant illæ animæ post mortem. — V. De unitate et divisibili tate viventium vegetalium et sensitivorum. — VI. De indivisibilitate superiorum viventium. — VII. Ubi sit anima, cum dividitur viven ?. . . - - - - - - - - - - - - - - - - 61

TRACTATUS SECUNDUS.

DE ANIMA HUMANA QUOAD SUBSTANTIAM CONSIDERATA.

QUÆSTIO PRIMA

De animæ humanæ natura et origine

ARTICULUS PRIMUS.

An anima humana sit substantia et utrum hæc substanlia sii æqualis in eundis hominibus

I. Falsæ notiones animæ humanæ. — II. Conclusio : Anima humana ad harmoniam vel complexionem diversarum partium, vel phœnomenon, reduci nequit, sed veri nominis substantia dicenda est. — III. Animæ substantialitas est evidenter demonstrabilis. — IV. Anima humana est substantia incompleta. — V. De æqualitate animarum. — Opiniones. — VI. Duo inconcussa apud omnes. — VII. Expenditur sententia S. Tfooinæ. — Vili. Conclusio : Potest una anima rationalis.aliam præcydlere perfectione substantiali individuali. — IX. Solvuntur difficultates 69

ARTICULUS SECUNDUS

De simplicitate animæ humanæ.

I. Simplicitatis notio. — II. Conclusio : Anima humana est substantia tum essentialiter tum integraliter simplex. — III. An sit tamen in anima compositio ex potentia et actu.— IV.Solvuntur difficultates.. 78

ARTICULUS TERTIUS.

De spiritualitale animæ humanæ.

I. Diversa vocabula ad exprimendam spiritualitatem. — II. Diversi spiritualitatis seu perfectœ immaterialitatis gradus. — III. Demonstratur animæ spiritualitas ex operatione et objecto. — IV. Imo ipse modus attingendi materialia testatur operationem esse a materia independentem.— V. Demonstratur spiritualitas ex defectu organi in cogitatione. — VI. Scientiflcorum testimonium et animæ spiritualitas. — VIL Demonstratur spiritualitas ex animæ aspirationibus et finalitàte.—VIII. Demonstratur animæ spiritualitas ex hoc Angelici principio : *Quod potest cognoscere aliqua, oportet ut nihil eorum habeat in sua natura.* — IX. Solvuntur difficultates. — X. De materia cogitante — XI. Conclusio : Intrinsece repugnat dari substantiam materialem

cogitantem. — XII. Convelluntur Lockii principia. — XIII. De demonstrabilitate spiritualitatis. — XIV. Doctrina catholica et animæ spiritualitas..... 84

ARTICULUS QUARTUS.

De animæ humanæ incorruptibilitate seu immortalitate.

I. Quid et quotuplex sit immortalitas. — II. Referuntur sententi®. — — III. Argumenta moralia. — IV. Argumentum psychologicum ex desiderio semper vivendi. — V. Huc accedit argumentum ex finalitàte. — VI. Argumenta metaphysica a priori. — VII. Demonstratur animam esse immortalem ab extrínseco, id est, neque a causa creata, neque ab ipso Creatore annihilari. — VIII. Animadversio in commenta rosminiana. — IX. Solvuntur difficultates. — X. De demonstrabilitate immortalitatis..... 100

ARTICULUS QUINTUS.

De origine animarum humanarum.

I. Referuntur sententiae. — II. Confutatur emanatismus. — III. Traducianismi diversœ formæ. — IV. Prima conclusio : Traducianismus corporeus intrinsece repugnat. — V. Secunda conclusio : Generatianismus intrinsecam involvit repugnantiam. — VI. Opinio Rosminii. — VII. Rejicitur traducianismus rosminianus. — VIII. Solvuntur diffi cultates. — IX. De transformismo. — X. Probatur creatianismus. — XI. Solvuntur difficultates..... 114

ARTICULUS SEXTUS.

Efformaiur completa notio animæ rationalis.

I. Definitiones animæ in communi applicantur animæ rationali. — II. Definitio animæ secundum quatuor genera causarum. — III. Tria ad rationem imaginis requisita. — IV. Imago Dei invenitur in qualibet anima rationali. — V. In anima rationali uniuntur maxime distantia..... 124

QUÆSTIO SECUNDA

De unione animæ cum corpore.

ARTICULUS PRIMUS

De natura unionis animæ cum corpore.

I. Unio realis et logica. — II. Unio realis duplex est : accidentalis et substantialis. — III. Unio substantialis est duplex : personalis et essen-

tîalis. — IV. Do unione hypostatica. — V. Opiniones. — VI. Prima conclusio: Unio animæ cum corpore est personalis. — VII. Praeoccupatur difficultas. — VIII. Secunda conclusio : Unio animæ et corporis est essentialis. — IX. Confirmatio ex doctrina Ecclesiæ. — X. An unio animæ et corporis sit etiam hypostatica. — XL Comparatur unio animæ et corporis cum unione duarum animarum ad invicem. — XII. Animadvorsio generalis in sententias quæ tuentur unionem accidentalem 128

ARTICULUS SECUNDUS

De modo unionis, seu utrum corpus et anima uniantur per modum materiæ et formæ.

I Doctrina scholastica. — II. Prima demonstratio : Applicantur principia de materia et forma. — III. Secunda demonstratio : ex unitate substantiae et unitate actionis in homine. — IV. Anima nostra est forma corporis ut intellectiva, seu ratione gradus quem tenet in intellectualitate. — V. Confirmatur thesis ex doctrina Ecclesiae. — VI. Explicantur præfata documenta. — VII. Ex Concilii verbis habetur animam qua rationalem esse formam substantialem. — VIII. Solvuntur difficultates. — IX. Solvitur specialis difficultas, et ostenditur statum separationis non esse proprie violentum 137

ARTICULUS TERTIUS.

Confutantur sententiæ oppositae.

I. Occasionalismus, seu systema mutuœ assistenti®.— II. Systema harmonise præstabilitæ. — III. Conclusio : Systemata assistentiæ mutuæ et harmoniæ præstabilitæ sanæ philosophise adversantur. — IV. Influxus physicus, seu mutua causalitas. — V. Conclusio : Influxus physicus multa gratuita et repugnantia in medium profert.—VI. Systema mediatoris plastici — VII.Critica. — VIII. Systema rosminianum et cætera systemata quæ reponunt unionem in quadam perceptione. — IX. Systema commixtionis virium.— X. Corollarium.— XI. De quibusdam loquendi modis 150

ARTICULUS QUARTUS.

De composito humane.

I. Expenduntur variae hominis definitiones. — IL Vera hominis definitio. — III. Natura hominis. — IV. Persona hominis. — V. Esse compositi humani. — VI. De mutuo influxu corporis et animæ in composito humano. — VIL De origine compositi humani. — Vili. De unitate speciei humanæ. — IX. De unitate originis hominum..... 153

QUÆSTIO TERTIA

De unitate animæ

ARTICULUS PRIMUS.

An multiplicentur animæ secundum multiplicationem corporum.

I. Pantheismus psychologicus. — II. Conclusio : Intrinsece implicat unam esse animam pro cunctis hominibus. — III. Multiplicatio animarum est secundum multiplicationem corporum.—IV. Solvitur difficultas.— V. De metempsychosi. — VI. Ratio cur anima intellectiva nonnisi tali corporiuniatur quale est corpus humanum..... 167

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum in homine sint aliæ animæ præter animam intellectivam.

I. Opiniones. — II. Conclusio : In homine non est nisi unica anima, intellectiva scilicet, quæ omnia vitæ munia præstat. — III. Confirmatio ex doctrina Ecclesiæ. —IV.An saltem admitti possint duo principia vitalia : unum pro actionibus inconsciis et involuntariis, alterum pro consciis et voluntariis. — V. De opinione Stahl. — VI. Solvuntur difficultates.....173

ARTICULUS. TERTIUS

Utrum sit in homine alia forma substantialis præter animam intellectivam.

I. Sententi». — II. Conclusio : In homine non est alia forma substantialis quam anima intellectiva, et per eam homo non solum est homo, sed est anima], et vivum et corpus et substantia et ens. — III. Quomodo omnes gradus possint in una forma contineri. — IV. An vegetativum et sensitivum in homine specie differant a vegetativo plantæ et sensitivo bruti. — V. Qua ratione-concedi possit animam intellectivam esse corpoream. — VI. Non dantur formae substantiales partiales, sed omnes partes integrales unica forma totius informantur. — VII. Quomodo anima tribuat diversos gradus singulis partibus. —VIII. Utrum partes liquid» corporis informentur ab anima totius. — IX. Quomodo possit anima exercere informationem non obstantibus partibus non informatis. — X. Solvuntur difficultates. — XL De forma cadaverica - - - - 179

QUÆSTIO QUARTA

De sede animée

ARTICULUS PRIMUS

Quomodo anima sit in corpore.

I. Sententi©. — II.Diversa ratio essendi in loco.—III.Triplex totalxtas.— IV. Conclusio : Anima est tota in toto corpore et tota in qualibet corporis parte per totalitatem essenti©, non autem per totalitatem virtutis. — V. Diversa habitudo animæ ad corpus et ad corporis partes. —VI. Solvuntur difficultates.....189

ARTICULUS SECUNDUS

Quo tempore anima corpori infundatur.

I. Quid certum, quid vero libere controversum.—II.Falsæ opiniones.— ni.Conclusio:Certum est animam non creari priusquam corpori infundatur. — IV. An infundatur anima rationalis in ipso conceptionis momento. — V. Argumenta primœ sententi©. — VI. Argumenta secundæ sententi©.—VII.Responsiones ad argumenta primæ sententi© — Vili. Responsiones ad argumentasecundæ sententiæ. — IX. De tertia sententia. — X. Quid concludendum.....196

TRACTATUS TERTIUS

DE ANIMA HUMANA SECUNDUM POTENTIAS SEU EACULTATES CONSIDERATA.

QUÆST10 PRIMA

De potentiis in genere

ARTICULUS PRIMUS

De distinctione potentiarum ab essentia.

i. Notip potentiarum. — II. Divisio potentiarum in activas et passivas. — III. Philosophorum opiniones de natura facultatum. — IV. Prima conclusio : Facultates inter et essentiam animæ realis viget distinctio. — V. Secunda conclusio : Facultates ab essentia distinguuntur, non sicut modus a modificato, sed sicut res a re. — VI. An et qua ratione facultates ab essentia profluant. — VII. An facultates ab essentia separentur vel separari possint..... 204

ARTICULUS SECUNDUS

De principio potentiarum specificativo.

I. Facultates important respectum ad alterum. — II. Distinguitur duplex specificativum : intrinsecum et extrinsecum. — III. Specificati* vum ita sumptum, licet extrinsecum sit ipsi rei specificate, intrinsecum tamen est definitioni rei. — IV. Multiplex objectum. — V. Prima conclusio : Actus et objecta non sunt specificativa intrinseca potentiarum. —VI. Secunda conclusio: Actus et objecta sunt specificativa extrínseca, hac tamen ratione ut potentiæ definiri nequeant nisi per ordinem ad actus et objecta. — VII. Tertia conclusio : Objectum specificativum non est materiale, sed formale tantum. —VIII. Solvuntur difficultates. — IX. Alius respectus in specificatione attendendus.....213

ARTICULUS TERTIUS

De divisione et subjecto potentiarum.

I. Divisio facultatum' in philosophia moderna. — II. Animadversio in præfatas divisiones. — III.Fundamenta verœ classifîcationis. — IV. Conclusio : Quinque sunt genera potentiarum animæ. — V. Præfata divisio est secundum genus, non secundum differentiam ultimam.— VI. Potentiæ vitales confundi non debent cum modis vivendi. — VII. Utrum multitudo potentiarum perfectionem arguat an imperfectionem. — VIII. De facultatum subjecto. — IX. Prima conclusio.: Anima est radix omnium potentiarum, sed non est subjectum proximum potentiæ organicæ. — X. Secunda conclusio : Subjectum potentiæ sensitivæ non est materia nervea sola, sed organismus, seu compositum animatum. — XI. De subjecto facultatum spiritualium.. 219

ARTICULUS QUARTUS

De ordine et proprietatibus potentiarum.

I. Quadruplex ordo in potentiis. — II. Triplex alius ordo : generationis, dependentiae, dignitatis. — III. Utrum una potentia animæ oriatur ab alia. — IV. Ordo et harmonia facultatum est imago ordinis qui viget in natura. — V. De prœcipuis facultatum attributis.....226

QUÆSTIO SEGUNDA

De potentiis sensitivis cognoscitivis

ARTICULUS PRIMUS

De *sensibus externis.*

I. Notio facultatis sensitivæ. — II. Facultates sensitivæ cognoscitivas.— III. De numero sensuum externorum ex doctrina Angelici. — IV.An dentur sensus orientationis, sensus vitalis, sensus muscularis, etc... — V. An saltem possibilis sit novus sensus. — VI. Corpuscula tactus. — VII. Actio tactus. — Vili. Sensus gustus. — IX. Sensus odoratus__ X. De auditu. — XI. Quomodo fiat visio. — XII. De ordine sensuum externorum ad invicem. — XIII. Utrum sensus externi sint solius corporis an solius animæ 233

ARTICULUS SECUNDUS

De sensibus internis in communi.

I. Prima conclusio ; Praeter sensus externos necesse est admittere sensum internum. — II Secunda conclusio: Quatuor sunt sensus interni : sensus communis, phantasia, aestimativa, memoria. — III. Admitti nequit sensus fundamentalis recentiorum. — IV. De sensibus internis in diversis animalibus et in homine.— V. Sedes sensuum. — Localizationes cerebrales..... 243

ARTICULUS TERTIUS

De sensibus internis in speciali.

I. Sensus communis duplex est munus. — II. Primum munus : conscientia intima. — III. Secundum munus : sensus centralis. — IV. Quodnam sit ejus organum. — V. Definitio sensus communis. — VI. Objicies. — VIL Quænam sint phantasi® munia. — VIII. Quomodo oriantur phan tasmata. — IX. De phantasmatum reproductione. — X. Praestantia imaginationis. — XI. Definitio phantasiae. — XII. /Estimativa. — XIII. Do æstimativa in homine. — XIV. Duplex error circa æslimalivam. — XV. Quomodo æstimativa sit cognoscitiva. —XVI. Memorias munia. — XVII. Memori® objectum. — XVIII. De exercitio memoriæ. — XIX. Qua ratione amittatur memoria. — XX. De reminiscentia. — XXL Imagines motrices. — XXII. Brevis recapitulatio totius ar - ticuli 249

QUÆSTIO TERTIA

De sensatione

ARTICULUS PRIMUS

De sensatione secundum respectum physiologicum.

7 Generalis divisio substantiæ nerveæ.— II. Activitas substantiae ner veæ. — III. Conditiones activitatis nerveæ. — IV. Quomodo flat sensatio. — V. De quantitate sensationum..... 263

ARTICULUS SECUNDUS

Sensatio secundum respectum philosophicum.

I. Duplex in sensatione phasis. — II.Unio sensibilis et sensus per species intentionales. — III. Eligitur et probatur sententia scholastica.— IV. An etiam tactus requirat species. — V. De natura specierum. — VI. Dicendum est ergo species impressas esse proprie materiales ; id est habentes materiæ conditiones, quamvis non ipsam materiam. — Vil. Quæstio. — Vili. Conclusio : Illud quod sensus directe percipit non est species impressa, neque modificatio sensus, sed sensibile externum. — IX. Licet sensatio sit essentialiter objectiva, respectus tamen subjectivus est in ea maxime attendendus. — X. An species impressa rationem habeat causæ efficientis. — XI. Utrum in sensibus externis dentur species expressæ. — XII. De specie expressa sensuum internorum. — XIII. De sede sensationum. — XlV.Conclusio : Sensatio externa in respectivis organis perñcitur. — XV. —De sensationibus inconsciis. — XVI. De attentione. — XVII. Concludendum - - - - 266

QUÆSTIO QUARTA

De facultatibus sensitivis appetitivis

ARTICULUS PRIMUS

De ipso appetitu.

•I. Quid appetitus in genere. — II. Prima conclusio ! Tres sunt appetitus inter se realiter distincti : appetitus naturalis, appetitus sensitivus, ac appetitus intellectivus. — III. Objicies. — IV. Appetitus innatus et elicitus. — V. Secunda conclusio : Appetitus est quædam potentia quæ oritur ex potentiis cognoscifivis et ab illis realiter distinguitur. — VI. Appetitus sensitivus.— VII. Appetitus sensitivus est potentia organica, quæ ex viribus physico-chimicis aut vegetalibus resultare nequit. — VIII. Appetitus sensitivus dividitur in concupiscibilem et irascibilem tanquam-in duas facultates realiter distinctas. — IX. Appetitus irascibilis, licet in quibusdam inferior sit concupiscibili, simpliciter tamen est illo præstantior.— X. De instinctu. . . . 279

ARTICULUS SECUNDUS

De motibus appetitus, seu passionibus.

t. Genuina passionis notio. — IL De passionum divisione. — III. Conclusio : Undecim sunt passiones : sex quidem in concupiscibili ; quinque vero in irascibili. — IV. Duplex contraríelas in passionibus. — V. Prima conclusio : In passionibus concupiscibilis invenitur tantum contrarietas secundum objecta ; in passionibus vero irascibilis invenitur etiam contrarietas secundum accessum et recessum. — VI. Secunda conclusio : Singulare est iræ quod non habeat passionem contrariam neque secundum accessum et recessum; neque secundum objecta.— VII. Quomodo inter se ordinentur passiones. — VIII. Prima conclusio: Passiones concupiscibiles quæsignificantquietem in bono suntposteriores passionibus irascibilis secundum ordinem executionis, priores vero secundum ordinem intentionis. — IX. Secunda conclusio : Passio concupiscibilis importans quietem in malo, scilicet tristitia, media est inter duas passiones irasclbiles : timorem et iram. — X. Tertia conclusio : Passiones concupiscibilis quæ important motum sunt priores etiam in executione passionibus irascibilis. — XI. Quarta conclusio: Omnes passiones concupiscibilis quæ respiciunt bonum sunt priores aliis quæ respiciunt malum.—XII.Quinta conclusio: Inter passiones quæ respiciunt bonum, secundum ordinem executionis primo est amor, secundo desiderium, tertio delectatio ; sed in intentione prior est delectatio. — XITT Sexta conclusio : In passionibus irascibilis, spes et desperatio, quæ versantur circa bonum, priores sunt aliis quæ versantur circa malum. — XIV. Ordo omnium passionum secundum generationem.—XV.Quatuor sunt principales passiones : gaudium et tristitia, spes et timor. — XVI. — Passionum schemata..... 288

ARTICULUS TERTIUS

Quædam quæsîta circa appetitum et passiones.

I. De organo appetitus et passionum. — II. Quid sentiendum de ideisviribus (Idées-forces) ? — III. De passionum momento in vita humana. — IV. Utrum passiones et appetitus subordinentur parti intellectivæ. — V. Conclusio : Appetitus sensitivus in homine obedit parti superiori, scilicet rationi et voluntati, ita tamen ut pars superior appetitui non dominetur principatu despótico, sed tantum politico et regali 298

QUÆSTIO QUINTA

De potentia locomotiva

ARTICULUS PRIMUS

De ipsa potentia locomotiva.

I. Quomodo flat locomotio. — IL De motibus voluntariis et reflexis. — III. An dentur motus voluntarii.— IV. De causis locomotionis.— V. Quomodo se habeat locomotiva ad cæteras potentias. — VI. Conclusio: Facultas locomotionis realiter differt ab appetitu. — VII. Definitio potentiæ locomotiva. — Vili. Dependentia potentiæ locomotivæ ab imaginibus motricibus..... 304

ARTICULUS SECUNDUS.

De facultate vocali.

L Notio facultatis vocalis. — IL Efformatio vocis et locutionis. — III.De prima sermonis origine. — IV. Prima conclusio : Inventio sermonis non est supra facultatem hominis physicam. — λ;. Secunda conclusio : Do facto sermonem primus homo non adinvenit, sed a Creatore accepit..... 310

QUÆSTIO SEXTA

De quibusdam facultatum affectionibus

ARTICULUS PRIMUS

De somno et somnio.

I. Opiniones circa somni causas. — II. Somnus secundum respectum psychologicum. — III. Somnium. — IV. Causæ somniorum. — V. Effectus somniorum. — VI. Proprietates quædam somniorum. — VIL Somnambulismus. — VUL Expergefactio 314

ARTICULUS SECUNDUS

De hypnotismo.

Í. Quid hypnosis. — II. Quomodo hypnosis producatur. — III. Subjecta hypnotismi. — IV. Phœnomena hypnotismi. — V. Quomodo illa phenomena psychologice explicari possint.....32J

ARTICULUS TERTIUS.

De facultatum aberrationibus.

I. Divers® facultatum aberrationes. — II. Causæ hallucinationis et amenti®. — III. Qua ratione amentia afficere possit mentem. — IV. De ebrietà te..... 325

Explicit Philosophise Naturalis Secunda Pars.

Parisiis, typis J. Tcqui, 3 *bis,* **via dicta de la Sablière. — 10 bis-7-1927.**

PARISIIS

Sumptibus P. LETHIELLEEX, Editoris

10, Via Dicta Cassette , 10

SMA PHILOSOPHI E ». TIIOMÆ AQUINATIS

DOCTORIS ANGELIC

EX VARIIS EJUS TRACTATIBUS IN ORDINEM CURSUS PRILOSOPflia

ACCOMMODATA a Cosmo ALAMANNO, S. J.

Editio juxta alteram parisiensem vulgatam a Canonicis Regularibus Ord. S. Aug. Cong. Gallicanae, adornata a Francisco EHRLE, B. FELCHLIN, et A. BRINGMANty S, J., 3 vol. in-4<> en 6 parties. 36 »

Les mêmes, en reliure demi-chagrin, tranches jaspées - - - - 47 »

Totius operis divisio : Tomus I. — I. Logica. — 2. Physica, pars prima. — Tomus IL — 3. Physica, pars secunda. — 4. Physica, pars tertia. — Tomus III. —5. Metaphysics. — 6. Ethica.

In hoc toto opere D. Thomas solus loquitur.

BREF DE S. S. LÉON XIII A L'ÉDITEUR.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem,

Gratum fuit Nobis ex tuis litteris agnoscere optimum consinum a to susceptum typis edendi Summam Philosophicam D. Thomee Aquinatis, quam olim Cosmus Alamannus, Societatis Jesu Theologus, ex immortalibus scriptis Angelici Doctoris contexuit, et in lucem emisit, in ordinem philosophise institutionis redigens omnes philosophiae partes quas idem Angelicus Doctor in suis operibus insigni sapientiae luce refertis pertractavit. Nos quidem, Dilecte Fili, magno in pretio hoc opus habemus, in quo non modo summi Aquinatis Magistri philosophicae Doctrinae Ejusdem verbis propositae sunt, sed et in ipsis conclusionibus quæ ab eo sunt depromptae, argumenta ejus plene ac fideliter afferuntur, quæ, dum illas philosophica methodo demonstrant, eos opportuni refellunt, qui Angelicum Doctorem non rationum momentis, sed auctoritate Aristotelis unice innixum fuisse contendunt ; ac merito putamus philosophiae cultores ex eodem opere quod doctorum hominum illustria testimonia commendarunt, posse feliciter voluti ex sincero fonte Magni Doctoris sapientiam haurire. Quapropter jucundum est Nobis, te, ut tuis litteris significas, statuisse omnes tuas curas ad ejusdem operis editionem diligenter accuraleque adornandam, adhibita etiam doctorum virorum opera, conferre, et commodis eorum' inservire, qui, Nostris hortationibus obsequentes, viam solidæ sapienti® inter tot tenebras a fallaci philosophia offusas, consectatur. Cum hoc tuum consilium, Dilecte Fili, in optimorum studiorum utilitatem redundet, Nos illud Nostris hisce Litteris ultro commendamus, minime dubitantes quin ii omnes qui veram scientiam diligunt, tuæ industriae ac labori libentissime suffragentur. Adprecantes autem divinam benignitatem, ut tuæ optimæ voluntati propitia adsit Apostolicam Benedictionem, quam postulas, in testimonium paternas dilectionis, tibi tuaeque familiae peramanter in Domini impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum die XVII Aprilis 1883.

Pontificatus Nostri anno sexto. LEO PP. XIII.